

SYNODUS
DIŒCESANA
FERRARIENSIS

SYNODUS DIŒCESANA

QUAM

SUB FAUSTISSIMIS AUSPICIIS

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

PII PAPÆ SEXTI

EMINENTISSIMUS, ET REVERENDISSIMUS DOMINUS

D. ALEXANDER

TIT S. BALBINÆ S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS MATTHÆJUS

ARCHIEPISCOPUS FERRARIENSIS

IN ECCLESIA METROPOLITANA



CELEBRAVIT

DIEBUS V. VI VII. MENSIS JUNII

ANNO MDCCLXXXI.





FERRARIÆ

APUD BERNARDINUM POMATELLI

IMPRESSOREM ARCHIEPISCOPALEM.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

ALEXANDER CARDINALIS MATTHÆJUS
ARCHIEPISCOPUS FERRARIENSIS



Omini Tuo, Beatissime Pater, cur Diœcesanam hanc Synodum inscriptam, atque dicatam prodire cuperem, duo maxime in caussa fuerunt; eademque efficiunt, ut summa hu-

ma-

manitas Tua, qua id fieri sinis, mihi non modo præclarissima accidat, verum etiam jucundissima. Quum enim facile intelligerem fore, ut quæ fuerunt in Diœcesano Conventu decreta pleniore voluntate acciperentur, si ea constaret Tibi non displicere, nihil optatius habui, quam ut ederentur in publicum Patrocinio suffulta, atque exornata Tuo. Quo quidem et nihil esse poterat vel ad tutelam validius, vel ad dignitatem honestius; et illud præterea habebat commodi, ut Supremo Principi de me, meisque omnibus mirifice merito, sin minus parem referre gratiam (id quod fieri non potest), at certe aliquod grati animi argumentum exhiberem. Namque ad Acta Synodalia quod attinet, tametsi in hoc totus incubui, nihil ut constitueretur, nisi quod tum probatæ consuetudini, tum æquis rationibus, atque judiciis, tum Summorum Pontificum Scitis esset maxime consentaneum; utrum tamen hoc assecutus omnino sim, affirmare minime ausim. Tuum est, Beatissime Pater, de tota hac re judicium ferre, ut, siquid exciderit mihi, quod minus probari possit, illud Tu pro summa Tua in hisce rebus auctoritate corrigas, immutes, aut omnino deleas: et *sicut nulli dignius possum; ita nulli libentius* (utar Anselmi verbis ad Urbanum) præ-

sens

ſens opus, *quam Veſtræ deſtino Sapientiæ : quatenus, ſiquid in eo corrigendum eſt, Veſtra cenſura caſtigetur* (*). Illud autem non modo ſignificandum, ſed Tibi apertius declarandum arbitror, me in Legibus hiſce condendis Ferrarienſis Populi habuiſſe, quanta par fuerat, rationem : quum enim jam inde a principio, maxime vero univerſam Diœceſim ſemel, atque iterum obeundo, egregia quadam indole, ac præclara inſtitutione ad pietatem, honeſtatemque propenſum, atque excultum eum perſpexerim, ſic omnia mihi temperanda propoſui, ut qui ſe facile honeſta quævis perſuaderi ſinit, ſæpe monitis potius eſſet, ſuaſionibusque excitandus, quam ſola pœnarum vi, Sanctionumve ſeveritate compellendus. Sed qui homines, me hortante, ac ſuadente, Leges ad ipſorum utilitatem conſcriptas facile acciperent ; quanto id eos mentis obſequio, quantoque proinde ſtudio facturos mihi ſperare licet, ſi ſemel intellexerint, eas non videri indignas, quæ Sanctitati Tuæ nuncupentur ? nec majore ſolum accepturos obſequio, verum, quum illas viderint Tuo Patrocinio munitas, multo alacrius, atque ſtudioſius ex earum regu-

la

(*) *Lib. de Fid. Trinit., et de Incar. Verb. ad Urbanum II. poſt Præfat.*

la acturos, vitamque suam ad ipsarum normam esse conformaturos non dubitem. Quid? anne illustris illa Tua in hanc publicam Academiam beneficentia ad excolenda litterarum studia magnopere provocare Ferrariensium animos, atque incitare potuit; paternus vero, isquè spectatissimus erga eosdem amor hic Tuus, quo sive instauratis, sive constitutis ad æternam ipsorum salutem Diœcesanis Legibus voluisti esse et præsidium, et decus, ad omne Christianæ pietatis officium eos permovere, atque inflammare non poterit? Id mihi certe persuasum est, quippe qui probe noverim, quanta meis conatibus ex hac Tua benignitate auctoritatis, et ponderis accessio facienda sit.

Verum quæ Ferrariensi Populo multum utilitatis allatura est, eadem benignitas Tua me voluptate afficit prope incredibili. Etenim quum singularia Tua beneficia mecum ipse repeterem, quum, ut cetera mittam, Farfensem mihi non sine amplissimis facultatibus administrationem demandatam recolerem, quum hanc ipsam Ecclesiam variis, nobilibusque et laudibus præstantem, et locupletatam honoribus imbecillitati meæ commissam intuerer, verebar semper, ne animi parum memoris videri possem, si tot auctus beneficiis nondum gra-

tiam

tiam referrem aliquam . Majora interim munificentissimo Tu animo parabas . Ad cetera namque decora , quæ commemorabam, accessit nuperrime, unde obrutus pæne sum , quod quum nemo prorsus , ego vero minime omnium tale quidquam cogitaremus , me perinde quasi meritissimum hominem, aut præteritis a Te muneribus nondum satis amplificatum, Tu ipse a Germanico itinere redux hic me Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem renuntiasti. Cujus quidem rei cepisti Tu confestim fructum amplitudini animi Tui perjucundum, quod Sedi Ferrariensi, habito in huius Metropolitanæ Sacrario Pontificio Consistorio, novum, insperatum, nec unquam fortasse sperandum decus addideris: ex quo populi ob tantam suo Pastori collatam dignitatem Tibi gratias agentis, ac sibimetipsi gratulantis exultatio, atque plausus mire fervidi sunt consecuti . Veruntamen hoc ipsum et gratulandi, et gratias agendi officium , immo vero , si fas esset, et referendi a me Tibi, Beatissime Pater, deberi sentio, idque eo majore studio, quanto arctius pluribus, ac immortalibus me Tibi ante alios nominibus obstrinxisti.

Non equidem sum nescius, idque frequentibus soleo usurpare sermonibus, Te in beneficiis conferendis non

Tui

Tui Nominis prædicationem, sed unam Dei Gloriam, æternamque animorum salutem cogitare. Novimus magnitudinem animi Tui, qua nihil amas, præter honestatem. Novimus summam religionem, et Tuo dignam Nomine pietatem plane singularem. Altera Te de amplificanda Dei Gloria, de sacrarum rerum nitore, ac dignitate curanda, de instituendis Ecclesiæ Administris, tuendaque Catholica Fide dies, noctesque plura meditantem, plura et providentem, et peragentem, ne minimam quidem in hominum laudes derivare patitur cogitationum Tuarum. Altera Te erga subjectos Tibi Populos, tanquam Parentem Optimum in Filios, adeo vehementer commovet, urget, rapit, ut tunc felicissimum, tunc vere Te beatissimum putes, quum omnibus aut sublevandis, aut ornandis provideris. Huc spectant cogitationes, curæ, vigiliæ, labores Tui: Dei unius Gloriam, Populorum felicitatem semper animo versas; illi vero uni gratias et agi, et haberi vis, a quo cumulatissime proficiscuntur, bonorum omnium Auctori Deo: Ejus nimirum exemplo, cujus ut vicem geris, sic etiam operibus studes, quantum fieri potest, vestigia sequi. Ipse enim tametsi esset Patris et Virtus, et Sapientia, virtutum tamen, doctrinæ, pro-

di-


digiorumque gloriam omnem , et decus a ſe ipſe abdicans, omnia Patri accepta referri voluit . Id ipſum igitur nonne divinum eſt, nullam velle pro recte factis humanam laudem ? Nonne eum, qui, quum bene de omnibus mereatur, de retribuenda ſibi tamen gratia ne cogitat quidem, unum omnes eſſe digniſſimum putant , cui maxima referatur ? ut inde mihi ad aliquam grati animi ſignificationem multo amplius oſtium apertum ſit , unde omnis fere præcluſus aditus videbatur. Conſequitur ſcilicet virtutem honos, veluti umbra corpus, nolentem etiam, ac reluctantem.

Quare iſtud meæ erga Te voluntatis certiſſimum teſtimonium in eam partem rogo ut accipias, Beatissime Pater , non ſolum ut ego Tuæ vel magnitudinis animi, vel religionis, et pietatis admirator fuiſſe, ſed ne officio in Pontificem et propter beneficentiam Optimum , et propter animi celſitudinem Maximum tam multis cumulatus beneficiis penitus exiſtimer defuiſſe . Quod dum enitor, ſatis tamen intelligo, Tuorum beneficiorum partem ne minimam quidem exæquari. Sed ipſum denique votis , magniſque precibus (hoc enim mihi ſolummodo reliquum eſt) exoro Immortalem Deum, qui Te in iſta ſublimi Dignitatis arce conſtituit,


ut et Tibi pro me vicem, quippe unice, ac uberrime poteſt, rependere velit, et in eadem Te, Beatissime Pater, ad totius Chriſtiani Orbis columen, præſidium, et ornamentum diu, multumque ſoſpitem, atque incolumem ſervet. Tuam vero Benedictionem Apoſtolicam mihi, gregique meo ad ſanctiſſimos Tuos Pedes provolutus imploro, et expoſco.

In-

INDICTIO SYNODI



ALEXANDER MATTHÆJUS ex Ducibus Jovii, Patritius Romanus, Sanctissimi D. Nostri PII Pap. VI. Prælatus Domesticus, Pontificio Solio Assistens, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Ferrariensis.



Nnus jam quartus præteriit, ex quo Nos inscrutabili Dei consilio inclytæ huic Ferrariensi Ecclesiæ, meritis profecto impares, præpositi fuimus, ut ad Dominici gregis vigilias excubantes, eum in spiritu pasceremus, ejusdemque gressus dirigeremus in viam salutis æternæ. Neque tamen ullus ferme dies toto hoc tempore fuit, quo non illud occurrerit menti, quod veteribus Ecclesiæ Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, recentioribusque Summorum Pontificum Constitutionibus injunctum Episcopis tanquam præcipuam sui muneris partem esse novimus, ut nimirum iis apud se convocatis, quos & vitæ sanctitas, & sapientia mentis, & Ecclesiarum sollicitudo spectabiles reddit, quidquid corrigendis delictis, moribus ad optimam regulam restituendis, controversiis, siquæ sunt, ac diffidiis dirimendis, sedandisque necessarium, & utile unanimi consensione existiment, Pastorali probent auctoritate, atque Synodica Lege confirment.

Verum, præterquam quod necesse fuit primum gregem Nostrum cognoscere, & sacra Visitatione Diœcesim universam obire, eamque percurrere iterum, ut de observatis Nostris Decretis certiores fieremus; alia nec levia, nec pauca Ecclesiæ Nostræ negotia tantopere instare cœperunt; ut tempore nimis diuturno vix ad Synodalem actionem quidquam derivare potuerimus curarum Nostrarum.

Quamquam huic operi moram illud etiam injecit, quod, quum res pertractandas in Synodo, maxime quæ essent locis, temporibusve opportuniores, a Parochis Nostris intelligere voluerimus, datis ad ipsos litteris, monendo singulos excitavimus, ut illas inter se diligenter exquirerent, Nobisque significarent. Hæc deinde, aliaque multa singillatim voluimus in consultationem adducere, atque inter lectissimos ex utroque Clero viros discutienda proponere. Quod iterum tam salutarem istam, tam inculcatam, tantæque Nobis curæ habitam functionem in hoc usque tempus distulit.

Sed omnibus tandem, quæ opus erant, constitutis, universis, ad quos spectat, Nostram primam Synodum Diœcesanam indicimus inchoandam die quinto Junii decurrentis Anni MDCCLXXXI., eritque Feria tertia Pentecostes. Quod quidem toti faustissime vertat Ferrariensi Ecclesiæ: sicque Divinus ille Spiritus, qui olim per hosce dies Apostolis illabi dignatus est, totamque domum, ubi erant sedentes, replere, nostra quoque omnium pectora suorum charismatum donis imbuat, illustret, inflammet, ut quæcumque necessaria, vel utiliora fuerint, perspicere, & rite statuere valeamus.

Lætissimum quoque Nostris hisce conatibus auspicium ex eo sumimus, quod in Pentecostes Solemniis redit huic Urbi gratissima, nobisque omnibus quotannis commemoranda celebritas, qua sacram Deiparæ Effigiem vetustate, & miraculis claram aurea manibus Nostris corona inter effusam religiosissimi populi multitudinem, ac magnificentissimos, quibus licuit, ornatus, debito cinximus ritu; unde & major illi splendor, & frequentior, atque inflammatior Dei Matri cultus accessit. Quamobrem quum eidem pientissimæ Matri omnem sollicitudinem Nostram, studium, laborem, atque operam jam tum devoverimus, quum primum formidabile Pastoris onus, & curam, quæ tota Jesu Christi Filii sui caussa est, trementes suscepimus, nihil sane hinc non bene ominatum aggredimur, Nostrumque Synodalem Conventum tantis præsidiis feliciter concludendum confidimus.

Præcipimus itaque in virtute sanctæ obedientiæ, atque sub pœnis sacrorum Canonum jure sancitis universis, & singulis Dignitatibus, Canonicis, Archipresbyteris, Vicariis, Rectoribus, Clericis, tum in majoribus Ordinibus, tum in minoribus constitutis, atque etiam prima Tonsura initiatis, eisque præterea omnibus tum Sæcularibus Clericis, tum Regularibus, qui quovis jure, vel consuetudine Nostræ Diœcesanæ Synodo interesse debent, ut die indicto in Nostram Metropolitanam Ecclesiam mane conveniant; neque alii eorum nomine, sed ipsimet (nisi legitima caussa a Nobis probanda eos excuset); ibi vero, quum convenerint, maneant, quoad ipsa Synodus absoluta, ac dimissa de more fuerit. Quo autem unusquisque apparatu huc veniat, tum qua ratione cavendum, nequid detrimenti, absentibus e Diœcesi Pastoribus, patiantur greges, & siqua fuerint alia rite præstanda, Nostris litteris explicabimus, quum propius aderit indictus ad Synodum dies. Sciant

Sciant interea Fideles, quotquot Nobis subsunt, quod habituri sumus, Synodale negotium eo totum spectare, ut & Deo Omnipotenti augeatur in dies gloria, & animæ Nobis concreditæ solidam capiant, teneantque utilitatem. Quare omnes paterna charitate cohortamur, ut & Nostra, immo & sua, atque adeo communi omnium caussa pias Nobiscum ad Deum preces effundant, quibus uberius Nobis in solemniore illa Synodalium rerum tractatione auxilium implorent. Parochi autem omnes simul ac Nostrum hoc Edictum acceperint, ad id ipsum subjectos sibi populos vehementer hortentur.

Distincte præcipimus, ut post Dominicam in Albis quinta quaque Feria in singulas hebdomadas ad Synodum usque absolutam Sacerdotes omnes addant Orationem de Spiritu Sancto in Missæ Sacro, quod eo die faciunt. Immo ut eo die Missam celebrent de Spiritu Sancto, si ritus ferat, hortamur. Festis vero diebus Parochi Litanias Sanctorum ante Missam cum populo recitent.

Item edicimus, ut, quoties proximis tribus ante Synodum mensibus habetur in Diœcesi Congregatio Casuum conscientiæ, qui conveniunt Archipresbyteri, seu Vicarii, atque Rectores iterum secum ipsi mutuo percontentur in Domino, atque deliberent, numquid præter ea, quæ alias Nobis litteris suis exposuerant, aliquid denuo dignum occurrerit, quod in Synodo proponatur, idque Nobis saltem scripto tempestive significent. Omnes vero utriusque sexus Christi Fideles vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, qui Nostram Metropolitanam Ecclesiam die, qua Synodus inchoabitur, ac in omnibus, & singulis actualis illius celebrationis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel omnium peccatorum suorum Indulgentiam consequentur ex Brevi SSmi D. N. PII. Pap. VI. fel. reg. dat. Romæ XXVII. Februarii Anno MDCCLXXVII.

Jubemus tandem, hoc Nostrum Edictum & Metropolitanæ Nostræ Ecclesiæ, & omnium Parochialium cum in Civitate, tum in Diœcesi valvis publice affigi: quumque affixum sic fuerit, eam habere vim volumus, ac si eorum singulis, quorum interest, allatum, ac denuntiatum esset.

Dat. Ferrariæ ex Nostro Palatio Archiepiscopali die 1. Martii 1781.

ALEXANDER ARCHIEPISCOPUS FERRARIENSIS.


Ludovicus Saravalli Cancel.

ORATIO HABITA

IN PRIMA SYNODI SESSIONE

AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO



Enedictus Deus, & Pater Domini Nostri JESU CHRISTI, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, cujus ingenti beneficio hodiernus, quem tamdiu exoptavimus, Nobis dies affulsit; quo quidem die Vos omnes, Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii, in hunc sanctitatis locum, in circuitu Mensæ Domini congregatos intueremur, & omnium vestrum animos ad ea stabilienda, quæ Dei gloriam, & animarum salutem spectant, intentos, paratosque conspiceremus: neque sane fieri potest, quin hoc ipso die, ex tam frequenti conspectu vestro sentiamus singulari animum gaudio, atque jucunditate perfundi. Etsi enim quo tempore Diœcesim universam sacra Visitatione lustravimus Parœciarum frequentia, Templorum nitor, Pastorum zelus, Cleri mores, ac doctrina, sacrarum Virginum charitas, Populi ingenium ad pietatem magnopere conformatum, multaque præclara religionis argumenta ad magnam Nos lætitiam evocaverint; speravimus tamen fore, ut, quam jam tum animo conceperamus, maximus hodierno die cumulus eidem accederet. Nec modo speravimus, sed plane confidimus, iis, quæ ad Omnipotentis Dei gloriam, atque ad commissi Nobis Dominici gregis salutem, utcumque a Nobis incœpta sunt, in hac solemni Synodalium rerum tractatione, communi consilio, opera, studio postremam manum imponendam. Cur non igitur vehementer recreemur, & in Domino gaudeamus?

Subest tamen (nihil enim dissimulare possumus) importuna, quæ Nos etiam afficit, cogitatio; ne hi scilicet Cætus iis utilitatibus, & commodis careant, quæ ceteroquin percipi vel maxime possent: sunt enim interdum, qui Synodicos hosce Conventus vix quidquam amplius, quam externam quandam, neque multum utilem

con-

consuetudinem complecti putant: quorsum enim (facile ajunt) novæ ferantur Leges, quum tota morum instituendorum ratio in antiquioribus Conciliis abunde contineatur? Sunt qui latas Leges humano respicientes obtutu, iis parent, non tam ut conscientiæ consulant, quam ut pœnam effugiant. Sunt tandem, qui recta quum sentiant, & alacres Synodo intersunt, & quidquid Lege sancitur, lubentes accipiunt, sed haud longo post tempore charitatem primam relinquunt, ac defervescunt. Itaque siqui ex hisce inter nos habeantur, Nobiscum paulisper advertant volumus primi, quo Synodi spectent, alteri, quo eis spiritu parendum, tertios, ut quod susceperint constanter teneant, hortabimur.

Ac sane a veritate aberrarent plurimum, siqui in ea sententia essent, ut putarent, nullam majorem hic Nobis esse rem peragendam, quam, ut externam zeli speciem, ac sollicitudinis umbram adhibeamus. Agitur D. O. M. honor, animarum salus; agitur integritas Fidei, Ecclesiæ obsequium, Religionis cultus, disciplinæ Ecclesiasticæ retinendæ, firmandæque ratio: Nostrum est diligenter inquirere, siquid infirmum sit, ut consolidemus, siquid confractum, ut alligemus, siquid perditum, sive abjectum, ut reducamus, vel erigamus. A Synodo probandi, qui lance æquissima excutiant animarum regimini præficiendos: in Synodo ii designandi, quibus cognoscendæ, definiendæque caussæ ab Apostolica Sede mandentur: hoc etiam tempore eligendi, quibus Synodalium Decretorum custodia quodammodo, atque cura mandetur. Ad gravissima ista discutienda, agenda, firmanda huc omnes Ven: Fratres convenimus.

Neque alius aut Sanctissimorum Pontificum, aut Tridentinæ Synodi animus, neque alia mens fuit, quum Diœcesana Comitia, non modo commendarent Episcopis, sed eadem iterum, iterumque habenda præciperent (1): neque aliud Nos ipsi pro Nostra imbecilitate spectavimus, quum & singulos Parochos excitando monuimus, ut siquid sibi pro locorum, temporumque opportunitate necessarium, aut utile proponendum occurreret, ad Nos ipsi deferrent; & lectissimos ex utroque Clero viros in consilium adhibuimus; & publicas, privatasque subjecto Nobis gregi preces indiximus. Huc igitur Synodus tota contendit, ut, siquid Ferrariensis Ecclesia e vetere suo decore excidit, eam iterum Christo Jesu tanquam Sponsam ornatam viro suo undequaque compositam exhibeamus; atque ubi nihil excidit, eidem sine macula, & ruga servemus. Neque

(1) *Trid. Sess. XXIV. De Ref. Cap. II. Alex. VII. Const. XX. Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. I. Cap. II.*

Neque idcirco novas sive Leges, sive jura condi necesse est: sunt jam, eruntque, quoad litteræ, & scripta vivent, sapientissimæ Leges, quas coram universis Filiis Israel proposuerunt, qui spiritum intelligentiæ, quo repleti sunt, in Christianum orbem uberrime effundunt. Habuit Ferrariensis Ecclesia maximo Dei beneficio Antistites pietate, vigilantia, ac doctrina præstantissimos, qui optimis eam munire Legibus nullo unquam tempore destiterunt. At quum hominum animi proni ad malum ab adolescentia sæpe aut repugnanter, aut leviter Legibus imbuantur, nisi usque nova excitetur animadversio, & crebrius repetita ducantur monita, proclive nimis est Leges ipsas negligi, e memoria dilabi, in vitiosam sæpe desuetudinem abire. Itaque Pontificibus Maximis, sapientissimisque Patribus optimum visum est animorum levitatem, naturæque vitium Legum renovatione quasi firmare, figere, atque coercere, ut siquæ Leges temporis lapsu fuerint sive obliteratæ, sive neglectæ, ex hoc tali veluti interitu ad pristinam vim, dignitatem, integritatemque revocentur. Certe supremus Legislator Deus, quum tabulas fregisset Moyses ea de caussa, quod populus primum Dei infregisset Legem, novas quidem tabulas præcidi voluit *instar priorum*; sed *scribam*, inquit, *super eas verba*, *quæ habuerunt tabulæ*, *quas fregisti*: ex quo factum est, ut etiamsi novæ haberentur tabulæ, eadem Præcepta rursus inscripta fuerint. Quod si Pontificum Constitutiones, si gravissima Urbis Congregationum Decreta, si præsens & temporum ratio, & Diœcesis constitutio quædam a Nobis exigunt, quæ nova fortassis videri possunt; eæ non tam novæ Leges habendæ sunt, quam priorum, quas Pontificum consecravit auctoritas, declarationes, quibus antiquiores illæ illustrarentur, & magis enucleate, diligenterque proponerentur.

Agite ergo, Venerabiles Fratres, & sententias, non tam Nostras, quam sanctissimorum Pontificum consentientibus animis suscipite: Præcepta audite Patrum vestrorum, qui in hoc maxime incubuere, ut mundaremini ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. In memoriam revocate Præpositos vestros, atque illum in primis, cujus postrema est in hac Diœcesi Synodus, estque meritorum suorum memoria apud vos recens, MARCELLUM nempe Cardinalem CRESCENTIUM, qui ex eo beatitatis loco, quem jam consecutum in Domino plurimum confidimus, nequaquam pristinæ in gregem suum charitatis oblitus, sed paterno

(1) *Exod.* 34. 1.

paterno vos adhuc amore, eoque ardentiore complectens, hoc ipsum a vobis hodie postulat, ut audiatis, Filii, disciplinam Patris, ne dimittatis eam, ut custodiat vos, suscipiatis verbum, quod salvare potest animas vestras, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi.

Verum enimvero sive scribantur denuo veteres Leges, sive etiam novæ jubeantur, jam quæcumque Synodalibus Decretis continentur, non uno duntaxat externo obsequio, & servili quadam pœnarum fuga custodienda. Jamque Deo volente, & jubente ea omnia perfici, & observari certum est, quæ a Rectoribus legitimis constituta nobis perficienda, & observanda traduntur: clamat enim Apostolus; *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (1) atque iterum: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (2). Nemo vero dubitat dignos esse Legum Conditores Episcopos, ipsosque ea facultate pollere, ut quas Leges condunt in suos, eæ morum institutrices, & duces revera habendæ sint, & usus vitæ, cultusque præscribant omni jure, & conscientiam obligent. Dictum enim Episcopis: *Vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (3).

Nemo igitur vestrum humano ducatur spiritu, sed spiritum induat filiorum Dei, qui idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti; induat spiritum charitatis, ut serviens Domino, non littera, sed spiritu Præceptis se submittat non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Sit eadem vox vestrum omnium, quæ fuit olim filiorum Israel: Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus Præceptis ejus: offeramus mente prompta, atque devota hanc oblationem, quam vovimus tempore consecrationis nostræ; etenim si eo tempore, & statuimus, & juravimus custodire judicia justitiæ suæ, ut in sanctitate staremus coram Domino omnibus diebus nostris; exposcit omnino perfectio illa quam vovimus, sanctificationis nostræ, ut Præceptis attendentes expleamus Domini jussionem.

Sed quandoquidem sunt etiam, qui hanc Domini jussionem a principio quidem alacres, lubentesque explent, ac deinde temporis lapsu quasi retro respicientes, laborisque pertæsi despondent animum, atque deficiunt; hos vehementer rogamus, atque obsecramus, ut attentius, ac sæpius secum ipsi considerent, quidnam sua ipsorum dignitas poscat, quidnam ardentissima erga ipsos charitas Christi, qualis illa

(1) *Ad Rom.* 13. 5. (2) *Ad Heb.* 13. 17. (3) *Act.* 20. 28.

illa sit, quæ eosdem manet, corona gloriæ, quanta præmiorum magnitudo, si modo curaverint ad destinatum persequi, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu.

Audite ergo (verbis Ambrosii (1) vos loquimur) audite Nos stirps Levitica, genus Sacerdotale, propago sanctificata, Duces, ac Rectores Gregis Christi, audite Nos rogantes pariter, & verentes, ut quum honoris prærogativam monstramus, congrua etiam merita requiramus.... Vos ii estis (multo potiore jure dici vobis potest) quos separavit Deus ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu Tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei (2): ut quid vero a populo segregantur, & munus Deo specialiter fiunt, nisi ut divisam a populo vivendi rationem teneant, & cæremoniis divinæ Legis jugiter excubantes insistant (3)? non ergo vos pigeat, quod vobis impositum est jugum, libenter, constanterque ferre, præsertim quum leve ipsum, ac suave sit; nihil enim in hisce, quas edicimus, Legibus durum, nihil asperum, nihil difficile: namque ita omnia disposita, ac temperata confidimus, ut nec habeant infirmiores, quod reformident, nec studiosioribus desit, in quo ipsorum zelus exerceatur.

Quod si grave aliquid, ac difficile esset, aut tale temporis diuturnitate redderetur, nonne ab infinita ea charitate, qua in sortem vos suam vocavit, ac segregavit Deus, ad currendam viam mandatorum Domini constanti animo excitari deberetis? nam si divinorum beneficiorum magnitudo, quæ sunt ceteris e Christiano populo plane communia, nullis omnino compensari, nedum æquari obsequiis potest; quem nostrum non excitabit, quem non commovebit immensa illa Dei nostri erga nos pietas, qua ad reliqua beneficia illud etiam adjunxit, profecto maximum, ut infinita sapientiæ, & bonitatis arcana, thesauros absconditos, ineffabilia portemus, atque tractemus Sacramenta Dei? Itaque nostrum est, Venerabiles Fratres, tota vita efficere, ut exhibeamus nos tanquam Dei Ministros, sobrios, benignos, justos, integritate irreprehensibiles, charitate ferventes, sapientia honorabiles, & in habitu sancto testimonium habentes bonum, ne simus offensioni cuipiam, sed omnibus exemplo bonorum operum,

Cum enim verissima sunt, quæ monet Apostolus (4), disciplinam scilicet omnem in præsenti videri non esse gaudii, sed mœroris

(1) *De dignit. Sacerd.* C. 2. (2) *Num.* 16. 9. (3) *Petr. Dam. Epist.* 5. C. 2.
(4) *Ad Hebr.* 12. 11.

roris, postea autem exercitatis per eam pacatissimum reddere fructum justitiæ; tum etiam sunt illa solatii plenissima. Laboremus igitur, sicuti boni milites CHRISTI JESU, probemus nos operarios inconfusibiles. Est siquidem merces operi tuo, ait Dominus: quænam vero merces? pro levi nimirum, ac momentaneo labore æternum gloriæ pondus retribuetur; pro fideli quidem, sed brevissimo obsequio dabitur unicuique nostrum ingredi in æternam requiem, intrare in gaudium Domini sui. Quam magna Domus Israel! quam pulchra Tabernacula Jacob! Beati, qui habitant in Domo tua Deus; in lumine tuo videbunt lumen, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Anne fieri potest, quominus harum rerum meditatione animus exardescat, suamque quisque imbecillitatem, & infirmitatem erigi, ac confirmari sentiat? Nam si Moyses (1), propterea quod in remunerationem aspiceret, majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum improperium Christi; si David inclinavit cor suum ad faciendas justificationes propter retributionem (2); si antiquiores illi quodvis tulerunt & laborum, & ærumnarum genus non acceptis retributionibus, sed eas a longe aspicientes; quidnam est, quidve esse potest, quod tantis propositis præmiis non eligamus & facere, & pati?

Exposuimus vobis, Venerabiles Fratres, quæ Nos cogitatio, atque cura mox afficiebat: verum Deus ipse consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, eam Nobis etiam ex alto spem injicit, quæcumque in hoc Synodali negotio a Nobis agentur, & alacriter suscipienda, atque ab omnibus firmiter, constanterque servanda. Ipse enim vires præbebit, qui solus infirmitatem nostram in tanta præsertim animorum inconstantia, in tanta periculorum varietate, atque copia adjuvare potest. Levemus igitur omnes oculos in montes, unde veniet auxilium nobis.

Adsis, o Divine Spiritus, quique per hosce dies a Patre in Christi Nomine ad Apostolos missus es, ut eos doceres omnem veritatem, nostris etiam mentibus illabere, ut quæ opportuna sint hoc ipso in loco sanciamus, quæque sancita fuerint, justis operibus compleamus.

Tu vero, Mater pulchræ dilectionis, agnitionis, ac sanctæ spei, quam sequentes non deviamus, quam rogantes non desperamus, qua protegente non metuimus, Tu, quæ mittis disciplinam sicut lucem, doctrinam illuminas omnibus, & illam relinquis quærentibus sapien-

(1) *Ad Heb.* 11. 26. (2) *Psal.* 118. 112.

pientiam, universum hunc Cœtum hisce præsertim diebus, quibus singulari te honore prosequimur, benigna respice, votis fave, cœptis assiste Nostris, ut Te præeunte, Te juvante in viis justitiæ ambulemus, in medio semitarum judicii (1).

Vos denique in vota, precesque invocamus Tutelares Angeli Dei; Vos, quorum Aræ, Religionesque apud Nos vigent; Vosque in primis Beatissimi Patres, ac Patroni Nostri GEORGI, ac MAURELI, quorum præstantissima ope stat, atque, uti confidimus, stabit semper hæc vestra Civitas, atque Diœcesis: vestro Vos Patrocinio perficite, ut sit nobis cor unum, atque anima una, ut a rite tradenda justitiæ norma nullis difficultatibus territi, nullis tentationibus victi deficiamus.

Sed jam totum opus, qui misericordia sua incœpit Deus, pari ipse charitate perficiet, quo & novum Ferrariensi Ecclesiæ accedat decus, & populi salus incrementum capiat, & major semper accrescat gloria bonorum omnium Auctori Deo, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

(1) *Ex Eccl. Cap. 24.*

ORATIO HABITA
IN SECUNDA SESSIONE
AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO
D. DOMINICO LAURENTI
VICARIO GENERALI



Astoris vigilantissimi vocem audistis, Venerabiles Fratres, hesterno die, qui super custodiam suam stans, & figens gradum super munitionem (1) suam, desiderari studium, zelumque Legis minime passus est, ut gregem suum ad eam virtutis regulam, rationemque componeret, qua, ruga omni, vel macula ab eo sublata, gaudium, & corona Episcopalis sui Ministerii dici possit.

Fuit hoc certe ab ipsis, ut ita dicam, Ecclesiæ primordiis in veteri ipsius more, ac disciplina positum, Sapientissimi Viri, ut in unum, quoad possent, Ecclesiarum Præsides, Presbyterique convenientes (2), ea, quæ deessent, corrigerent, Traditiones probarent, eos, qui perversa ut alios seducerent loquebantur, in Doctrina sana redarguerent, populumque denique omnem optimis constitutis Legibus bonorum efficerent operum sectatorem: quibus certe officiis tota Episcopi in grege suo tuendo, pascendoque ratio, ac disciplina continetur (3).

Mitto hic, ut in re Vobis Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimis Viris satis perspecta, dicere quæ ex hac Synodorum frequenti celebratione in Ecclesiarum regimine commoda profecta sint, quo prædicari satis Antistitum illorum cura, ac diligentia non possit, qui nedum veteris (4), sed & novissimæ per Tridentinum Concilium (5) constitutæ disciplinæ memores, frequenti hac Synodorum celebratione formam sibi aliquam regendi gregis, solemniori ritu aliquo adhibito, constituerent, iis in consilium adscitis ex Ecclesiastico Ordine Viris, qui Juris totius Ecclesiastici scientia, prudentia, dignitate, ætate denique, ac rerum experientia ceteris antecellerent. Quod eo consilio præcipue factum est (ut cum sanctissimo illo Mediolanensis Ecclesiæ Pastore Carolo Borromæo loquar), vel quod cautior esse solet deliberatio, si ad nostram judicium multorum sententiam accesserit, vel quod apud illos, quibus consulere maxime cupimus, majorem habet auctoritatem illa consultatio, in quam plures unanimi consensione convenerint (6). Quare si de Synodorum utilitate verba mihi facienda essent hodierno die, videtis, opinor, ea potissimum commemo-

(1) *Ex Habac.* 2. 1. (2) *Thomassin. vet., & nov. discipl. Par.* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 45. (3) *Vid. S Gregor. Magn. Lib. Pastor. cur. Cap.* 12. *Bernard. in Epist. ad Eugen. III.* (4) *Conc. Nic. I. Can. V. S. Leo Par.* 1. *Epist.* 16. (5) *Sess. XXIV. Cap. II. De Ref.* (6) *Ex Orat. in Conc. Mediol. I. ann.* 1561.

memorari a me posse, quæ de Generalium Conciliorum utilitate disputarunt eruditissimi Viri (1), non quod illis eadem, atque istis auctoritas, ac firmitas adscribenda sit; patet enim Generalium Synodorum Leges, ac Dogmata Ecclesiæ totius, quæ columna, & firmamentum est veritatis, vocem quandam Divino Spiritu afflatam continere; sed quum Generalia illa Concilia universam Ecclesiam respicinat, Synodi vero istæ certis Diœceseon limitibus circumscribantur, statuant illa Fidei Dogmata, hæ tueantur, generalem illa denique disciplinam constituant, hæ peculiarem; eo tamen utraque tendunt, & spectant (2), ut, quum omnes huc Ecclesiæ Ministri convenerint, ex hac quasi specula singulis Provinciæ partibus circumspectis, & Ezechielis Prophetæ voce admoniti, quod periit requirant, quod abjectum est reducant, quod infirmum est consolident, quod pingue, & forte custodiant (3).

At quoniam satis hæc Vobis nota sunt, illud præterea urgendum mihi maxime est oratione mea, ut quæ in sancta hac Synodo a vigilantissimo Antistite nostro constituenda sunt, studio, observantia, ac favore vestro tueamini (4), quumque gravissima hujusce rei ratio tota duobus sit quasi cardinibus, & fundamentis constabilita, quorum alterum Legum, quæ statuentur, sanctitate, alterum Legum ipsarum, quæ constitutæ sint, observantia a nobis maxime promovenda continetur; in utroque hoc Synodi hujusce scopo fideles nos esse oportet, atque prudentes: quod certe præstabimus, si prudentiam in iis proponendis, quæ utiliora videantur, fidem vero in iis exequendis, quæ constituta sunt, diligentissimam adhibuerimus.

Qua in re probanda non pervulgato illo solum, at satis valido tamen utar argumento, eam nimirum humanarum Legum omnium esse naturam, ut parum sit optimo consilio aliquid definire, nisi quod definitum est sedulo præstetur: verum quum de Ecclesiastica summa apud Ecclesiasticos Viros agatur, id ipsum ex Legum, quæ statuendæ sunt, natura, id ex ipsius Ecclesiasticæ Hierarchiæ munere, ac dignitate, id denique sanctissimorum Virorum auctoritate facile, brevissimeque demonstrari posse contendo.

Age vero: quorsum celebritas ista, ac frequentia præclarissimorum in Ecclesiastico Cœtu Virorum instituta est? Quid sibi volunt emeritissimi Archiepiscopi nostri concepta jamdiu hujus Synodi celebrandæ desideria, ac vota? Quid tot ad Vos omnes congregandos amantissimæ adhibitæ adhortationes, precesque? Quid ad gravissimum opus perficiendum tot a Patre luminum, totiesque implorata subsidia? Quid tot ad ea definienda, quæ graviora sunt ex sacrorum Canonum disciplina habiti jam peritissimorum Virorum Cœtus? Quid vestra, sapientissimi Theologi, requisita toties consilia, ac suffragia? Quid denique repetitæ coram eodem præclarissimo Antistite a gravissimis Viris, ac satis diuturnæ Sessiones? Nonne hoc sibi proposuisse vigilantissimum Præsulem arbitrabimur, ut, Synodo habita, eam iniret rationem, qua diligentissime provideret, ut, siqua sunt, *quæ sacris oporteat Legibus coerceri*, ut in Forojulensi (5) Concilio Paulinus ille Aquilejensis loquebatur, sapientissime moderaretur, *possetque ita præterita corrigere, præsentia suffulciendo constituere, futura præcavendo vitare*. . . . . Ast

(1) *Bellar. Controv. Tom.* 3. *De Concil.* (2) *Conc. Narbonen. ap. Labb. Tom.* 15. (3) *Ex Ezec.* 34. 16. (4) *Orat. in Conc. Cameracen. ann.* 1565. *ap. Labb. Tom.* 15. (5) *Conc. Forojulens. ap. Labb. Conc. Tom.* 7.

Aſt irrita erunt Paſtoris optimi vota, niſi ad ea implenda, veſtrum, Præclariſſimi Viri, ſtudium acceſſerit. Sit enim hoc munus Epiſcopi proprium ea providiſſe omnia, quibus Templorum nitor, Sacramentorum adminiſtratio, Verbi divini Prædicatio, Cleri concordia, ac diſciplina, populi denique totius vel corrupti, vel minus recti mores ad priſtinam integritatem revocari poſſint: veſtrum autem porro eſt quæ ab eo excogitata ſunt ita perficere, ut, ſi ædificii cujuſdam præclari, & nobilis Architectus quidam ipſe, atque Auctor fuerit, Vos, ut ſeduli, & ſtrenui Artifices opus, quod ipſe inſtituit, exædificetis, & perficiatis: non enim omnia curare, atque efficere per ſe Epiſcopus poteſt, non ubivis adeſſe, non omnium introſpicere ingenia, mores, naturam, non omnium vel neceſſitatibus occurrere, vel votis.

Quare ut a primis Eccleſiæ ſæculis hæc fuit in Chriſtiano Grege regendo inſtituta diſciplina, ut in ſuarum ſollicitudinum partem non Corepiſcopos modo, ſed & ruſticarum in primis, tum urbanarum Parœciarum Rectores vocarent Epiſcopi (1), ſic etiam eſſe noſtra hac etiam ætate Diœceſeon regendarum formam pro certo vos habetote, ut provide certe regi vel ab optimo Antiſtite ſine Parochorum, & Cleri totius ſui miniſterio non poſſint.

Has autem præcipue partes Synodalibus expleri Legibus, atque Decretis certiſſimum eſt. Primam ſibi certe curam hoc in opere vindicat Epiſcopus ipſe, cujus eſt gregi univerſo attendere, in quo Spiritus Sanctus poſuit illum regere Eccleſiam Dei: hinc tota in Synodales Conſtitutiones obligandi vis, atque poteſtas. Verum ea hæc ſunt providentia conſtituta, ut quum Legum ipſarum Sanctionem veſtro adhibito conſilio in Synodo Epiſcopi reſervarint, earum tamen obſervantiam Vobis, ut fidelibus Adminiſtris præcipue velint eſſe commendatam. Quapropter iiſdem pæne verbis alloqui nos hic omnes in Dei Nomine congregatos videtur optimus Præſul, quibus fortis ille Nehemias contribules alloquebatur ſuos, ut collapſum, incenſumque Dei Templum, averſoſque muros urbis omni ſtudio reſtituerent: *venite, & ædificemus muros Jeruſalem* (2).

Quæ non eo a me conſilio dicta eſſe ſuſpicemini, ut deformatam omnino florentiſſimam hanc Ferrarienſem Eccleſiam putem, quam ſapientiſſimis Legibus, Inſtitutis, Miniſtris, ac Clero præclariſſimo a Prædeceſſoribus ſuis munitam, ornatamque noſter hic ſtudioſiſſimus Antiſtes accepit. Sed quum ea ſit rerum omnium conditio, atque natura, ut optima quæque, ſi ea, qua par eſt, vigilantia non cuſtodiantur, in deterius ſenſim prolabantur, & concidant, præcavendum maxime hoc nobis eſt, ut inimici hominis illius, qui zizania ſuperſeminare bonas inter fruges per ſummam calliditatem molitur, ac tentat, frangamus impetus, detegamus fraudes, audaciam denique comprimamus, & contundamus. Opponamus teterrimo hoſti ſanctæ hujus Synodi propugnaculum quaſi quoddam, atque cuſtodiam: opponamus nos, qui ſumus Miniſtri Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Nos etenim Apoſtolicum ſalem Dominus miſit; condire ergo mentes Fidelium debemus, ut non vituperetur Miniſterium noſtrum; neve ſimus Sæcularibus lapis offenſionis, & petra ſcandali.

Non recedat, & fortiſſimo illi Joſue a Deo dictum eſt (3), *volumen Legis hujus ab ore tuo*: ſit ea omnibus communis cura, ut in eo meditemur: & quo-

(1) *Petav. Diſert. Eccl.* 11. *n.* 8., & *Thomaſſ. loc. ſup. cit.* (2) 2. *Eſdr.* 2. 17. (3) *Joſ.* 1. 8.

& quoniam lectionis studium parum utile est, nisi prompta animi quædam alacritas ad ea præstanda, quæ nobis præscripta sunt, quasi comes accesserit, hinc alterum illud servari omni nobis studio, ac contentione par est, ut custodiamus, & faciamus omnia, quæ scripta sunt in eo, dirigamus viam nostram, & intelligamus eam; & juxta Apostoli monita attendamus *lectioni*, *exhortationi*, *& doctrinæ* (1); *non enim auditores Legis justi sunt apud Deum*, *sed factores Legis justificabuntur* (2). Simus ergo factores Verbi, non auditores tantum.

Quæ quum ita sint, adeste animis vestris, Sapientissimi Viri, quos, ut in Cameracensi Synodo (3) optimus Præsul Ministros adhortabatur suos, *per viscera charitatis hortamur*, *ut opus hoc vestro favore*, *industria*, *ac diligentia adjuvetis*, *ipsamque Ecclesiam novum aliquando pro sua dignitate molientem regatis*: *expectandum enim est*, *ut Deus convertat manum suam ad nos*, *&*, *ut in Isajæ libro scriptum est*, *excoquat*, *ac purget argenti nostri scoriam*, *nosque omnes pristinæ Ecclesiæ puritati*, *ac sanctitati restituat*. Quum enim editis olim Constitutionibus nisi iterata Synodorum celebratione novus addatur vigor, sensim neglectæ pæne obsolescunt, & in desuetudinem abeunt; quia etiam electa semina in agro repurgari, & evelli a subcrescentibus noxiis herbis quandoque, ac sæpe oportet. Faciamus itaque quod periti rerum rusticarum agricolæ peragere solent, qui vetustate effœtas, & dilabentes vites, ut feraciores resurgant, atque uberiores fructus ferant, curvant propagine, iterumque depangunt. Neque vero, ubi Synodalium Legum observantia promovenda sit, terreri Vos, aut falli eorum qui secundum mundi leges omnia metiuntur, vel minis, vel excusationibus unquam patiamini.

Scio severioribus quibusdam, at pro temporum conditione necessariis Legibus exulcerari eorum animos solere, qui disciplinam aversantur; at contemnamus, ut in Concilio Mediolanensi II. scriptum est, contemnamus voculas istas, popularesque insipientium voces, nobisque ponamus ante oculos libertatem illam spiritus, quæ Dei Ministrorum propria laus est, quaque instructi Apostolici Homines pro Dei gloria, pro Ecclesiastici Ordinis dignitate, pro Christiani Gregis salute censoriam illam virtutem peccatorum omnium vindicem adhibuerunt.

Illud profecto agamus, Venerabiles Ecclesiastici, quod ratio docet, quod Evangelium præcipit; Legum enim etsi optimarum utilitas nulla juxta illud Apostoli Jacobi, nisi, quod sancitum verbis est, reipsa studiose efficiatur; agamus tandem quod amantissimus, ac præstantissimus noster inculcat Antistes, quod Supremus denique Ecclesiæ Pastor Pius Divina Providentia Papa VI. (cujus auspiciis Synodalia Decreta propediem sunt evulganda) proponit, & optat, qui singulari, qua in omnes fervet, sapientia, ac summa charitate Ferrarienses in primis complexus Archiepiscopum ea ipsa de gente dedit, de qua Innocentius II. natus Sedem hanc e Divi Georgii suburbiis in Urbem Ferrariam transtulit (4); agamus, inquam, ut Ecclesiastico Ordini, ut Christiano populo veteri sacrorum Canonum restituta disciplina, novus quasi quidam virtutis, & sanctitatis splendor illucescat; sicque nos erimus forma gregis facti ex animo, & Spiritus Dei erit in nobis, aspicientes tantum in Auctorem, & Consummatorem Jesum Christum. ORA-

(1) 1. *ad Tim.* 4. 13. (2) *Ad Rom.* 2. 13. (3) *An.* 1565. *ap. Labb. Tom.* 15. (4) *Vid. Platin. cum annot. Panvin. Tom.* 2. *pag.* 359. *edit. venet.* 1765.

ORATIO HABITA

IN TERTIA SESSIONE

A REVERENDISSIMO DOMINO

IGNATIO ALOYSIO PRAMPOLINI

CANONICO PRÆPOSITO



ON ſum neſcius, Eccme ac Rme Præſul, Ampliſſimi Patres, magni momenti onus humeris meis eſſe impoſitum, dum hanc in conſpectu veſtro ornatiſſimo orandi provinciam injunctam mihi eſſe video, ubi tot clariſſimorum Patrum oculos in me conjectos conſpicio. Nec ſine magna animi trepidatione id facere poſſum, quippequi ab omnibus eloquentiæ, ac doctrinæ præſidiis me imparatum eſſe intelligo: & niſi rei, temporiſque, ipſaque muneris mei ratio paulo me animoſiorem redderet, ad Vos hodierna die ſermonem habere vehementer timerem. Quæ igitur venia mihi negari deberet, ſi hanc dicendi occaſionem mea voluntate ſuſciperem, eam mihi dandam eſſe confido, quod invitus facio, ut Vos oratione detineam, quæ non variis ſapientiæ luminibus, neque ſacræ eruditionis copia, ſed veſtra tantum patientia non parum ornamenti recipere poteſt. Favete itaque animis, & auribus, Religioſiſſimi Patres, Tuque in primis Eccme, ac Rme Præſul, & Paſtor vigilantiſſime mihi adeſto, atque ita erige animum, ut dum ex innumerabilibus, quæ de Sanctionum Synodalium neceſſitate, ac præſtantia dici poſſent, pauca quædam breviter attingo, & rei, & loco, & illi de me neſcio quomodo jam concitatæ expectationi aliqua ſaltem ex parte ſatisfaciam.

Fuit olim ea temporum felicitas, ut tum etiam quum hominibus non ad ſobrietatem ſapientibus, ſed rerum novarum cupidiſſimis, atque ob inſignem animi arrogantiam honores appetentibus, falſas de Deo ſententias, pernicioſaſque opiniones vulgantibus afflicta prope, ac miſere vaſtata Chriſtiana Reſpublica videbatur, qui ejus Clavum tenebant, collatis conſiliis, conjunctiſque viribus eam ab omni improborum impetu ſalvam, & incolumem præſtiterunt. Vix enim de errore per aliquam Provinciam diſſeminato fama percrebuerat, religioſiſſimi Eccleſiarum Antiſtites auctore plerumque Pontifice Romano Conventum agebant, deque tam peſtifero morbo profligando omni cura diſceptabant. Quorum pietas, ac vigilantia ita proſpere ſuccedebat, ut divinæ Religioni ſua majeſtas brevi conſtaret, Eccleſiæ autem ſplendor priſtinus, Chriſtianiſque tum quies, cum ſecuritas aliquo temporis ſpatio intercepta redderetur. Neque vero ſuum illi a vitæ Religionis ſtudium perſpicue oſtendebant, quum opinionum monſtra improviſo apparerent, ſed eadem prorſus celeritate, & ſollertia in gre-

gis

gis sibi commissi custodiam intendebant, si vitia aliquando fœdiora irruerunt, morumque corruptionem pedetentim serpere intelligerent. Nam quum in solemnibus illis Comitiis diu secum ipsi deliberassent, ea præsertim remedia adhibenda esse censebant, quæ maxime idonea malis cohibendis viderentur. Quapropter usu obtinuit, ut Provinciarum Episcopi crebro convenirent, atque de exstirpandis zizaniis, quæ agrum Domini infecissent, invicem consilia conferrent. Quin etiam Canonibus Apostolorum, deinde Concilii Nicæni, & Antiocheni Decretis, Summorumque Pontificum Epistolis sancitum est, ut annuatim Episcoporum Synodus bis ageretur; nihil enim ad Ecclesiasticas controversias dirimendas, & cetera Religionis negotia componenda utilius fieri posse credebatur.

Ac ne Episcopi in sua quisque Ecclesia rite administranda aliorum Provinciæ Antistitum opem expectare tenerentur, potissimum quum vel morbi, vel itineris difficultas, vel Cœli tempestates, vel bellorum tumultus ejusmodi Comitia impedirent, sapientissime cautum, & a Tridentinis Patribus confirmatum est, ut singulis annis Synodi Diœcesanæ celebrentur. Quemadmodum enim necesse est patremfamilias domesticos suos sæpius observare, ut uxoris mores, liberorum ingenium, servorum fidem, & diligentiam exploret, siquidem omnes velit in officio manere, & familiam efflorescere, ita quoque Episcopum, cujus omnes cogitationes in pascendo grege ei divinitus concredito sint, convenit assiduo meditari, quid forte opus sit, ut integra, atque illibata Fides servetur, ut vigeant mores incorrupti, optima instituta retineantur, vitia exulent, omnium denique virtutum exempla dominentur.

Non sunt igitur hominum profanorum voces illæ audiendæ, qui quum Ecclesiæ regulas prorsus ignorent, nec ulla sacræ disciplinæ cura tangantur, non solum Diœcesanos hos Conventus contemnunt, sed mordent etiam, atque ut otiosorum Sacerdotum colloquia traducunt: quasi vero inepti fuerint, qui superioribus ætatibus quum de restituenda Ecclesiæ dignitate afflante Divino Spiritu in commune consulebant, præstantissimum adversus ingruentia mala remedium ejusmodi Cœtus indicarent: quasi vero non semper novæ necessitates emergerent, quæ Episcoporum sollicitudinem, & studium requirunt, ne accepta a majoribus doctrina periclitetur, ne morum innocentia inclinet, ne in Clericos divinæ Legis ignorantia, desidia, rerum cœlestium oblivio, humanarum desiderium irrepat, ideoque jam non in sortem Domini vocatos, sed ad terrenas voluptates natos esse arbitrentur: quasi vero non in dies cresceret de Religionis Mysteriis, de Ecclesiæ disciplina, de æternis justitiæ regulis, de futura etiam vita, atque adeo animorum immortalitate opinandi licentia, quæ non solum viros, & in litteris minime hospites, sed juvenes etiam indoctos, & imperitissimas fœminas pervasit, infecit, corrupit: quasi vero majorum nostrorum pietas & continentia quotidie retro non laberetur, atque omnes cujusque Civitatis ordines veluti pestilenti quodam sidere afflati levitatem, nugas, otium, ac spectacula non avidissime sectarentur, nec rariora fierent Christianæ charitatis, sanctimoniæ, verecundiæ, aliarumque virtutum exempla. Hæc, inquam, minime intelligunt, vel se non intelligere simulant, quotquot nostras Synodos dicteriis proscindunt, qui quidem pro summa sua in Christi Præcepta, æternamque Religionem incuria facile paterentur in locum veteris, ac germanæ Fidei Novatorum deliria, aut Gentilium etiam portenta nobis btrudi.

Præclare tamen intellexit Metropolitanæ hujus Ecclesiæ Antistes sapientissimus, quem præsentem veneramur, & cujus conspectu frui boni omnes quam diutissime cupiunt, quam ad animorum nostrorum salutem conducat totius hujus Diœcesis Conventum habere. Et sane ex quo primum die immortali Dei beneficio Ferrariensi huic Ecclesiæ istis præsertim temporibus præfectus fuit, hoc sibi maxime in animo proposuit; multoque prius suum ipse consilium perfecisset, nisi rebus omnibus in Civitate religiosissime compositis totam Diœcesim semel, ac iterum pede evangelizante peragrare voluisset, & pagos etiam obscuriores non Vicariorum opera, sed per se diligenter observare, ut cultus divinus ubique ferveret, majoraque in dies incrementa sumeret, ut populum in germana pietate confirmaret, ac Dei Ministros ad vitæ innocentiam, charitatem, temperantiam, rerum divinarum contemplationem, Religionisque studium accenderet. Jamque eum de divinis rebus in magna populi frequentia sæpe numero disertissime loquentem audivimus, & vos, Amplissimi Patres, non semel audistis, quo illustri exemplo reliquos ad idem munus obeundum invitavit. Plura nos ipsi oculis hisce nostris conspeximus pietatis opera ipsius studio, atque cura in hanc Civitatem, & Diœcesim invecta, aucta, illustrata, unde omnes cujuscumque conditionis, atque ætatis in Christiani hominis officiis eruditi, liberalioribus Indulgentiis a Summo Pontifice impetratis ditati ad Sacramenta rite suscipienda disponi possint: nullum tandem est spirituale subsidium, nullum vigilantissimi Pastoris onus, quod ipse prætermiserit, ex quo ad hominum pietatem accessio prope incredibilis facta est. Sed vereor, Amplissime Præsul, in tuis laudibus diutius immorari, quam perspecta animi tui moderatio patiatur, qua præconia mereri, non audire egregium semper duxisti. Verum, quod hanc ipsam Synodum coegeris, debita laus non est supprimenda; quandoquidem quæ publice prosunt, plurimum interest, ne silentio tegantur. Ante duo sæcula auctores non defuerunt, qui animadversione dignum esse scripserunt, olim hos Conventus indici consuevisse, ut Episcopus simul cum Presbyteris de Cleri disciplina, de caussis Ecclesiasticis, de doctrina divina deliberaret, nihil enim, quod paulo gravius esset, Episcopos absque eo Cœtu, ac veluti Senatu quodam facile decrevisse, sed hujus honestissimi moris vix umbram retineri. Ex adverso autem hac ipsa ætate nonnulli Diœcesanas Synodos intermitti suspicantur ex aliquibus caussis politicis, ne Clerus inferior Sanctuarium Episcopale curiosius inspiciat, inque ferendis Canonibus auctoritatis partem sibi vindicet. Quare est omnino manifestum, si forte in aliquos Ecclesiarum Antistites cudi hæc faba possit, tamen Archiepiscopum nostrum hac suspicione absolvi oportere, qui nunquam dubitavit graviora negotia de Ecclesiastici Senatus sententia transigere, nihilque magis exoptat, quam culminis sui prærogativam cum iis, quos prudentissimos judicat, communicare, ac de Ecclesiæ suæ utilitate, & disciplina cum ipso Clero perquam familiariter consulere. Qui si majorem dignitatis suæ, quam cœlestis Regni rationem haberet, non facile in hujus Diœcesis procuratione aliorum consilia perquireret: at quoniam Dei gloriam, verum Ecclesiæ splendorem, Sacerdotum sanctitatem, populi denique salutem unice sibi proponit, ultro, libenterque nos consiliorum suorum, ac Pastoralis sollicitudinis participes facit, nec quidquam patitur hujus Conventus disputationi subtrahi, quem auguratur omni studio effecturum, ut

tot ejus curæ in restituenda Ecclesiastica disciplina susceptæ non infeliciter succedant.

Atque ne spes optima concidat, operisque instituti providentissimum Antistitem pœniteat, meminisse debemus, Episcopalem Synodum etiam in judicio hæresis probabilem fidem facere, adeoque maxime a Fidelibus esse habendam. Quum enim non semper Œcumenicorum, aut Provincialium Conciliorum copia esset, præsertim si in Occidente essent indicenda, propterea quod ea regio frequentibus gentium barbararum incursionibus dilaniabatur, civilibusque etiam bellis Toparchæ omnia miscebant, unde minime tutus erat commeatus, Episcopi in sua quisque Diœcesi Clerum convocare solebant, ad eumque de Fidei integritate, de morum disciplina, ac de Presbyterorum controversiis referebant. Cujus Conventus Decreta viam quodammodo majorum Comitiorum definitionibus sternebant, erantque veluti plenioris judicii quædam præparatio. Quod si in rebus Fidei tantam fuisse Episcopalium Synodorum auctoritatem constat, quale demum pretium earum Sanctionibus statutum fuisse existimabimus, in quibus publici moris emendatio, recta Cleri institutio, sacræ denique disciplinæ redintegratio intendebatur? Multa sane tum in veteribus, tum in recentioribus ejusmodi Comitiis tanta sunt sapientia descripta, ut lætiora Christianæ Reipublicæ tempora si redirent, non essent repudiatura. Neque vero difficile est ejus rei caussas assignare; nam quum ea Comitia non alio essent comparata, quam ut contractæ aliquando in vita maculæ sive a Clericis, sive a reliquis Christi Fidelibus eluerentur, atque in Ecclesiam gliscentes morbi propulsarentur, non poterant qui optimis consiliis, atque insigni pietate in unum conveniebant, non sanctitatis, & sapientiæ plenissimas regulas ponere, quarum observatio novam omnino rerum faciem, & ad cœlestem gloriam unice compositam afferebat. Deinde ea est cujusque publicæ administrationis natura, ut res melius, utiliusque gerantur, quum non privata opinione quidquam suscipitur, sed hominum prudentum exquiruntur sententiæ, seniorumque in primis experientia consulitur. Itaque quos maxime principes historiarum monumenta nobis commendant, nihil fere ipsi per se decernere, sed in consilium viros gravissimos adhibere consueverunt. Postrema vulgatissima sunt Christi verba, quibus promisit, se in medio eorum futurum, qui in ejus nomine essent congregati.

Non est igitur quod dubitemus, Synodales Cœtus ope divina sustineri, in iisque, si omnia ad debitum finem referantur, cœlestia lumina liberalius affulgere. Quo circa etiamsi regundis nostris actionibus, populique moribus conformandis Pastoris nostri imitatio plurimum valere potest, tandem danda a nobis opera est, ut quidquid in hoc frequenti consessu definitum, constitutumque erit, id modeste, diligenterque perficiamus. Plane in tanta sæculi licentia nulla nobis ratio melior ostendi potest, qua sacrum Ministerium nobis impositum sancte obeamus, Christianarumque virtutum exempla in omnes hujus Diœcesis partes dimanent: non omnibus semper irrigui fontis copia esse potest; per nos veluti per nitidissimos rivulos ejusdem fontis beneficium ad absentes deferatur. Cogitandum est nobis, omnium oculos in nos esse conversos, & suo quodammodo jure omnes flagitare, ut vitæ innocentia, justitia, pietate continentia, charitate universo gregi præeamus, dignosque nos Dei Ministros exhibeamus. Quæ ut ex voto eveniant, a te, Creator Spiritus, enixe petimus,

 ut

ut Antiftiti noftro corporis, atque animi fanitatem, & in regendo fuæ fidei commiffo grege rectitudinem, ac diligentiam confirmes, ut fuper nos lucis tuæ radium emittas, quo mens noftra illuftretur, & ad rerum cœleftium meditationem erigatur. Accende cor noftrum divinæ Legis defiderio, adde voluntati noftræ ftimulos, ut contemptis hujus mundi præftigiis futuræ vitæ immortalitatem unice fpectemus, in quo tanto magis tuum nobis auxilium neceffarium eft, quanto fine tuo numine nihil effe in homine innoxium apertius profitemur.

OFFICIALES SYNODI

JUDICES QUERELARUM, ET EXCUSATIONUM.

D. Joannes Baptifta Comes Bonacoffi Prælatus Domefticus SSmi D. N. PII Pap. VI. Archipresbyter Ecclefiæ Metropolitanæ J. U. D.
D. Ignatius Aloyfius Prampolini Præpofitus Ecclefiæ Metropol. J. U. D.
D. Pius Æneas Marchio de Obitiis Primicerius.
D. Dominicus Delfini Cuftos S. T. D.

PROMOTORES SYNODI.

Pro Civitate.

D. Lucas Ferrari Canonicus Theologus Examinator in poftrema Synodo, & Theologus Dominationis Suæ Illmæ, & Rmæ S. T. D.

& pro eo

D. Ludovicus Bottoni Canonicus Theologus Coadjutor S. T. D.

Pro Diœcefi.

D. Georgius Macerafi Canonicus Pœnitentiarius J. U. D.

SECRETARIUS SYNODI.

D. Canonicus Joannes Montanari J. U. D.

LECTORES, SEU COADJUTORES SECRETARII.

SACERDOTES
Jofeph Mantovani / *Nicolaus Merlini* — *Manfionarii Ecclefiæ Metropolit.*
Aloyfius Genta ex Coll. Beneficiat. ejufd. Eccl.
Thomas Gardenghi Parochus Ciftæ.
Jofeph Pafi Parochus Foveæ Arboris.

PRO-

Procuratores Cleri.

D. Joannes Baptista Arienti Archidiaconus.
D. Antonius Malvezzi Decanus.

Præfecti Disciplinæ, et Scrutinii.

D- Joannes Baptista Comes Bonacossi Archipresbyter.
D. Ignatius Aloysius Prampolini Præpositus,
D. Canonicus Carolus Cecati.
D. Canonicus Aloysius Dalla Fabra J. U. D.
D. Canonicus Hieronymus Isnardi.
D. Canonicus Joseph Coghi.
D. Canonicus Petrus Jacobus Bresciani.
D. Canonicus Franciscus Pagliarini.
D. Canonicus Paulus Antonius Scalabrini J. U. D.
D. Canonicus Coadjutor Joannes Benedictus Coatti Anguilla.
D. Canonicus Coadjutor Joannes Paroli S. T. D.
D. Canonicus Coadjutor Joseph Prampolini J. U. D.
Sacerdos Laurentius Dorighi ex Collegio Beneficiat. Seminarii Rector.
Sacerdos Joseph Medici Sacrorum Canonum Lector in eod. Seminario.

Œconomus pro Cathedratico.

D. Joannes Galvani Thesaurarius.

Præfecti Hospitiorum.

D. Laurentius Roverella Canonicus Supranumerarius.
D. Franciscus Comes Roveroni Canonicus Supranumerarius.
D. Nicolaus Salmi Canonicus Supranumerarius.
D. Joannes Canevari Canonicus Supranumerarius.

Confessarii Cleri.

D. Joannes Giacometti Primicerius Coadjutor S. T. D.
D. Canonicus Ludovicus Naselli.
D. Canonicus Georgius Macerasi Pœnitentiarius.
D. Canonicus Ludovicus Bottoni Theologus Coadjutor.

Joan-

SACERDOTES
Joannes Bognini Mansionarius.
Laurentius Brusaferri Mansionarius.
Dominicus Soncini Prior Collegii Beneficiatorum.
Ignatius Baruffaldi ex eodem Collegio S. T. D.

P. Mag. Nicolaus Augustinus Chignoli Ord. Præd. Ex-Vicarius General. Congr. S. Sabinæ, in Regia Universitate Taurinen. Sacr. Theolog. Professſ. emerit., & in ultima Synodo Examinator.

P. Angelus Clemens a Luca Ord. S. Francisci Min. Observ.

P. Mag. Laurentius Altieri Ord. S. Francisci Min. Convent. S. T. D., & in hac Pontif. Univ. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Pub. Prof.

P. Magist. Antonius Mini Ord. Congr. Carmelit. Curat. in Eccl. S. Pauli S. T. D.

P. Fidelis a Castro S. Petri Ord. S. Francisci Min. Capuc.

P. D. Joannes Maria Camozzi Cleric. Regul. Theat.

MAGISTER SACRARUM CÆREMONIARUM.

Vincentius Marchi ex Collegio Beneficiatorum S. T. D.

SUBMAGISTER.

Ludovicus Cagnolati ex eodem Collegio.

COADJUTORES MAGISTRI CÆREMONIARUM.

SACERDOTES
Patritius Borsetti.
Petrus Benetti.
Alphunsus Morandi.
~~*Franciscus Silvestri.*~~
Ex eodem Collegio

OSTIARII.

SACERDOTES
Philippus Grigna.
Franciscus Mantovani.
Ludovicus Barini.
Franciscus Viviani.
Ex eodem Collegio

NOTARIUS.

Sacerd. Ludovicus Saravalli ex Col. Benefic. Canc. Archiep. ad Eccles.
Coadjutor Scipio Cittadella Notarius.

TESTES AD ACTA SYNODALIA.

D. Alphunsus Comes Muzzarelli.
D. Joseph Comes Crispi.

SS: Georgius, et Maurelius Patroni

Ste. Tofanelli fec. — Ant. Capellan incid.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ
ET
INDIVIDUÆ TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.
AMEN.

Nos ALEXANDER MATTHÆJUS ex Ducibus Jovii, Patritius Romanus, Sanctissimi D. Nostri PII Papæ VI. Prælatus Domesticus, Pontificio Solio Assistens, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Ferrariensis.

Ad Omnipotentis Dei gloriam, & Beatissimæ Mariæ semper Virginis, ac Sanctorum Martyrum Georgii, & Maurelii Civitatis, & Diœcesis Patronorum honorem, & laudem ea, qua fungimur sive ordinaria, sive delegata auctoritate hæc, quæ sequuntur, in hac prima Nostra Diœcesana Synodo legitime congregata statuimus, sancimus, & promulgamus.

Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in Sanguine Testamenti æterni, Dominum Nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Hebr. 13. 20., & 21.



PARS PRIMA

DE FIDE CATHOLICA.



Uod sanctissimorum Patrum more, instituto-que receptum fuit, ut in Ecclesiasticis Conventibus omnium primum de Fide Catholica ageretur, illud hoc potissimum tempore Nobis faciendum est, quo SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PAPA PIUS VI. omnium Ecclesiarum Antistites gravissimis verbis hortatur, & commonet, ut morbo illi, quem *nostrorum temporum nequitia parturit, unanimes, conjunctisque viribus necessariam adhibeant medicinam, ne dissimulatione Nostra, insanabilis in Ecclesia nutriatur, atque excrescat pestilentia* (1). Quapropter jam ab ipso hujus primæ Synodi initio omnes, quotquot sunt pastorali Nostræ curæ concrediti, monemus, & quantum possumus, obtestamur, ut stent in Fide. Est nempe nobis jam ad justitiam credentibus semper aspiciendum in Auctorem Fidei, ac Consummatorem Jesum; multisque eidem votis, ac precibus, Beatissimorum Petri, ac Pauli ope interposita, supplicandum, ut quam Fidem in Baptismo cum Spe, & Charitate infusam accepimus, eam ipse in nobis perpetuo tueatur, & majoribus ad extremum usque spiritum incrementis perficiat. Deinde confortati in Domino, & in potentia virtutis ejus, in omnibus sumamus necesse est scutum Fidei, quo possimus ignea nequissimorum tela extinguere, quosque habemus

(1) *Epist. Encycl. ad univers. Episc.* 25. *Dec.* MDCCLXXV.

ſive apertos, & publicos, ſive privatos, ac veluti familiares, Fidei hoſtes arcere. Nos interim tradere aggredimur, qualem quiſque in corde Fidem tenere ad juſtitiam, quandonam eandem ore profiteri ad ſalutem, quibus maxime ab adverſariis ſibi cavere, qua tandem ratione eam in ſemetipſo augere debeat.

CAPUT I.

DE FIDE TENENDA.

Qui multifariam, multiſque modis loquebatur olim Deus in Prophetis, quique in plenitudine temporum (1) locutus eſt Apoſtolis in Filio, unicam ipſe conſtituit Eccleſiam, quam haberemus Eloquiorum ſuorum Cuſtodem, atque Interpretem fidiſſimam, columnam, & firmamentum veritatis (2). In hac autem Fidelium univerſitate, quæ in plures jam ab initio partes diſtributa fuit, Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra (3), cujus Epiſcopus eſt ſupremum, atque viſibile Eccleſiæ Catholicæ Caput, Vicarius Chriſti, ac Petri Succeſſor, quem hodie in Sanctiſſimo PIO VI. agnoſcere, ac venerari profitemur. Quamobrem & firmiter credere debemus quæcumque nobis divina Fide credenda Sacroſancta Romana Eccleſia proponit, ac docet: & quoſcumque ipſa errores divinæ Fidei adverſos damnat, ac rejicit, eoſdem nos vero mentis, atque animi aſſenſu rejicere, atque damnare debemus. Verum tametſi ad æternam felicitatem conſequendam ſatis ſit, multa ex iis, quæ credenda proponit Eccleſia, generatim tantum, atque *implicite* credere; ſunt tamen nonnulla, quæ ſingillatim, ac diſtincte a ſingulis teneri, & credi neceſſe eſt: atque horum alia neceſſitate, quam ſacri Scriptores appellant *Medii*, alia neceſſitate *Præcepti* (4).

I. Itaque edocendi ſunt Fideles, teneri ſe elicere actus Fidei (ſicut etiam Spei, & Charitatis) neque tantum ſemel in vita, aut ſaltem in mortis articulo, vel quolibet quinquennio, vel quum tenentur juſtificari neque alia ſuppetit via, ſed ſæpe, per ſe, ac peculiaris præcepti vi (5).

II. Omnes item Fideles memoria teneant Symbolum Fidei, vel,

(1) *ad Heb.* 1. 1. (2) 1. *ad Timoth.* 3. 16. (3) *Trid. Seſſ.* 7. *Can.* 3. *de Baptiſ.* (4) *Vid. Emum Lamber. Inſt.* 72. (5) *Ex prop.* 1. *int. damn. ab Alex. VII.*, & 5., 6., 7., 16., 17. *damn. ab Inn. XI.*

vel, si nimis hebetes sint, saltem ejusdem Symboli substantiam, Orationem Dominicam, ac Præcepta Decalogi, quæ sunt cuique naturali, ac divino jure servanda (1).

III. Id quo facilius obtineatur, Parochi populum frequenter doceant formulas, quibus Theologicarum Virtutum actus exprimuntur (2), easque sic ad verbum, & clare pronuncient, ut a populo repetantur. Id vero fiat, quoties habetur Cathechesis. Præterea severe præcipimus, ut idipsum fiat in qualibet Parochiali Ecclesia Civitatis quovis die festo mane, ad Missam nempe, quam dicunt Parochialem: in Parochialibus vero Diœcesis bis; nempe ad memoratam Missam; & præterea ad extremam, sive aliam, quam Parochus quisque definiet. Semel autem definitam horam volumus constanter retineri. Proponantur etiam identidem Indulgentiæ, quas Summi Pontifices sunt iis elargiti, qui ejusmodi actus emittunt. De illis in Synodi Appendice (3).

IV. Idem sancimus quoad omnia publica Oratoria ruralia, quæ a Parochiali Ecclesia distant mille passibus. Igitur diebus festis, dum ibi peragitur divina Res, iidem actus recitentur a populo repetendi (4). Imo vero si ex inducta vel inducenda consuetudine in istis Oratoriis duæ Missæ quovis ut plurimum die festo celebrentur, ad utramque iidem actus sunt a Celebrante similiter recitandi (5). Si quem Sacerdotem hac in re, etiamsi raro, deficere Parochi deprehenderint, id Nobis renuntiari jubemus, quo remediis opportunis utamur.

V. Ne qua vero in Theologicarum Virtutum actibus exprimendis pueris præsertim, ac rudibus suboriatur confusio, visum est plane necessarium, ut una, eademque hujusmodi actuum formula ubique apud nos statueretur. Itaque unicam in posterum esse mandamus, quæ in Civitate, ac Diœcesi recitetur ad populum, eaque sit, quam Appendici apponemus (6).

VI. Ut autem Christiano populo magis persuasum sit de harum rerum tenendarum necessitate, proderit ad id plurimum, si Parochi sæpe denuntient, non posse homines Deo per Sacramentum Pœnitentiæ reconciliari, nisi prius excussa ignorantiæ caligine ad agnitio-

(1) *Can.* Vos ante *de consacr. dist.* 4. *S. Augustin. de Symb. ad Cathecbe. Lambert. ibid.* (2) *Bened. XIV. Const.* Etsi minime *XLII. Bul. T.* 1. (3) *Vid. Append. pag.* 4. *n. II.* (4) *Lambert. ibid.* (5) *Quid præterea agendum in hisce Oratoriis die Dominico vid. C. IV. N.* 12. *hujus primæ partis*. (6) *Append. pag.* 3. *Num.* 1.

tionem Fidei educantur: hinc absolvi neminem posse, qui non sit necessariis Fidei rudimentis instructus. Illud autem fixum animo semper habeant Confessarii, invalidam esse absolutionem Sacramentalem, siquis eàm ignoranti res necessarias necessitate *medii* impertitur. Item sedulo advertant, in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate *præcepti* suo vitio nescit, & eo quandoque casu Pœnitentem absolvi posse, quo hujus suæ omissionis vere ipsum pœniteat, simulque ex animo promittat, nullum a se diligentiæ genus omissum iri, ut divinæ gratiæ præsidio res istas edoceatur (1).

VII. Sic Parentes, Tutores, Dominos, aliosve, quibus maxime puerorum cura demandata est, quosque antea monitos, & nihilominus in procuranda sibi subditorum ad recte credendum, atque agendum institutione graviter, pro cujusque munere, desides Confessarii repererint, omnes sine absolutione dimittant.

VIII. Ad Sacramentum neque Confirmationis, neque Matrimonii, neque ad suscipiendos in Baptismo infantes, aut in Confirmatione puellos ii admittantur, qui nondum tenent Fidei Mysteria, Præcepta Decalogi, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac eorum, quæ, aut petunt, aut tenentur suscipere, Sacramentorum virtutem, & vim (2).

IX. Interim quum populus Christianus iis imbuitur, quæ credere, ac tenere debeat, curandum est, ut illud etiam intelligat, neminem esse posse, ut ex Tridentino Concilio conceptis verbis monemur, qui *suæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Ecclesia ..... aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore edendæ forent* (3).

X. Quinimmo etsi optamus vehementer, ut inter Christianos ii sæpe etiam in communi consuetudine sermones habeantur, qui pietatem fovere possunt; quæstiones tamen Fidei sedulo sunt evitandæ: neque enim fere sine gravi tum loquentium, tum auditorum scandalo

(1) *Ex eadem Const. Bened. XIV. Vid. propos. 64, & 65. ex proscript. ab Innoc. XI.* (2) *Ex Bened. XIV. ibid. Can.* Vos ante *de Consecr. dist. 4. Pontif. Rom. par. 1. tit.* De confirmandis. *S. Carol. in Conc. Provinc. V.* Quæ pertin. ad Matrim. Sacram. (3) *Ses. IV. Decr. de Edit. & usu sacr. Libr.*

dalo solent induci ; si quæ proinde incidant, ad eos, ad quos pertinet, prudenter deferendæ. Quod si Laici de rebus ad Fidem spectantibus disputent vel publice, vel etiam privatim, intelligant, vi sacrorum Canonum excommunicationis pœnam sibi imminere (1). Nos vero Clericis Nostris etiam in sacro Presbyteratus Ordine constitutis ne id faciant, præcipimus: quamvis id tum Clericis, tum etiam Laicis liceat, si quis eorum sit in sacra Theologia licentiatus, vel sicui Nos id expresse concesserimus (2).

XI. Præterea cavendum diligentissime (3), ne quis verba, & sententias sacræ Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, ad libellos famosos convertere, & usurpare præsumat. Si quis contra fecerit, gravioribus pœnis & a Jure statutis, & arbitrio Nostro infligendis pro ratione criminis mulctabitur (4).

XII. Summus habeatur honos iis ne dum rebus, ac verbis; sed etiam sacris iis Libris, qui servant divinum Fidei Depositum, vel quorum in sacris Mysteriis, sive officiis per Ecclesiam est usus: quare nemo Libros hujusmodi, quantumvis obsoletos, mutilos, laceros sordidis, profanisve usibus addicat; utque ab injuriis serventur immunes, nemo iis divendat, qui ad hujusmodi probrum paginas illas sint interdum habituri.

XIII. Hæc autem omnia ita tradantur, ut discant Fideles, divinam Fidem non hominum, sed sola Dei loquentis auctoritate niti: credimus enim Deo revelanti, & accipimus Testimonium ejus, docente nos Apostolo: *accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, Verbum Dei, qui operatur in vobis* (5). Item curandum, ut plebs Christiana eas, quantum fieri potest, rationes, atque argumenta percipiat, quibus fit evidenter palam, Deum locutum esse, atque eum revelasse quæcumque nobis ad credendum proponit Catholica Ecclesia: est enim & Deo gloriosum, & Fidei honorificum, & ipsius Fidei hostium ori obstruendo peropportunum, ut dum Christianæ gentes captivant intellectum in obsequium Fidei, noverint etiam, adeo rationabile esse obsequium suum, ut possint cum Propheta dicere: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (6).

CA-

(1) *Cap.* Quicumque. 2. §. Inhibemus. *De Hæreticis in 6.* (2) *ex Syn. Emi Cresc. pag.* 2. §. Cum vero. (3) *Trid. ibid. ad fin. Decr.* (4) *Vide Cap. V. bujus Partis N. XV.* (5) 1. *ad Thessal.* 2. 13. (6) *Ps.* 92. 5.

CAPUT II.

DE FIDE PROFITENDA.

DEsiit jam divina Providentia, ac pietate temporum quorumdam calamitas, quibus ob præpotentem hæreticorum magistratuum furorem sæpe Fideles, quam in corde alerent, Fidem publice prodere, auctoritate, atque armis cogerentur. Quo in periculo si versaremur, præ oculis habendum maxime esset, non posse absque scelere aut veram negari Fidem, vel falsam, quamvis tantum extrinsecus, ac pro redimenda mortali vita simulari. Imo si quis de sua Fide publica auctoritate rogetur, neque dissimulandum, neque tacendum, sed ea libere, fidenterque aperienda (1). Verum si, extinctis jampridem in hisce regionibus, atque prohibitis hæreticis Magistratibus, non ea Catholicis hodie tam frequens, ut olim, profitendi Fidem occasio objiciatur, fieri nihilominus potest, ut adhuc Fidei confessio alicui necessaria sit ad salutem, si quando, ea non edita, honor Deo debitus, aut utilitas alteri necessario afferenda subtrahatur (2). Sunt etiam qui ex Ecclesiæ institutione, atque Præcepto tenentur stato tempore in facie ipsius Ecclesiæ Fidei professionem emittere. Eam scilicet, juxta formulam a SS. PIO IV. præscriptam (3), quam in Appendice (4) dabimus, emittent coram Nobis, vel, si Nos impediti fuerimus, coram Vicario Nostro Generali, quotquot hic recensemus.

I. Quicumque in hac Nostra Cathedrali Ecclesia aut Dignitatem, aut Canonicatum obtinent, tum coram Nobis, tum in Capitulo a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses. Item intra idem tempus quicumque sunt Beneficium consecuti, cui sit cura animarum adnexa. Quod nisi fecerint, ii omnes neque fructus faciant suos, nec illis possessio suffragetur (5).

II. Nos autem tum ex Nostræ hujus Ecclesiæ, tum ex aliarum consuetudine, tum ex auctoritate Concilii Romani mandamus, idem quoque intra idem tempus fieri ab iis omnibus, qui mere simplex obtinent Beneficium (6).

III.

(1) *Vide prop. 18. int. proscr. ab Innoc. XI.* (2) *S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. in resp. ad 2., & 3.* (3) *In Const.* Injunctum Nobis. LXXXIX. (4) *Append. pag. 4. N. 3.* (5) *Trid. Conc. Sess.* XXIV. *Cap.* XII. *de Ref. eadem Pii IV. Const.* (6) *Conc. Rom. sub Bened. XIII. ann. 1725. Tit. 1. n. 4.*

III. Item novi Concionatores etiam Regulares, & similiter Sacerdotes, quum primo ad audiendas Confessiones etiam Monialium a Nobis probantur (1).

IV. Item quotquot docent cum in Civitate, tum in Diœcesi Theologiam, Philosophiam, Jus Canonicum, aut Civile, Medicinam, Chirurgiam, aut inferiores quaslibet Disciplinas, & Artes, etiam Grammaticam (2): quibus continentur etiam Docentes sine mercede. Æquum enim est, ut quotquot sive divinæ, sive humanæ Sapientiæ pabulo oves Christi suscipiunt nutriendas, publicum coram Ecclesia exhibeant, præstito etiam sacramento, sanæ Doctrinæ, ac Fidei testimonium. Idcirco ne Scholas, in quibus vel prima tantum Grammaticæ rudimenta tradantur, aperire quisquam audeat (3), quin expressam Nos illi, idque scriptis potestatem fecerimus; quam minime facturos denuntiamus, nisi & Fidei professionem emiserit, & Nos de vitæ, morumque illius honestate certiores facti fuerimus.

V. Item Vicarii Foranei, Procuratores, Promotores Fisci, Cancellarii, ceteri Archiepiscopalis Nostri Fori Ministri tam in Civitate, quam extra Civitatem constituti. Quibus scilicet præcipimus, ut in prima officiorum suorum susceptione Fidem profiteantur. Quod ipsum illustriore exemplo ille perficiet, qui maximam Ecclesiastici Fori partem moderatur, Vicarius Noster Generalis (4).

VI. Eandem professionem emittent quicumque sint Laurea in quacumque Facultate donandi (5).

VII. Hi omnes memoratam Fidei professionem emittant ipsi per se, minime per Procuratorem (6). Qui juxta hasce leges tenentur eam emittere, neque adhuc emiserint, perficiant id omnino intra duos menses a Synodo edita: quod si alicui grave nimis esset, se huc e longinquioribus Diœcesis partibus conferre, permittemus rogati, ut eam emittant coram Vicariis Foraneis, in quorum Plebibus sunt, modo adsint testes: Vicarii deinde Foranei istiusmodi Actus testimonium Cancellario Nostro intra mensem exhibeant.

VIII. Quare Cancellarius librum habeat, in quo nomina ordinate scribantur eorum omnium, qui Fidei professionem ediderint, additis Patria, ætate, gradu, tempore, loco, ejusdemque Actus caussa (7).

IX.

(1) *Id. Conc. Rom. ibid. n. 6., 7.* (2) *ibid. n. 8. vid. Const. Pii IV.* In Sacrosancta XXXVIII. (3) *Pius IV. ibid. S. C. C. in Asculana Apuliæ* 1697. (4) *Id. Conc. Rom. eod. Tit. n. 5.* (5) *Pius IV. ead. Const.* (6) *S. C. C. in Segunt. ann.* 1570., *in Valent.* 1610., *& alias. Plura de Fidei profess. Lambert. Inst. IX., idemque de Syn. lib. 5. cap. 2.* (7) *Synod. Emi Cresc. pag. 4 §.* Nomina, *& plures Synodi.*

IX. Si qui legibus hisce parere detrectent, pœnas dabunt, quas & sacri Canones statuunt, & Nos jure Nostro sumere possumus. Verum non minis, pœnisve propositis, quibus non nisi coacti, invitique in pervicaces utimur, moveri quemquam volumus, ut, quoties aut justæ intercidant caussæ, aut Pastoris a Deo constituti urgeat præceptum, veritatem, quæ divinitus ipsi in corde illuxit, quamque ex animo credit, ore ipso prædicare non vereatur. Illam potius inexplicabilis Præmii magnitudinem sibi proponat, quod a Christo Domino promerebitur, qui suavissima Charitate, ac plane divina pollicitus est, se se coram Patre suo eos esse confessurum in Cœlis, qui eum coram hominibus in Terris confiteri non erubuissent (1).

CAPUT III.

DE JUDÆIS.

QUod olim Paulus (2) Timotheum monebat, ut Fidei Depositum custodiret, hoc ipsum animarum Rectores frequenter subjectos sibi populos moneant, ut eundem Thesaurum ab iis præsertim, qui aut nullam habent Fidem, aut aliam a vera quam diligentissime tueantur. Hi enim facere nequeunt, quin à veritate, a qua ipsi aversi sunt, nostros etiam cum aperto bello, tum insidiis tectis, ac fraudoleutis avertere conentur. Hostes Fidei apertos, ac publicos habemus Judæos; qui etsi in medio Chistiano populo in testimonium veræ Fidei, ac ut tandem resipiscant, benigne sustineantur (3), eo tamen ingenio facile sunt, ut *ingrati illam retributionem impendant, quam, juxta vulgare Proverbium, mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere* (4). Quum enim *Judæorum mores, & nostri in nullo concordent, & ipsi de facili ob continuam conversationem, & assiduam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent* (5), nihil est, quod non ex eorum consuetudine, atque commercio, & in Christianæ Religionis contemptum, & in nostram perniciem timere debeamus. Quo circa Legum severititas eo maxime spectat, tum ut Judæi ab iis Cæremoniis, ac Ritibus, qui pietatem Christianam referunt,

(1) *ex Matth.* 10. 32. (2) 1. *Timoth.* 6. 20. (3) *ex Const. Clem. VIII.* Cæca, & obdurata *XIX.* (4) *ex Cap.* Etsi Iudæos 13. *de Iudæis.* (5) *Cap.* Ad hæc 8. *de Iudæis.*

ferunt, tum ut Fideles ab assidua cum ipsis consuetudine arceantur: sed hæc maxime juxta sacrorum Canonum disciplinam, atque Edicta Summorum Pontificum CLEMENTIS VIII., BENEDICTI XIV., SS. Domini Nostri PII PAPÆ VI. feliciter regnantis auctoritate edita habeantur.

I. Non solum Clericis, sed Laicis etiam, quicumque sint, interdicimus, ne cum Judæis cibum sumant, bibant, ludant, pernoctent: interdicimus, ne illorum choreis, festis, funeribus, cæremoniis intersint, quæ Christianos potius horrere par esset (1). Quod siquis contra fecerit, certe haud erit apud Nos Canonum severitas desideranda. Neque enim molestius quidquam animo Nostro unquam accideret, quam siquid labis ex hujusmodi Hebræorum consuetudine ovibus Nostris inhæsisse comperissemus.

II. Hujus tamen labis periculum longe proximius est, quum quis mercede aliqua ductus longum aliquem apud Judæos famulatum exercet. Ideo tum illud arcendum diligentius, tum in delinquentes gravius animadvertendum. Præcipimus itaque sub pœnis, quas sacri Canones sanciunt, ne Christiana ulla fœmina consentiat Judæis ancillari, neque eorum prolem lactare, aut nutrire (2). Item præcipimus, ne Christianus quispiam operam suam in Judæorum officinis, negotiis, muneribusve peragendis diutius locandam, aut præstandam suscipiat. Sed generatim de utroque sexu sic est habendum, ut Christianorum nemini liceat, se se assidue servitio Judæorum addicere (3), sive in illorum domiciliis præstandum illud sit, sive alibi. Quod si caussa incidat, ob quam videatur honestum opem ferre Judæorum alicui, Nostrum, seu Vicarii Nostri Generalis est cognoscere, & constituere in scriptis, quid, & quatenus in singulis caussis sit permittendum: quamquam ad permittendum profitemur fore difficiliores; nam, cæteris etiam caussis missis, quis facile ferat, ut filii Liberæ filiis famulentur ancillæ?

III. Quibus tamen aliquid demum permissum erit, ne putent sibi unquam licere, aut noctem inter illos ducere, aut convivari, aut quidpiam eorum gerere, quæ paulo supra prohibita sunt. Itaque ante horæ vigesimæ quartæ pulsum ab Judæorum finibus digrediantur, neque illuc, nisi transacta jam nocte, redeant. Quod si iterum

(1) *Cap.* Omnes deinceps *caus.* 28. *q.* 1. *Plur. habentur in Tit.* De Judæis. *Paulus IV. Const.* Cum nimis *III.* (2) *Cap.* Ad hæc 8. de Judæis, & *Cap.* Etsi Judæos 13. *Innoc. IV. Const.* Impia Judæorum *II.*, & *Paulus IV. ead. Const.* (3) *Cap.* Ad hæc 8. *ibid.*

rum evenerit, quod alias evenisse dolentes audivimus, ut Christiano judaicam domum adeunti occurrat Judæus minus verecunde indutus, totum id Nobis a Christiano deferri protinus volumus, ne tam effrons audacia impunis abeat.

IV. Sed nostris etiam ædibus prohibendi, quantum fieri potest, Judæi: certe siqui ex ipsis medicinæ arte polleant, hi nunquam vocandi, ut suis nos consiliis, præscriptionibus, medicaminibus juvent. Hoc enim adeo Christiano homine indignum existimant sacri Canones, ut si id fecerit Clericus, hunc deponendum; si Laicus, Ecclesiæ communione privandum indicant (1).

V. Notarii, aliæve Personæ publicæ caveant, ne aliquo in scriptis paulo insigniore honoris titulo Judæum quempiam appellent (2), ut saltem per effectum operis recognoscant, se esse servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit (3).

VI. Caupones severe monemus, ne Judæis ministrent cibos Christianis vetitos: monemus, ut ad arcendas eorum in divinum Redemptorem, suosque Sanctos contumelias illa cubicula, quæ Judæo alicui ad epulandum, multoque magis pernoctandum concedunt, sacris quibusvis Imaginibus, Ceris benedictis, Reliquiis, Crucibus spolient; quasque res omnes Christianam pietatem indicant a perfidorum aspectibus plane summoveant (4).

VII. Denique siquis Fidelis, sive mas sit, sive fœmina se se, atque Christianum nomen oblitus eo deveniat, ut cum Judæo, cujusvis sit sexus, impudice agere non vereatur; tale crimen esse noverit, ut illud Nobis absolvendum reservemus. Idem dictum volumus de hujusmodi actibus cum Infidelibus utriusve sexus (5). Hactenus de iis, quæ ad Christianos spectant.

VIII. Modo ad Judæos. Præcipimus, ut quicumque Judæus se se ad primam noctis horam intra suæ gentis septa recipiat; neque inde, nisi statis temporibus, egrediatur: universim iis nullo die fas sit egredi ante lucem. At omnino ipsis prohibitum prodire in publicum tribus postremis majoris nostræ Hebdomadæ diebus (nempe ab hora decima quarta Feriæ V. in Cœna Domini ad horam decimam octavam Sabbati Sancti.) Immo vero Feria VI. in Parasceve portas, atque fenestras, quæ Christianis patent, apertas ne habeant, sed

(1) *Vide Gregor. XIII. Constitut. LXVIII.* Alias pie. (2) *Paul. IV. ead. Const.* (3) *Cap.* Etsi Judæos 13. *de Judæis*. (4) *Plures Synodi*. (5) *Actus reservati exprimuntur in Tabella Reserv. num. VII.*

sed clausas teneant tota die (1). Qua in re siquod peccaverint, poenas dabunt carceris, aliasque arbitrio.

IX Quotiescumque autem, & ubicumque Judæi in publicum prodeunt, croceum signum toto superius pileo affixum gestent mares; fœminæ vero croceam præferant vittam, seu pannum capiti impositum, nequando qui observet eos pro Christianis habeat (2). Nequis autem tale signum sine peculiari facultate audeat deponere sub poena carceris, aliisque.

X. Siqui Judæi in hanc Civitatem hospites venerint, ad Vicarium Nostrum Generalem primo se conferant; ad Parochum autem, siquam lustrent Dioecesis partem: ab his petant morandi veniam, quam nonnisi juxta ex caussa concedent, eandemque in scriptis. In Civitate degant inter suos: in Dioecesi apud Caupones duntaxat, neque vero in Dioecesi post primam noctis horam vagentur, sed in Cauponis se se contineant usque ad diluculum.

XI. Caveant, ne scorta adeant, ac ne fœminas quidem, quarum fama integra non sit. Siqua fœmina, sive mercandi, sive alia caussa ipsos conveniat, ne eam in abditiores apothecæ recessus inducant, sed negotia, quæcumque sint, propalam agant, quin aliorum oculos unquam fugiant.

XII. Præcipimus, ne Monialibus, aut Puellis in Conservatoriis degentibus quidquam ipsi vendant, aut ab illis emant. Immo ab omni cum eis colloquio abstineant; ac ne ad cancellos, neque ad januas, vel tantillum temporis accedant (3): si secus faciant, poena ipsos manet scutorum saltem decem in usus pios erogandorum.

XIII. Fundos autem, ac bona quælibet stabilia suo, vel alieno nomine, quacumque ex caussa conducere nusquam per Nos ipsis permittitur, nisi illa sint intra fines jampridem ad eorum habitationem concessos: idque sub gravissimis poenis inhibemus, quas luent etiam ii, quorum simulato nomine constabit contractum initum (4).

XIV. Ab usuris, ac fraudibus, quibus in suis contractibus incautos Christianos irretiunt, prorsus abstineant, sive per publicas tabulas ipsi contrahant, sive etiam oretenus: neque ratione mutui ab eis quidquam extorqueant sub poenis, quas & Canones statuunt, & Nos ipsi jure Nostro sumemus (5).

 XV.

(1) *Cap.* Quia super his 4. *de Judæis*. (2) *Cap.* In nonnullis 15. *ibid. Paulus IV. Const ead.* (3) *S. C. Episc., & Regg. in Raven.* 1594. *rel. a Nicol. V.* Judæus. (4) *Vide Syn. Cresc. pag.* 5. §. Sub gravissimis. (5) *Cap.* Quanto amplius 18. *de Usuris. Vid. Bened. XIV. de Syn. Lib.* 10. *C.* 4. *n.* 12. 13. *Plur. Syn.*

XV. Ne a Christianis aut dicere audiantur, aut facere conspiciantur quidpiam eorum, quæ vel levissimum sapiunt contemptum in Dominum Redemptorem nostrum, aut illius Matrem Virginem, aut Sanctos, aut nostræ Religionis Cæremonias, ac Ritus sub pœnis (1) a GREGORIO XIII. inflictis. Item si obviam illis fiant piæ Christianorum familiæ, sive agmina, quæ Crucem præferant, donec illa transierint, ipsi secedant, & occultentur; quod faciendum sibi est, quandocumque etiam Salutationis Angelicæ signum edi audiant (2). Illi etiam, qui emendi, aut vendendi caussa urbem circumeunt vociferantes, abstineant a clamoribus, quum propius ad Templa, aut Oratoria publica Christianorum accedunt, aut ea non multum prætergressi sunt. Omnes a Catechumenorum domo quadraginta saltem passibus semper distent.

XVI. Ab eorum manibus, ac potestate subducimus pias Christianorum Imagines, sive pictas, sive sculptas, Cruces, sacras Vestes, ac Vasa, item aliud quodvis suppellectilis genus, cujus in Ecclesiis, sacrisve Ritibus est usus, pro ut latius habetur in Romanis Edictis. Quæ scilicet neque emere possunt, neque ullo nomine etiam pignoris oblata accipere, neque conficere, neque detinere, neque vendere sub pœna scutorum decem, aliisque, ut Nobis videbitur.

XVII. Libros item, sive tractatus, qui Catholicæ Religioni, aut Catholicorum moribus vel leviter adversentur, sive illi sint manu scripti, sive typis editi, ne vendere, evulgare, ac ne tradere cuiquam audeant. Immo ne eos legere quidem ipsis liceat, ac ne habere quidem apud se: quod nominatim præcipimus de libris thalmudicis sub pœnis, de quibus Apostolicæ Constitutiones (3).

XVIII. Diebus apud Christianos festis ne servile ullum opus Christiano imperent: immo ne ipsi quidem exerceant publice (4). Deinde ne Christianis quidpiam sine Nostro permissu vendant, sive apertis, sive clausis foribus. Quod si contingat, auctoritate Nostra punientur tum venditores, tum emptores.

XIX. Quum extet Nostrum peculiare de Christiana Concione ab Hebræis audienda Edictum (5), ipsum quoad singulas partes confirmamus. Hoc unum addimus, nulli Nos unquam subscripturos facultati obtentæ deponendi signum, de quo Numero IX., nisi certum Concionis diligenter auditæ testimonium habuerimus.

XX.

(1) *Const.* Antiqua Judæorum *LXX. Const. Clem. VIII.* Cum Hebræorum *XX.* (2) *Plur. Synod.* (3) *Clem. VIII. ibid.* (4) *Paulus IV. Constit. ead.* (5) *Extat in Append. pag. 6. N. IV.*

XX. Qui inter Hebræos ad Christum venire cogitant, noverint, se se non esse privandos bonis, quæcumque antea possedissent, neque excludendos ab adeunda paterna hæreditate (1). Commodiore siquidem conditione, etiam quoad hoc, esse par est ad Fidem Christianam conversos, quam antequam Fidem susceperint habebantur (2).

XXI. Ceteri caveant, ne suorum quemquam, qui voluntatem, seu desiderium Christianæ Religionis amplectendæ satis significaverit, impedire audeant, quominus exequatur, ac neque contradicant, neque dehortentur. Hoc enim apud Nos crimen habebitur severissime puniendum juxta pœnas in Constitutione Gregorii XIII. constitutas (3).

XXII. Si forte alteruter ex hebræis conjugibus ad Fidem conversus, ac Baptismate ablutus nuptias alias inire cogitet, noverit se non posse libellum repudii judaico more conjugi tradere. Verum debet prius partem, quæ inter Judæos remanet, interpellare, ab eaque petere, num velit ipsa secum sine contumelia Creatoris versari (4), ac Baptismum suscipere: si hæc renuat, tum denique poterit ille ad alia vota inter Christianos transire. Hæc omnia prænoscant Judæi, caveantque peraccurate cum ceteris, quæ in memoratis Edictis continentur.

XXIII. Postremo ad Gregem iterum Nostrum conversi quoscumque, & singulos Fideles peramanter monemus, hortamur, atque præcipimus, ut istiusmodi nostræ Fidei hostium familiaritatem sedulo fugiant. At non propterea sibi persuadeant, eos vel superbe tractare, vel contumeliose abigere Christianis fas esse, ne quando ipsi a Christo Domino audiant: *nescitis, cujus spiritus estis* (5): Vilissima quamvis illi sint hominum gens, religione, moribus, ingenio, negotiis, atque omni occupatione corrupta, ac proinde Legibus cum ipsis agatur severius, ac durius; nihilominus ii etiam sunt, quos jubemur Christiana Charitate complecti. Nulla itaque in eos convicia, nullæ contumeliæ, nulla ludibria: sed omnes potius, siqua ratione possunt, operam ad æternam eorum salutem procurandam conferant; atque præsertim apud luminum Patrem effusis persæpe precibus, & lacrymis instent, ut, qui neque Judaicam perfidiam a sua Misericordia repellit, auferat velamen de cordibus eorum; unde agnita veritatis luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur.

CA-

(1) *Clem. XI. Const.* Propagandæ *LXI.* (2) *Cap.* Judæi 5. *de Judæis.* (3) *Const. ead.* (4) *Bened. XIV. Const.* Apostolici Ministerii *XXXVIII. Bul. T.* 2. *Vid. eund. de Syn. Lib.* 6. *Cap.* 4. *n.* 3., *&c.* (5) *Luc.* 9. 55.

CAPUT IV.

DE HÆRETICIS, ET LIBRIS PROHIBITIS.

ALterum hominum genus ad Fidei puritatem lædendam, gentesque Catholicas subvertendas, ipsis etiam Hebræis magis aptum eorum est, qui etsi in Baptismo olim Christum induerint, sintque Christiano nomine insigniti, nunquam tamen Dominico agro superseminare zizania, atque Catholicam Fidem cominus voce, scriptis eminus aggredi desinunt. Nobis quidem, universæque Diœcesi Nostræ gratulandum, nulla hujusmodi monstra in hisce finibus saltem aperte ali, atque vivere. Sed quum possint hæretici homines per hanc Civitatem, & Diœcesim transire, quumque facilius possint sua ad nos scripta, librosque transmittere, idcirco duo diligentissime cavenda sacri Canones monent. Primum nequa intercedat inter Fideles, & Hæreticos familiaritas. Secundum ne Hæreticorum libri ad nos perferantur, a nobis retineantur, legantur. Incredibile namque est, quam celeriter perversa doctrina, non secus ac inimici hominis zizania, radices agat, pullulet, atque latissime propagetur: solliciti ergo, quantum cum Domino possumus, ut ea Catholica Fides, quam Nostra hæc Ferrariensis Ecclesia tot Sæculorum cursu tenuit, sine macula, & ruga in sua unitate servetur, hæc sibi Fideles non aliunde, quam ipsis plerumque Canonibus eruta, diligenter servanda proponant.

I. Ac primo nequis hæreticis quibuscumque domos sub commercii, mercimonii, aut alio quovis prætextu ad morandum, seu inhabitandum locare præsumat, aut gratis quomodocumque concedere; quique id agere, sive favorem ad id, opem, auxilium præbere audeant, iisdem puniendi pœnis, quibus Hæreticorum fautores sacri Canones plectunt (1).

II. Immo vero quicumque Catholicus hujusmodi homines sua & familiaritate, & hospitio indignos prorsus existimet, memor B. Joannis dicentis (2): *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum*. Quod si aliquid cum iis agere aut necessitas cogat, aut Charitas urgeat, a vanis colloquiis, & importunis interrogationibus, multo autem magis a Fidei quæstionibus se se

(1) *Greg. XV. Const.* Romani Pontificis B. Petri *XXXIII.* (2) 2. *Joan.* 10.

se se nostrum quisque temperet, nequando illi excitentur ad errorum suorum venenum evomendum (1): nemo porro cibos Catholicis vetitos eis ministret; ac siquis moriatur, id ipsum continuo Nobis denuntiandum.

III. Raro quidem continget, ut Catholicus quisquam novam in Fide doctrinam apud suos jactet. Haud raro tamen apud Catholicos fit, ut quidam sin minus de hæresi concepta certitudinem, certe quidem præbeant de corrupta sua Fide suspicionem. Præbent enimvero, qui commendare Hæreticorum, aut libertinorum scripta; qui de Indulgentiis, de sacris Ritibus, deque Ecclesiastica auctoritate obloqui audiuntur, remque omnem divinam parvi pendere videntur. Quid si in Ecclesiasticas lapsi censuras ita pudorem abjecerint, ut unius anni spatio insorduerint? Quicumque sint, de quorum errore in Fide non modo certo judicetur, sed vel suspicio habeatur, hi omnes intra triginta dies ad Tribunal Nostrum, sive sacræ Inquisitionis deferendi (2). Quod quidem onus tantum est, ut eo eximi nequeant Personæ quæcumque sint, neque Regulares, neque ii, qui accusationem nequirent legitime probare, aut crimen summo accepissent secreto, non ii denique, qui se se nunquam denunciaturos jurassent. Quare Confessarii suos tempore moneant Pœnitentes, neminem posse, si id renuat facere, aut negligat plusquam par sit, a peccatis absolvi; quin etiam latam esse in eos excommunicationis sententiam.

IV. Quum vero quinam habendi sint in Fide suspecti ab iis cognosci facilius queant, qui doctiores sunt, quique magis debent esse pro animarum salute solliciti, Parochos præsertim monemus, ut siquos in suis populis animadverterint depravatis moribus vivere, in horum verba, sententias, opiniones sagaciter pervestigent. Si vitium in moribus duntaxat constiterit, eos peramanter moneant, hortentur, ut resipiscant, simul etiam prudenter idoneis utantur remediis: sin inciderit ipsius Fidei suspicio, quantocius, uti modo dictum est, deferant.

V. Verum tanta animarum pernicies, quanta vix exprimi verbis, aut defleri lacrymis potest, a perversis libris existit, iisque præsertim, qui a transalpinis gentibus ad Italiam transvehuntur: neque enim in iis desideratur plerumque, siquod est, illecebrarum genus,

(1) *Vide quæ supra dicta sunt Cap. I. N. X. Vide Bened. XIV. de Syn. L. 6. C. 5. n. 1. 2.* (2) *Alex. VII. Const.* Licet alias *XCVIII. Paul. V. Const.* Romanus Pontifex *XXVI. Edic. S. Congr. S. Off. in App. pag. 7. N. VIII.*

genus, quibus indoctiores præsertim ad hauriendos errores, omnemque veneni speciem degustandam infeliciter adducuntur. Itaque sancitum fuisse, monemus, ne quis libros quavis ratione damnatos, sine Apostolicæ Sedis facultate, scienter legat, ac ne retineat quidem apud se, sub pœnis, de quibus Apostolicæ Constitutiones, & Supremæ Congregationis S. Officii Inquisitionis Edictum. Ast hujusmodi libri perferendi aut ad Nos, aut ad sacram Inquisitionem. Atque utinam hodie piorum nascentis Ecclesiæ Fidelium exempla haberentur, e qnibus *multi, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus* (1).

VI. Porro prohibitos libros retinere, aut aliis tradere ne vendendo quidem licet ipsis Bibliopolis, aut Typographis. Quamobrem habeant hi apud se Romanum vetitorum librorum Indicem recens excusum, eoque utantur opportune.

VII. Non solum autem a publicis negotiatoribus, sed ab aliis quibusvis, qui librorum conquirendorum avidi sunt, existere periculum potest, ne damnosæ lucubrationes advehantur, ac pervulgentur. Quamobrem per Canones, Apostolicasque Constitutiones, atque supremæ Congregationis S. Officii Inquisitionis Decreta fuerunt gravissimæ contra eos, qui id agerent, pœnæ constitutæ: quas omnino, aliasque insuper a Nobis decernendas subire compellentur.

VIII. Atque in Regionibus quoque Catholicis indoluit CLEMENS XIII. (2) *excudi, atque vulgari libros, quibus perversi homines limpidos, & illimes credendi fontes corrumpere, & Religionis fundamenta convellere, in ipsam Petri Cathedram irruere, & consecratas tot sæculorum consensu Traditiones labefactare conantur*. Quare ne id unquam in hac Civitate contingat, librorum Impressoribus juxta Lateranensis (3), & Tridentini Concili Decreta, nec non Sacræ Congregationis Indicis regulas præcipimus, ne eorum quisquam lucubrationes quasvis, aut effigies, easque vel sacras, vel profanas imprimendas sumat, quin facultatem a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali, eamque in scriptis retulerit, iis servatis, quæ in memorato Indice leguntur præscripta (4).

IX. Utque ea, quæ sunt hactenus constituta, fiant omnibus probe perspecta, Parochi omnes quotannis Edictum sacræ Inquisitionis, de quo nuper, promulgent, illudque populo, si expedire videatur, exponant diebus consuetis.

X.

(1) *Act.* 19. 19. (2) *Encycl.* Christianæ Reip. (3) *Sub Leone X, Sess. X.* (4) *Vid. Trident. Sess. IV. in Decr. de Edit., & usu sacr. Libr.*

X. Ipsi vero Parochi, atque Concionatores præsertim in Civitate omnem dicendi vim conferant, ut Fidelibus perversorum librorum periculum aperiant, damna enumerent, peccatum, censuras denuntient, atque omni, qua possunt, ratione contendant, ut quod ex Actis Apostolorum nuper retulimus, hoc etiam tempore eveniat. Fideles moneant, ut in tanta, ac tam pervulgata pessimorum librorum illuvie vigilent, tantoque facilius in suspicionem veniant, quanto confidentius quosdam sibi libros obtrudi viderint. Doceant, plurimos nunquam fuisse inter proscriptos libros relatos, qui tamen generalibus Indicis Tridentini regulis continentur. Doceant, plurimos etiam esse, de quibus nominatim vetandis nunquam est cogitatum, quos legere nihilominus ipso naturali, ac divino Jure minime licet, si nimirum corrumpenda inde in animo cujusquam jure timeatur, seu Fidei, seu morum integritas. Quod sane periculum iis omnibus imminet, qui sacrarum Litterarum imperiti, atque in Theologicis rebus jejuni quidquid uspiam latet erroris, ac vitii probe internoscere minime valeant, atque constanter repudiare. Doceant, ex obtenta hujusmodi librorum legendorum facultate in Foro quidem externo protegi, sed non idcirco culpam evitari, siquod ex eorum lectione aut Fidei, aut morum integritati periculum immineat.

XI. Confessariis hac in re vehementer confidimus: quare siquando Pœnitentes legendi cupidos deprehendant, iis se se prudenter insinuent, quæque nuper diximus eorum auribus, atque animis sedulo inculcent. At probe opus est calleant ipsi, quæ sint regulæ Indicis, qui sint damnati libri, quæque scripta, quo damnatio facta sit nomine, quæ censuræ hac in re sæpius decretæ, quasque præterea sibi Pontifices Maximi reservarint; tandem quidquid oneris iis impositum sit, quibus aliquem sine debita facultate vetitos libros aut retinuisse, aut legisse constet. Advertant, quasdam a religione, ac pietate abhorrentes sententias, quæ, bonis deplorantibus, interdum audiuntur, maxime pravorum librorum lectioni esse referendas. Hinc in hujusmodi re ne desides unquam sint, aut oscitantes.

XII. Verum qui fortasse omnium maxime possunt studiis Nostris ut officere, quod non timemus, ita & prodesse, uti confidimus, sunt tum privati, tum publici disciplinarum, atque artium Magistri. Quare non solum non expectamus, ut pravos auctores cuiquam legendos proponant; sed illud ab eorum pietate repetere posse censemus, ut siquando utile judicaverint ex scriptoribus hisce decerpere, quæ suis auditoribus tradant, semper eam notationem addant,

quæ magis in adolescentulorum animis horrorem excitet, quàm ullam legendi cupiditatem: suos moneant alumnos, quam sæpe factum, ut quidam solius ingenii viribus freti ab ea, quam inquirere videbantur, veritate longe aberrantes, in errores turpissimos inciderint.

XIII. Siqui ejusmodi pestes pro necessitate, sibique facta Apostolica venia evolvere aggrediantur, meminerint, quicunque sint, magna opus esse animum humilitate, prece, doctrina, critice armare, ne sibi forte fœdissima labes adhæreat, neve cancer exinde in multorum etiam exitium horrendum serpat, qui post innumeras strages quanto occultiores, tanto minus reparabiles pene curari minime valeat. Meminerint, quanta animi alienatione doctissimi, atque sanctissimi anteactarum ætatum Episcopi Hæreticorum libros attingerent, quamquam id eis facere fuisset ex IV. Carthaginiensi Concilio (1) *pro necessitate*, *ac tempore* concessum, ut confutarent: neque tamen idcirco potuerunt semper (2) piorum reprehensionem prorsus evadere.

XIV. Assumamus igitur religiosæ sollicitudinis zelum, & contra sævissimos Fidei, & animarum hostes (3) Nobiscum piorum cura consurgat, ut sicui innotuerit, quis dubius sit, quisve errans in Fide, quis hac in re suspectus, Nostræ sollicitudini fideliter indicent, ut Gregem Domini Nobis concreditum a quovis periculo arcere valeamus.

CAPUT V.

DE BLASPHEMIS, ET SUPERSTITIOSIS.

INter eos, qui sin minus veram ex animo Fidem expulerint, magnam tamen apud alios in suspicionem adducuntur, sunt præcipue, tum qui impurum os in Cœlum blasphemando ponere, tum qui aliquod infidelis, ac dolosæ cum Dæmone amicitiæ fœdus inire non timent. Jamque blasphemiæ scelus, cujusquemodi ea sit, quum semper sacrosancto Dei Nomini, aut in se, aut in suis Sanctis Gloriam detrahat, usque adeo atrox, atque immane habitum est, ut in vetere Testamento præter supremum supplicium (4), illudque turpissimum Legibus publicis sancitum, Deus ipse magnos quosdam Reos

(1) *Can. XVI.* (3) *de se testatur Dionysius Alex. Eccl. Patriar. refer. Eus. Hist. L. 7. C. 7.* (3) *Ex S. Leo. serm. 5. de jejun. 10. mens.* (4) *Levit. 24. 16.*

Reos quanto illustriore, tanto terribiliore morte multarit (1). Summi vero Pontifices nullis unquam pœnis parcendum duxerunt, ut perditi homines, earum saltem metu a tam nefario crimine abstinerent (2). Sua in idipsum Jus Civile statuit supplicia (3). Præter eas autem gravissimas pœnas, quas in vetere Testamento de maleficis (4), deque magis, atque ariolis (5) legimus, sacri nos sæpe Canones monent, ut si opprobrium Ægypti ad nos deferatur, si ea consectentur Christiani, quæ superstitionem implicant, illi ad missum sacrilegii crimen solvant, ab Ecclesia habeantur extranei, anathemate feriantur (6). Nos itaque, quantum Deo adjuvante possumus, vehementissime optantes, ut omnis lingua confiteatur Domino, utque ab omni diabolicæ artis peste sancta mundetur Ecclesia, hæc statuimus.

I. Ac primo, siquid Fideles communis, ac summi Domini honor tangit, vehementissime hortamur universos, ut nihil intentatum relinquant, quo blasphemantium ora obstruantur. Plerumque ne ferre quidem debent impia istorum verba prodire, quin eos increpent, ac publice, acriterque reprehendant: privatim vero hic lenibus utendum cohortationibus, & suasionibus, illic objurgationibus, sæpe non ipsis parcendum obsecrationibus, quatenus uniuscujusque, sive peccantis, sive redarguentis ingenium, & caussæ tulerint. Nam siquod tempus est, quo fraternæ correptionis officium exerceri debeat, quodnam aliud expectandum, quo quis se se gravius, ac promptius urgeri sentiat, quam quum Sanctissimi Dei Nominis Gloria contemnitur?

II. At Parentes, Domini, Patresfamilias, quotquot denique sunt, qui aliorum curam gerunt, id sibi præsertim dictum putent. Hi vehementer in quoscumque sibi subjectos, habita ratione singulorum, insurgant, eosdemque blasphemantes, qua voce, qua fuste plectant. Domini vero, nisi emendatio consequatur, servos hujusmodi tandem expellant domo.

III. Quod si hæc a privatis hominibus; multo justius est intentis viribus in hujusmodi crimen præstantiorem illam potestatem exerceri, qua sæculares Magistratus sunt præditi. Eos sane, ut de tam execrabili scelere pœnas decernant, ac sumant, gravissime monuit

 Sanc-

(1) 2. *Machab.* 9. 28. (2) *Leo X. Const.* Supremæ *XII.*, *Juli. III. Const.* In multis *XXIII.* *S. Pius V. Const.* Cum primum *V.* (3) *Auth.* Ut non luxurientur homines §. Et quoniam *collat.* 6. *Novell.* 77. (4) *Exod.* 22. 18. (5) *Deuter.* 18. 10. (6) *Vid. Cap.* 1., *&* *seqq.* *tot.* *quæst.* 5., *caus.* 26.

Sanctissimus Papa Pius v. (1). Quod si ipsi, prout constitutum, fecerint, & singulis vicibus decem annorum Indulgentiam consequi poterunt, & non parvam sibi a Deo gratiam demereri (2).

IV. Confessarii vero curent, quantum maxime possunt, ut blasphemiæ peccatum maximi ab illo, qui admisit, æstimetur, ideoque illud, ubi opus sit, gravissimis verbis, sententiisque declarent: quamvis aliquando ne poterunt quidem ab illo absolvere. Nam si blasphemia errorem in Fide, aut falsum quidquam de Deo contineat, quin tamen errori animus assentiatur, ab illa absolvere Nobis est reservatum, quantumvis blasphemam vocem, præter ipsum reum, audierit nemo: ac sane semper hæreticalis blasphemiæ quovis modo extrinsecus significatæ absolutionem, sibi Prædecessores Nostri reservarunt.

V. Quicumque autem hæreticalem blasphemiam sive proferri audiat, sive prolatam fuisse aliunde sciat, tenetur blasphemum hujusmodi Nobis, vel sacræ Inquisitioni denuntiare (3) intra dies triginta. Hac de re Confessarii suos in tempore moneant Pœnitentes; siqui horum denuntiandi onus detrectent, aut diutius, quam par est, negligant, præter gravem neglectæ obedientiæ culpam, sciant, se se in excommunicationem incidisse (4), (a qua non nisi posteaquam crimen alterutri Foro detulerint, absolvi poterunt) atque dignos se Nobis præbere, in quos æque animadvertamus, ac si eos ejusdem criminis reos comperissemus (5).

VI. Verum non solum ad convellendum, sicubi haberetur abusus, sed nihilo sane minus ad prohibendam blasphemiam in tota Diœcesi Nostra omnem moveri lapidem volumus. Parochis in primis, tum & Concionatoribus vehementer injungimus, ut divini honoris studio succensi, sæpius in hoc immane vitium invehantur, ejusdemque gravitate, ac magnitudine exposita, tum minis pluribus, ac pœnis, quæ in Scripturis leguntur, quanta maxima possunt animi contentione, odium in illud, ac detestationem excitent. Ad hanc rem (quandoquidem sensibilibus caussis citius commoventur homines, ac vehementius) peridoneum erit formidandas illas pœnas exponere, quibus ipsum tamquam fulminibus summi Pontifices, ac præ ceteris Sanctus PIUS V. confixere (6): quasque non erit profecto, cur quisquam apud Nos speret esse unquam reo penitus condonandas.

VII.

(1) *Const. ead.* (2) *Leo X. Const, ead.* (3) *Edictum S. C. S. Officii: Hoc legitur in Append. pag. 7. N. V.* (4) *Edict. idem.* (5) *Julius III. ibid.* (6) *Constit. supra memoratis.*

VII. Statis præterea temporibus (1) Parochi promulgabunt italica lingua summam Bullæ Sancti Pii v. contra blasphemos (2). Cujus occasione iterum & impositarum pœnarum, & sceleris præcipue magnitudinem refricent, atque horrorem ingerant.

VIII. Et quoniam in cauponis præsertim, ubi liberius ludis indulgetur, & vino, audiri frequentius blasphemiæ consueverunt, moneant publice Parochi, quidquid ibi peccatum blasphemando fuerit, fore puniendum; neque solum blasphemos ipsos, sed illos etiam, qui aliquem scientes esse ad blaphemandum proclivem, eidem nihilominus, quæ futura erant peccandi occasio, seu caussa suppeditarunt.

IX. Sanctissimus Pontifex Benedictus xiv. ut execrabile scelus penitus tolleret, multa locorum Ordinariis pro sua ditione sapientissime commendaverat: hæc eo maxime spectant, ut cum in Civitate, tum in Diœcesi statis diebus de nefario crimine publice diceretur ad populum: insuper ut in designatis Ecclesiis Fideles universi Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum rite susciperent: quibus diebus, qui in dictis Ecclesiis ad Pontificis mentem pias funderent preces, plenissimam consequerentur peccatorum suorum remissionem (3). Verum tam sanctam, tamque salutarem consuetudinem a summo Pontifice commendatam, atque a piissimo Decessore Nostro clarissimæ memoriæ Crescentio Cardinali utiliter, sancteque institutam sensim jam defecisse dolentes iterum eam excitari vehementer optamus, atque præcipimus: sed totam consilii Nostri rationem exponet Instructio legenda in Appendice (4).

X. At hujusce sceleris prohibendi quo major adhuc spes affulgeat, doceantur Fideles assuescere a pueris divinum crebro Nomen usurpare, non temere quidem, sed magna semper tum reverentia, tum pietate. Hoc enim Deo obsequium & plane debetur, & divini Nominis contemptui longius arcendo par est.

XI. Præter eos, qui in Deum Cœli exacuunt, ut gladium, linguas suas, non minimam Fidei puritati labem inferunt, qui cultum uni, summoque Deo debitum in tenebrarum principem transferunt, aut superstitione quacumque pervertunt: propterea qui se se superstitionibus dedunt magnam ingerunt de non custodita Fide suspicionem. Tantum igitur Fidei, animarumque periculum pertimescen-

(1) *Vid. Indic. rerum publicand. inter Miss. Solem.* ad finem Syn. (2) *Vid. Append. pag. 9. N. VI.* (3) *Vid. Append. pag. 13. N. VIII.* (4) *Vid. Append. pag. 10. N. VII.*

mescentes, Parochis edicimus, ut e suorum populorum animis aniles quasdam, ac futiles opiniones conentur evellere: atque generatim quidquid superstitionem sapit, sedulo, graviterque inter rudes præcipue, quibus interdum hæret mordicus, objurgationibus, minis, divinæ Charitatis, Providentiæ, honoris conculcati recordatione insequantur, ac denique eradicent. Variæ quidem sunt pro vario hominum, locorum, temporum genere superstitiones, quibus ad aliquid obtinendum quidam utuntur (1). Quæcumque tamen eæ sint, in hoc plane conveniunt, ut ad aliquid consequendum caussa ponatur, quæ neque naturæ vi effectum ipsum edere queat, neque ad edendum sit a Deo, aut ab Ecclesia instituta: quare reliquum est, ut qui alienum illum effectum inde expectare pergunt, expectare velint a Dæmone, qui pacto aperto, vel occulto creditur propositum perfecturus. Cujus rei gravitas, atque periculum si populo diligentius proponatur, ac declaretur, fieri non potest, quin odio tantæ in Deum injuriæ, tantæque animarum cædis exardescat, atque conclamet.

XII. Excitandi præterea sæpe sunt populi, ut in morbis, in periculis, in asperrimis quibuscumque rebus ab eo tantum solamen, atque remedium expectare sibi velint, qui vere Pater Misericordiarum est, & Deus totius consolationis. Doceantur sæpe, uti Canones clamant (2): *qui sine Salvatore salutem vult habere, & sine vera Sapientia æstimat prudentem se fieri posse, non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxius, stultus, ac demens permanebit*. Atque hinc homines ab inanibus illis, ac perversis opinionibus facile confidimus traducendos ad id, quod præcipiebat Apostolus (3): *omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini nostri Jesu Christi facite*.

XIII. Si qui adhuc sint, qui hæc omnia nihili faciant, quique fallacibus, atque nefariis artificiis absistere renuant, sciant gravissimis eos fore pœnis subjiciendos: certe eo Nos sacri Canones esse animo volunt, ut *qui salutaria, & a mortis periculo revocantia verba audire contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeant reducere sanitatem* (4). Quamobrem Parochi

Domi-

(1) *Vid. Cap.* Illud quod 6. *Caus.* 26. *quæst.* 2. *ubi traditur* Institutiones hominum, quæ sint superstitiosæ, vel non. (2) *Cap.* Qui sine, 7. *quæst.* 2. *caus.* 26. (3) *ad Colos.* 3. 17. (4) *Cap.* contra Idolorum 10. *quæst.* 5. *caus.* 26.

Dominicis designatis perlegant Edictum sacræ Inquisitionis; qua lectione non solum hujusmodi artes iterum detestentur, sed etiam sub gravissimis pœnis ibidem indictis universos moneant Fideles, ut illos, qui easdem artes exercere, aut docere, aut de ipsis suspectos esse noverint, seu audiverint, Nobis, sive sacræ Inquisitioni intra statutum tempus deferant, ut juxta sacros Canones, atque Apostolicas Constitutiones severe puniantur (1). Interim spirituales hasce pœnas denuntient, quas ex statutis Eminentissimi Decessoris Nostri Crescentii sic innovamus (2).

XIV. Sint ipso facto excommunicati, qui peregrinis verbis, seu cujuscemodi signis, aut actionibus hominum mentes commovere, interitum cujusquam, aut morbum inducere, alius benevolentiam captare, odium in alterum consciscere, aut aliud quodcumque alteri malum, ac detrimentum inferre moliuntur; quantumvis neque interitum cujusquam, neque morbum, neque amorem, neque effectum ullum produci inde contigerit. Quam censuram tollere Nobis reservamus.

XV. Idemque omnino statuimus de illis, qui ad incantationes, sortilegia, magicas artes, ad experimenta necromantiæ, ad aliquam, quæcumque ea sit, superstitionem non horruerint aut Dæmonem expresse invocare, aut sacris verbis, aut rebus quibusvis abuti, quæ sunt pio Ecclesiæ ritu Deo dicatæ; quemadmodum essent sacra Supellex, Ceræ benedictæ, Aqua lustralis, Ecclesiæ preces, verba sacræ Scripturæ, nedum Oleum Sanctum, Chrisma, &c, quod horrendum dictu prope est, divina Eucharistia.

XVI. Si quis expresse Dæmonem invocet, ut aliquid sibi, quidquid illud sit, perficiat, etiam nullo secuto effectu, Confessariis adimimus facultatem huic Sacramentalis Absolutionis impertiendæ.

XVII. Quandocumque Confessarius Nostra facultate munitus aliquem tanti facinoris reum ab excommunicatione, atque culpa absolvendum judicaverit, reo ipsi onus injungat, ut in Foro Nostro, aut sacræ Inquisitionis patefaciat, quibus malarum istarum artium adjutoribus, quibusque auctoribus, sive doctoribus sit usus (3).

XVIII. Permittet fortasse aliquando divina Providentia, ut etiam inter Catholicos sint, qui male a Dæmone habeantur: jamque Clericis contra totius humani generis hostem sua veluti arma præ-

(1) *Sixtus V. Const.* Cœli, & Terræ *XVII. Leo X. Const.* Honestis *XLIII. Greg. XV. Const.* Omnipotentis *LXXX.* (2) *Syn. Cresc. pag.* 11. §. Excommunicationis, *&* §. Quicumque. (3) *Sixtus V. ead. Const.*

præbet Ecclesia, sacros nempe Exorcismos. Verum ii, quibus hisce armis utendum, sedulo advertant, atque secum ipsi recogitent, magnam se rem aggredi, ac plane divinam, quum jam in hoc apparuerit Filius Dei, *ut dissolvat opera Diaboli* (1), ac spiritum immundum auferat de Terra. Sint igitur, qui Dæmones ab aliorum corporibus abigendos suscipient, sancti corpore, & animo; studeantque, ut sicut a corporibus aliorum Dæmones expellunt, ita a mentibus, & corporibus suis omnem immunditiam, & nequitiam ejiciant, ne in moribus eorum aliquid sui juris inimicus valeat vindicare (2): nam *quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem* (3)? Interea ut tota hæc functio, siquando habenda, tum religiose, tum prudenter, & sumatur, & obeatur, quæ ad hanc rem facere possunt, hæc maxime sunt.

XIX. Præcipimus primo, ut nullus Clericus, aut Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis usquam exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive intra, sive extra Cœnobium, nisi facultatem Nos illi, inque scriptis dederimus, sub pœnis arbitrio (4).

XX. Qui ad id fuerint a Nobis probati, explorent in primis, quinam sint ejus, qui exorcizandus offertur, mores, an vere sit energumenus, an potius agat vi morbi, an per simulationem (5). Cui rei cognoscendæ proderit interdum prudentis Medici consilium rogare.

XXI. Quum vero aliquem malo spiritu agi constiterit, curent, ut energumenus sæpius, si mente valeat, sacra Confessione, & Communione se muniat (6). Quamquam alias quoque illi exercitationes, quoad fieri potest, imponant, pias nempe preces, in Templis maxime, ubi Sanctorum Reliquiæ servantur, jejunia, feriis præsertim sextis, aliasve, uti videbitur.

XXII. Ipse vero Exorcista pridie illius diei, quo exorcismum instituit, jejunio, & oratione se præparet, animam sacramentali Confessione expiet, neque Exorcismum incipiat, quin eo die, si potuerit, Sacrum fecerit. Tum vero munere, ad quod vocatus est, fungatur, sed graviter, pie, & summa in Christum Dominum Fide. Si plures ei obserantur, non omnes eodem tempore exorcizet, sed unumquemque singillatim, ac seorsim.

XXIII. Et temporis, & loci habenda est ratio: quare Exorcismi tempus sic servetur, ut neque fiat ante ortum, neque post occasum

(1) 1. *Joan.* 3. 8. (2) *Ex Pontifical. in Ord. Exorcis.* (3) *Matth.* 12. 29. (4) *Vid. Append. pag.* 16. *N. IX.* (5) *Rit. Rom. Tit.* de Exorciz. obses. §. In primis. (6) *Rit. ibid.* §. Admoneatur.

casum solis. Locus deinde sit amplus, & conspicuus, eritque publica Ecclesia a Nobis constituta, in qua non adsit quidem multitudo, sed certe in exorcismo marium adsit unus, aut duo Ecclesiastici, itemque duo, tresve alii ætate, ac pietate spectabiles viri; in fœminarum autem exorcismo tres, quatuorve partim mares, partim fœminæ probatiores, omnes ex energumenæ, quantum fieri potest, consanguineis, aut affinibus.

XXIV. Tandem præcipimus, ut non alio unquam ritu, seu modo exorcismus agatur, quam qui est in Rituali Romano sanctissime constitutus, a quo vel minimum deflectere nefas habendum (1).

CAPUT VI.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

CUrandum præterea omnibus est, ut Fides, quam quisque firmam tenet in corde, quamque ab hostium tuetur incursibus, incrementum suscipiat, inque dies magis augeatur: quod quidem maxime fit, quum & res Fide tenendas, quas ignorabamus, addiscimus, & quum secundum ea, quæ didicimus, pie fideliterque operamur. Idque necessarium omnino est: nam licet per Fidem justificari dicamur, quum ea sit humanæ salutis initium, & fundamentum; ad futuram, quam inquirimus, Civitatem ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solam Fidem non sufficere; sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe Præcepta Dei, & Ecclesiæ, tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quæ studiose declinare debemus. Duplex idcirco gravissima, eademque plane distincta est Parochis cura, atque munus impositum: alterum Fidei rudimenta tradendi iis omnibus, qui non ætate solum, sed mente, ingenio, doctrina, ac Fide sunt parvuli, & rudes: alterum pascendi populos Verbo Dei per Conciones, quibus ad Fidei normam eorum mores instituantur, formentur, ac corrigantur (2). Immo vero, ut earum, quæ sciendæ, quæque agendæ sunt, rerum cognitio, atque scientia in Christiano populo augeretur, præter duo exposita subsidia, cautum a Tridentino Concilio insuper fuit (3), ut essent, qui

(1) *Vid. Rit. Rom. tot. Tit. De exorciz. obses. Vid. S. Car. Bor. Prov. Conc. IV. Par. 2. Tit.* Quæ ad sacram. (2) *Ex Trid. Sess. XXIV. Cap. IV. De. Ref. Vid. Const. Bened. XIV.* Etsi minime §. 5. (3) *Trid. Ses. V. C. I. de Ref.*

in majoribus Ecclesiis divinos, sacræ Scripturæ Libros exponerent, e quibus, veluti integerrimis fontibus, Dogmata, circa quæ Fides nostra versatur, Ecclesia Catholica semper solita fuit haurire. Tria hæc igitur singulis singula capitibus versabimus.

I. Totam Doctrinæ Christianæ tradendæ provinciam Parochus, quicumque sit, sive Sæcularis, sive Regularis, cum in Diœcesi, tum in Civitate sibi ipse suscipiat (1): neque enim per Nos ei licet, neque licebit unquam hoc, quod proprie Parochorum officium est, plane dimittere, aut alteri plerumque credere, nisi cogeret ætas decrepita, aut prægravis aliqua caussa a Nobis tantum probanda.

II. Curet autem cum primis necesse est & puerorum frequentiam, & profectum: quamobrem Parentibus puerorum ostendat, eos in maximo æternæ damnationis periculo vivere, si propriam prolem per impiam, ac inhumanam negligentiam a necessario cœlestis vitæ pabulo quomodocumque avertant, aut etiam retardent. Ipsi enim proprie sunt, qui ante alios omnes tenentur minores suos Christianæ sapientiæ præceptis, institutisque erudire, vel alteri tradere, a quo fideliter, atque accurate erudiantur. Quod si Parentes eo liberos suos deducerent, ubi publice traditur Doctrina Christiana, esset id tum exemplum, ut alii idem efficerent, tum sibi ipsis occasio, ut deinde a pueris exquirerent, quidnam didicerint, refricarentque pluribus, quæ ad Fidem cognoscendam, informandosque mores facere noverint.

III. Neque vero tantum Genitores, verum etiam Dominos, ac Tutores de gravissimo onere Parochi admonebunt, præcipientque, ut famulos, pupillos, parvulos omnes cuique subjectos ad audiendum Catechismum seu ducant, seu mittant; neque sinant, ut eorum vel unus absit, quamdiu hoc pabulo egeat. Atque huc referenda quæ memorata alibi sunt (2).

IV. Illud etiam opportunum erit, ut Parochi parent sibi indicem librum omnium puerorum, ac puellarum a septimo ad decimum quintum eorum ætatis annum, (intra quod tempus omnes ad Doctrinam Christianam compelli præcipimus) eundemque quotannis renovent (3). Hujus autem libelli ope notentur singuli, qui singulis vicibus absunt. Aberunt sæpissime aliquot: at locus hic est peregregius, quo cum charitas, tum sollertia Pastoris emineat. Conveniendi enim sunt qui abfuere: ac saltem caussa, cur quisque de-

fide-

(1) *Trid. ibid. Bened. XIV. ibid.* (2) *Vid. Cap. I. huj. Part. N. VI. VII. VIII.* (3) *Syn. Emi Cresc. pag.* 14 §. Ut autem.

sideratus sit, exploranda, & cognoscenda: si justa videatur, monendi, ut, ea sublata, alacres redeant; si inepta, aut perversa, redarguendi, atque frequentiores intersint, omni ratione excitandi.

V. Neque autem idcirco, quod aliquis fuerit ex anno decimo quinto egressus, se se ab audiendo Catechismo exemptum existimet: cognoscat Parochus, quosnam opus sit detineri diutius, eosque detineat. Publice significet id in sua positum potestate; neque sibi licere sine aperto conscientiæ suæ convicio quemquam a Christianæ Doctrinæ institutione dimittere, quem probe non intellexerit, esse in rebus Christiani hominis satis eruditum.

VI. Certe quidem tum adolescentuli ad Clericatum promovendi, tum adolescentulæ ad optanda dotalia subsidia testimonium habeant necesse est, quo constet, eos Doctrinam Cristianam callere. Mares siquidem, nisi Parochiali hoc testimonio muniti Ordines petant, ab Ordinibus suscipiendis arcebuntur: fœminæ autem a societatibus, quibus curæ est Dotes distribuere, minime in hoc audientur. Hisce nimirum juxta Pontificum Sanctiones (1) interdicimos, ne puellarum cuilibet, quæ hujusmodi careant testimonio, Dotem ullam impertiantur, ac ne ullius nomen in urnam sortium injiciant (2).

VII. Insuper ut frequentiores puellæ, atque pueri conveniant, opportunum censemus in Civitate, ut quum primum campanum æs pulsatur, duo, tresve pueri, quos probatus aliquis vir comitetur, tintinnabulo identidem personante, lustrent Parochiæ vicos, & compita, & illos ad Catechismum publice convocent. Morem hunc olim invectum, ac subinde interruptum volumus instaurari. Illa etiam in aliqua hujus Diœcesis parte consuetudo invaluerat, ut pueri, ac puellæ antequam Parochialem Ecclesiam adirent, ad proximiora quæque Oratoria, seu Sacella, pio Sacerdote, aut gravi aliquo viro moderatore, atque duce convenirent: inde vero distinctis, ordinatisque agminibus, (altero puerorum, altero puellarum divinas laudes canentium) ad Parochialem Ecclesiam deducerentur. Præclarum sane inventum, multarumque cum exercitatio, tum caussa virtutum: ac proinde sicubi in more positum, custoditumque est, custodiendum suademus: ubi non est, induci, si fieri possit, optamus, atque adhortamur. Volumus autem, ut Parochiam quisque adeat

(1) *Ex Edictis Innoc. XI. 1676., Clem.XI. 1701., Clem. XII. 1730. Idem statuunt plur. Syn.* (2) *Quoad hujusmodi testimonium serventur, quæ leguntur in Append. pag.* 23. §. 5. 6.

adeat suam, idque constanter; nempe in Dioecesi: in Civitate eam quisque constanter adeat Ecclesiam, quæ sibi fuerit designata juxta Edictum Nostrum (1). Necessarium id est, tum ipsis, ut memoratum testimonium obtineant, atque ne aliquod inauditum excidat Doctrinæ Christianæ caput; tum Parocho, atque Doctrinarum Præfecto ad prævertendas negligentiorum fraudes, tum ad alia commoda.

VIII. At limen Ecclesiæ ingredientibus præsto semper sit Parochus, sive Doctrinæ Præfectus, tanquam Parens filios expectans suos: tum simul alii Operarii suis quemque Classibus disponant; uti Parocho, sive Præfecto fuerit visum. Glasses pro instituendorum numero, rerumque tradendarum varietate plures sint, sive pauciores, loco, ac signo aliquo inter se distinctæ. Unaquæque discipulos suscipiat ferme non plures, quàm decem. At in Dioecesi, ubi puellæ, ac pueri confluunt, Classes singulis sexibus sint diversæ (2); atque illis, quæ mares habent, ad docendum, quantum fieri potest, præponantur viri, quæ fœminas, fœminæ.

IX. His ita compositis, habeantur in quavis Classe consuetæ exercitationes, quas, ut ne inducatur varietas, depromi volumus ex Doctrina Christiana, quam jussu CLEMENTIS VIII. conscripsit Cardinalis Bellarminus, quamque retinendam a BENEDICTO XIII. (3), & XIV. (4) statutum est. Tum vero duo, alter hinc, alter e conspectu, inde assurgant, aliquam illius Doctrinæ partem memoriæ commissam recitaturi, utroque vicissim interrogante, & respondente: quæ dum aguntur, Parochus, vel alius nomine suo, indicem, de quo Numero IV., circumferens, quos non interesse deprehendat, facile notabit. Nunquam vero omittantur Actus Theologicarum Virtutum, de quibus alibi.

X. Post hæc Parochus, vel Præfectus aliquem Doctrinæ Christianæ articulum explicet; at fuse, populariter, demisso, facillimoque semper sermone, lingua vulgi, perque interrogationes ut plurimum. Illud autem & Parochis, & quibuscumque parvulos pie instituendos suscipiunt, commendatum generatim volumus, ut nutricum more parvuli & ipsi fiant; dumque pueros Christo alere, ac nutrire contendunt, verba, vocemque ipsam blandientium proferant magis, quam increpantium, vel imperantium: sermonem quodammodo attenuent, quem in teneras adhuc fauces instar lactis effundant; certe

(1) *Extat in Append. Edictum, quo designantur Ecclesiæ pag. 16. N. X.*
(2) *Ex Conc. Rom. Tit. I. Cap. IV. Syn. Cresc. pag.* 14 §. Singulis.
(3) *In Conc. Rom. ibid.* (4) *Const. ead.* §. 17.

certe quidem Hieronymus scribebat olim ad Lætam: *Ipsa si Paulam miseris, & magistrum me, & nutritium spondeo, gestabo humeris, balbutientis senex verba formabo* (1). Qua sane ratione affirmare omnino posse videmur, fore etiam, ut sincera in audientibus oriatur delectatio, & eorum numerus augeatur. Post hunc Catechismum sint, qui illico recinant preces, prout fert consuetudo; Hæc quoad modum.

XI. Tempus vero, quo tam sancto Operi instandum, sunt dies omnes Dominici, ne temporibus quidem messis, aut autumni exceptis. Quum tamen die Paschatis id minus expediat, Catechismus habebitur postridie: ac similiter Natali Domini Nostri Jesu Christi, quo anno Dominicum diem habeat ista Solemnitas. Quod autem aliqui aut dierum brevitatem, aut auditorum inopiam, aut celebrandarum rerum varietatem esse caussam dicant, quare ad aliquod tempus ab hoc opere cessent, noverint excusationes hujusmodi nihili a Nobis fieri posse, neque faciemus profecto: nam siquem huic muneri defecisse deprehendemus, non idcirco a debitis pœnis sumendis abstinebimus. Ubi usus obtinuit, Catechismum haberi mane, quo tempore frequentior sponte sua in Templis est populus, sicuti morem hujusmodi probamus, ita cupimus retineri. Aliis in locis habeatur a prandio (2).

XII. Hisce etiam rebus adhibitis, sæpe continget, ut non omnes ad Parochialem Ecclesiam conveniant: quamobrem præcipimus, ut in singulis Oratoriis, quæ ab illa distant mille passibus, Sacerdos ibi celebrans quovis die Dominico, peracto Sacro, non solum memoratos Actus recitet (3), sed etiam ut parvum tradat Catechismum, prout in Appendice habetur (4). Siquod vero sit Oratorium, in quo plures singulis ferme ex hisce diebus Missæ celebrentur, Parochi erit, ad quam parvus iste Catechismus sit habendus, præcipere, ac subinde, an habitus fuerit, sedulo inquirere: Nostrum autem, siqui id præstare detrectent, eos pœnis afficere (5). Item ne salutare pabulum iis desit, qui perpetuo occupantur gregibus in agro pascen-

(1) *S. Hier. Epist. ad Lætam.* (2) *Alia quoad tempus, ac modum tenenda in Civitate legantur in Append. pag.* 22. *N. XI.* (3) *Nempe Fidei &c., de quibus Cap. I. huj. Par. N. IV.* (4) *Ex Epist. circul. Clem. XII. sub die prima Jul. ann.* 1735. *ad omnes Episc. Ital. Ex ead. Const. Bened. XIV.* §. 14 *Catechismus tradendus legitur in Append. pag.* 24. *N. XIV.* (5) *Conc. Rom. Tit. I. Cap. V. Lamber. in Inst. pluri. S. C. C. in Neritonen.* 3. *Decembr.* 1757.

pascendis, præcipimus, ut Parochi Diœcesis in sua etiam Parochiali parvum, quem nuper diximus, Catechismum cum Actibus Theologicarum Virtutum ad postremam Missam tradant, vel tradendum penitus curent (1). Atque utrum hac ratione satis omnibus consultum censeatur, ipsi prænoscant, quorum conscientiam oneratam relinquimus.

XIII. Sed omnibus, qui cœlestis hujus indigent panis, erudiendis unus par esse Parochus nequit: itaque illi adjutores adjungimus. Ac primo huc vocari, atque adeo cogi possunt quicumque cogitant Sacros Ordines, aut etiam Minores suscipere: neque ad altiorem sane aditum patere cuiquam sinemus, (ut jam pluries fuit constitutum) qui certas Nobis litteras non exhibeat, quibus constet, illum ad erudiendos pueros in Christiana Doctrina laudabiliter incubuisse (2). Sacerdotes, ut id ipsum præstent, paterno sane affectu monemus, hortamur, & si hanc a Nobis vocem expectent, obsecramus; quique id præstiterint, eis paternæ Nostræ charitatis ampliora semper, ubi se occasio dederit, argumenta daturos recipimus. Immo vero, ut a Benedicto xiv. monemur, denuntiamus aperte, ad ea obtinenda, quæ in Nostra sunt potestate, plurimum apud Nos ponderis habiturum studium, ac diligentiam in hoc opus ab eis collatum.

XIV. Pios etiam viros, ac fœminas, item Nobiles adolescentes, atque Matronas hortamur, ut quo spectabiliores, sive genere, sive opibus, sive doctrina, sive dignitatibus fuerint, eo majorem, quam possunt, in hoc operam conferant. Vix enim dici potest, quantum eorum, qui in populis eminent, cohortationes, instructiones, præsentia ipsa apud populares valeant, quamque ipsos vehementer afficiant.

XV. Sed quum tam salutare, ac necessarium opus levibus etiam caussis turbari possit, aut etiam impediri, toto Catechesis tempore a Foro, a viis, multoque magis ab area ante ipsum Templum districte prohibemus ludos, cantus, saltationes, strepitus, spectacula quælibet, quæ populum facile avertunt: ac si in tabernis, quæ jam clausæ esse debent, vel secretus cuique aditus concedatur, gravissimas dabunt pœnas tum qui admittuntur, tum qui audent admittere (3).

XVI.

(1) *Ex Syn. Cresc. pag.* 14. §. Cupientes. *pag.* 15. §. Capellani. (2) *Ex Bened. XIV. Const. ead.* §. 6. *Vid. eund. Inst. IX.* (3) *Vid. Edic. in Append. pag.* 106. *N. I.*

XVI. Siqui tamen adhuc sint, qui aut Christianam institutionem aversentur, aut nolint ad eam suos liberos, aliosve sibi subditos mittere, suæque obligationis commonefacti, elapsis duobus mensibus, nondum monitis pareant, rem totam ad Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem Parochi deferant: Nosque ipsi, ne frustra delata sit, efficere enixe conabimur.

XVII. Sunt vero pueri, ac puellæ, quos Christiana Doctrina erudire debent, qui eam ætatem aliis artibus sibi sumunt imbuendam (1). Harum igitur artium Magistros, ac Magistras jubemus, diem sibi statuere, quo singulis hebdomadis de Fidei rudimentis in suis Ludis agatur. Inter illos, qui sunt teneræ ætatis, usus erit parvi Catechismi (2), quem secum ad Ludum deferre, ac memoria tenere debebunt. Parochorum autem sit scholas illas opportuno tempore ingredi, atque de hujusmodi officio rationem exigere: quamquam optimum quoque esset, ut hujusmodi discipuli, ac discipulæ gregatim a suis Magistris eo deducerentur, ubi publicus Catechismus habendus est.

XVIII. Omnium similiter piorum Locorum Præfecti operam dabunt, ut Dominico quoque die, aut alio opportuniore alumnis suis salutaris Doctrina tradatur. Erit id ordinarii Confessarii munus. Id ipsum præstare satagant Confessarii Monialium erga puellas unicuique Monasterio ad educandum concreditas.

XIX. Quod ad Nos ipsos attinet, ut Decreta Nostra observentur, instabimus: Nostrum erit in Civitate, alieno etiam a Visitatione tempore, Doctrinæ Christianæ scholas invisere. Longe quoque solemnius volumus quotannis specimen dari, quo nobis constet, quid pueri, quidque puellæ profecerint, iis nempe servatis, quæ alias statuimus (3). Utinam id sæpius facere in reliqua etiam Diœcesi liceret! Sed Parochis fidimus: ac merito quidem, quum permulta in generali Visitatione, tum in aliis, tum hac ipsa in re observari contigerit, quæ magna animum voluptate permulcere potuerunt. Item in Civitate operam dabimus, ut, quod S. PIUS V. Præsulibus omnibus commendaverat (4), sodalitium instituatur, cui summa sit cura tradendæ Christianæ Doctrinæ opus: quosque pios, atque pro hac sancta exercitatione inflammatos viros comperiemus, illos tribus quibusque mensibus in Archiepiscopali Nostro Palatio cogi jubebimus;

(1) *Ex Leone X. Const.* Supernæ *VII. Vid. Ben. XIV. ead. Const.* §. 7. *S. C. C. ap. eund. Inst. IX.* (2) *De quo paulo supra N. XII.* (3) *Vid. Append. pag.* 23. *N. XII.* (4) *Const.* Ex debito *CXXXVII.*

mus; cumque iis agentur, quæ tanto operi stabiliendo, augendoque omnium maxime utilia videbuntur. Neque minus in quavis Dioecesis Parochia efficiendum esset. Certe quidem Indulgentias, quibus ditati fuere qui huic Operi inserviunt, statis diebus (1) populo in Parochialibus Ecclesiis perlegi, atque explicari mandamus.

XX. Post hæc, quæ a Nobis sunt constituta, quæque ab illis, ad quos pertinet, quosque ad hoc sanctissimum Opus excitavimus, strenue suscipienda confidimus, ecquis certiores Nos faciat, nullos exinde in Christo Filios extituros, qui non adhuc hujusce Nostræ industriæ, Nostrorumque laborum fructibus careant? Veh nobis Pastoribus, siqui vitio nostro in rerum, quæ ad æternam salutem sunt necessariæ, ignoratione versentur, in eaque adolescant, consenescant, vivant, immoriantur? Itaque, utrum horum quisquam apud nos extet, sagacissime pervestiget sedulus Pastor, eo præsertim tempore, quo novi in sua Parochia incolæ fiunt: ac si aliquos in tenebris jacere deprehendat, hosce (ut factum alibi novimus) certis diebus ad erudiendum convocet, aut jubeat eosdem in ipsa paterna domo ab aliquo erudiri. At senes, si turpi laborarent inscitia, opportunius foret convenire, eosdemque privatim, ad erubescentiam prohibendam, instruere. Quidam consultius duxere unam, vel alteram familiam ad se hiberno præsertim tempore accire, ac singulos de hujusmodi rebus cum amanter, tum diligenter imbuere. Quid in singulis locis, temporibus, caussis agere expediat, erit nostrorum Pastorum charitatis, ac prudentiæ cognoscere, atque exequi. Certe quum res maxima sit, neque Nobis suppetat quid amplius facere valeamus, Parochorum conscientiam, quam ceterum ipsi in muneris susceptione oneratam intelligunt, iterum Nos gravando iisdem injungimus, ut æternæ suæ, suorumque salutis memores sæpius secum ipsi sedulo cogitent, atque in Domino repetant, num vel unus ex suis parvulis sit, qui cœlestis hujusce panis jejunus evadat. Quod enim Christus Dominus Patrem orabat memorans, se se ex eis, quos ab illo acceperat, non perdidisse quemquam (2), id ipsum necesse est, ut vere queat Parochus Æterno animarum Pastori, atque Principi affirmare, ne suum ab eo Sanguinem in die furoris, atque ultionis exquirat.

CA-

---

(1) *Vid. Indic. rer. publicand. int. Miss. Solemn.* (2) *Ex Joan.* 18. 9.

CAPUT VII.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

QUia vero Fidei confirmandæ, augendæque non minus, quam Christiana Doctrina, necessaria est Prædicatio Evangelii, & hæ præcipuæ sunt Pastoralis muneris partes; idcirco si omnes, quibus est animarum cura concredita, hujus Officii magnitudinem, necessitatemque serio meditentur, dubitandum non est, quominus illud summa cum diligentia, tum animi contentione implere constituant. Nos quidem pro nostra imbecillitate dilectissimum Nostrum Gregem salutari hoc pabulo, quanto frequentius potuimus, per Nos ipsi alendum curavimus: neque sane Episcopali huic muneri, nisi Nobis deficiant vires, defuturos unquam, divina ope confidimus. Hoc etiam Parochos sedulo, in suis quemque Parochiis, facere gratulamur, semperque facturos Nobis ipsi pollicemur. Immo vero, quum in Domini agro spinæ perpetuo enascantur, quibus eradicandis multis est opus cultoribus, quumque cuilibet divinorum mandatorum viam currenti locus adhuc sit, ut charismata meliora æmuletur, seque Deo ferventiore charitate conjungat, vehementer optamus, ut sint alii, atque alii ex utroque Clero comparati pietate, atque doctrina, qui possint, quotiescumque fuerint legitime missi, falcem in uberrimam messem immittere. Ut autem omnia & constanter fiant, & eo, quo par est, ordine ad Dei Gloriam, atque animarum salutem ea, quæ sequuntur, edicimus.

I. Jam celebre est, non posse sine temerario ausu Laicum quemquam hoc sibi sumere, quod maxime est Episcoporum, atque Pastorum Ecclesiæ. Verum neque ex Clero, nisi mittatur, prædicare quemquam decet (1). Itaque nemo prorsus (excepto Parocho intra suæ Parochiæ fines) in hac Civitate, aut Diœcesi, sive publice in Ecclesiis, sive privatim in Oratoriis, etiamsi Parochi annuant, fueritque ad id muneris alias probatus, prædicare aggrediatur, nisi expressam fuerit a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali facultatem consecutus: quid de Regularibus, alibi (2).

II. Parochi, quique eorum vices implent, cum in Civitate,

E tum

(1) *Cap.* Cum ex injuncto 12. *de Hæreticis*. (2) *Vid. Cap. VII. N. XVIII., XVIIII. Par. IV.*

tum in Diœcesi diebus saltem Dominicis, & Festis solemnioribus prædicent sacrosanctum Jesu Christi Evangelium (1): neque hoc se onere liberos putent, propterea quod sacræ alibi Conciones habeantur (2). Sint igitur hac in re gravissima navi, & assidui, ne, si forte muneri suo graviter desint, Divinæ, ac Nostræ ultioni subjacere cogantur.

III. Tale autem munus per se ipsi Parochi exerceant: si aliquo die se se impediendos prospexerint, eum esse virum satagant, qui apte suppleat: neque facile illorum dierum vel unum sine sacra ad plebem allocutione elabi patiantur. Si diutius legitimo detineantur impedimento, quem ipsi sufficiant, a Nobis omnino impetrent.

IV. Quin immo vehementer optamus, ut ne in frequentioribus Regularium Ecclesiis in Civitate desint, qui post Vesperas quovis die festo breviter aliquid populo dicant excitandis ad vitiorum fugam, vel ad virtutem animis accommodatum. Qui hac dicendi laude floruerint, eos magnopere in Domino commendatos habebimus.

V. Ceterum quemadmodum Adventus, & Quadragesimæ tempora sunt Ecclesiæ sacratiora, ita hoc potissimum tempore Christianæ Conciones habendæ, quibus Fidelis populus ad divina Mysteria recolenda præparetur: singulis propterea locis a Nobis constituentur, qui Verbum Dei per Quadragesimam annuntient diebus ab Locorum consuetudine præscriptis; quos quidem commutare, nisi Nobis consentientibus, prohibemus.

VI. Si velint Parochi per Adventum habere ad plebes suas e suggesto Concionem, non repugnamus; quamvis, ut alius a Parocho per illud tempus id agat, & optamus, & hortamur. Si vero Parochus aliquem malit sibi deligere, ex Prædecessorum Nostrorum more indulgemus. Volumus tamen, ut, quinam deligantur, in Curia Nostra constet mense Octobri (3). Quod nisi fiat, Nostrum deinceps erit eos mittere, quos Parochi ad istud munus excipiant, solitisque alimentis, ac stipendiis impertiant (4). Quod si Parochus Conciones hoc tempore habeat, ne eleemosynas accipiat, quibus extranei munerari consueverunt, nisi sponte oblatas, vel ex Legato debitas (5).

VII. Quæ deinde res populo tradi, quique teneri debeat in dicen-

(1) *Vid. Trid. Sess. V. Cap. II. de Ref.*, *Sess. XXII. Cap. VIII. de Sacrif. Sess. XXIV. Cap. VII. de Reform.* (2) *Innocen. XIII. Const.* Apostolici Ministerii, de qua *Lamb. Inst. X.* (3) *Syn. Cresc. pag.* 21. §. Quamvis deputatio. (4) *Syn. Cresc. ibid.* (5) *S. C. C. in Ravellensi* 1615. *Monacellus Tit. XII. form. 7. n. 6. 7. 8. 9.*

dicendo modus, satis aperte a Tridentino Concilio Parochi omnes docentur: lecto itaque statis per annum diebus Evangelio Missæ, ipsi *plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eas declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem Gloriam consequi valeant* (1). Res satis jam patet.

VIII. Atque hoc Concilii præceptum ex Apostoli exemplo, ac monitis haustum sæpe sibi Christiani Oratores proponant, quod rerum omnium ratione habita, earumque præsertim, ad quas mittuntur, gentes exequantur. Quod ex Evangelii Prædicatione exiguus sæpe sit fructus, interdum etiam nullus, non tantum ex auditorum aut pravitate, aut oscitantia proficisci, sed etiam ex eo, quod Oratores suo muneri desunt, dolendum est. Non omnes prædicant Jesum Crucifixum: sunt qui speciem Evangelicorum Operariorum publice induere, ac præseferre enituntur; ceterum ut animus aliunde afficitur, sic & oratio, & actio simulata deprehenditur, inani tantum facundiæ lenocinio, atque fucatis, ut lamentatur Gregorius, sermonibus illita. Quod vitiosissimum dicendi genus utinam a Christiano Oratore ablegare possemus: at siqua in iis, qui a Nobis mittentur, damnosiora vitia constabunt, scurrari nempe, fabulari, sacras Scripturas ad alienos sensus detorquere, populos aut novis, aut dubiis doctrinis perturbare, errores (quod longissime Deus prohibeat) serere, aliave id genus, impunita profecto nunquam abire patiemur.

IX. Quamquam summopere etiam vetamus, nequis aut miracula minus certa, aut apocryphas narret historias, ac ne recentiores, quas evulgari a Nobis nondum concessum sit (2). Item ne Processiones, Indulgentias, aut alia hujusmodi annuntiet sine Nostro, seu Vicarii Nostri Generalis mandato.

X. A subtilioribus quoque, ab obscuris, ac difficilioribus tractationibus abstineant: hora enim frustra in rebus hujusmodi teritur; jamque peramplus superest ager, unde uberrima seges excidatur, tum vero in quo omnium virtutum semina partim jaciantur, partim excolantur. Itemque caveant, ne, dum peccatum aliquod redarguendum sibi proponunt, ita describant, ut notari possit quispiam nominatim: multo etiam studiosius caveant, nequando in Magistratus,

(1) *Trid. Sess. V. Cap. II. de Ref.* (2) *S. Carol. Concil. Provinc. I. Par. I. de Prædicat. Verbi Dei. Plur. Syn. Ferrar.*

tus sive laicos, sive sacros, neve in hominum quorumcumque societates, ac cœtus feratur reprehensio; quippequæ detrimentum quidem sæpissime attulisse compertum est, utilitatem nunquam (1).

XI. Plura in hanc rem recensere abstinemus: miserrimum namque foret sollicitudinis Nostræ solatium, si tam multis Decretis hoc unum extudissemus, ut nequis Verbum Dei scandalis, ineptiis, improvida oratione adulteraret. Multo sane latius Nostrum patet desiderium, ut omnes nempe salutare possint epulum degustare. Itaque ad ipsum, quem nuper attulimus, Tridentini locum redeuntes edicimus, & vehementissime hortamur, ut sacri Oratores peccata prudenter, graviterque insectentur, cum omnia, tum illa distincte, atque acrius, quæ aut sint communiora, nefarios contractus, furtorum diversa genera, odia, impudicitiam, blasphemias, ebriositatem; aut in quæ unaquæque gens, ad quam missi sunt, proclivior esse videatur. E contrario ad ea, quæ Christiani ædificii fundamentum sunt, atque robur, quanta maxima possunt, vi adhortentur, & excitent; nempe ad Virtutes Theologicas exercendas, ad Christianæ Doctrinæ studium, ad Sacramenta rite suscipienda, ad Templorum, rerumque sacrarum venerationem, ad prolem omni pietate educandam, ad charitatem, atque humilitatem (2). Illud omnibus in Diœcesi nominatim præcipimus, ut per octo dies (nempe a Dominica Passionis ad Dominicam Palmarum) Catechismum ad populum habeant, quo ipse ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in Paschate præsertim suscipienda se comparet. Denique, ut Prosperi verbis utamur, *non vocibus delectentur populi acclamantis sibi, sed fletibus; nec plausum a populo studeant expectare, sed gemitum* (3): scilicet tum præclarissime secum actum putent, si lacrymæ in auditorum oculis oboriantur, si crebrius, ac fructuosius Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramenta expetantur, si restituantur aliena, si pax, injuriis condonatis, revocetur, si tandem ipsa peccandi pericula studiosissime removeantur (4).

XII. Noverint excitandos Fideles, ut uberem eleemosynam elargiantur sanctissimis locis asservandis in Terra sancta, quæ Infidelium subest ditioni. Id nempe efficiant bis per Adventum, & bis per Quadragesimam jussu SS. Patris D. Nostri PII VI. (5). Fiat in Con-

(1) *S. Carol. ibid. Vide Syn. Cresc.* §. Ineptas, & §. In reprehendendis. (2) *S. Carol. ibid.* (3) *S. Prosp. Lib.* 1. *de Vita contempl.* (4) *Vide Lambert. Inst. XXVII. a n.* 16. (5) *SS. D. N. Pius Pap. VI. Constit.* Inter cetera 31. *Julii* 1778.

Concionibus ſemper diſtinctis. Hoc ipſum præſtent quater in anno Parochialium Eccleſiarum Rectores, præſertim quum plebem inter Miſſarum ſolemnia alloquuntur, miſeramque tum eorum locorum, tum Fidelium ibi degentium conditionem ſtudeant exponere. Hæc omnia ex Edicto Noſtro conſtabunt ad Synodi calcem (1). Neque tamen Concionatores omittant conſuetas eleemoſynas petere Chriſtianis e barbarorum captivitate redimendis.

XIII. Ceterum pro peculiari aliqua cauſſa id ne in Parochialibus Eccleſiis fiat, omnino prohibemus. Nos ipſi facultatem, ſiquando oportuerit, rogati dabimus (2). Illud autem hoc loco vehementer urgemus, nequando mutetur quæſitæ eleemoſynæ finis: certe quidem acerbi doloris argumentum paterno cordi Noſtro pauperum clamores præberent, ſiqui in alienum traducerent compendium, quod in pauperum ſubſidium fuit a populorum pietate expetitum, atque obtentum.

XIV. Qui concionaturi ad Moniales mittentur, id muneris obeant in Eccleſia ad crates: ſint interim fores occluſæ, ut ne quiſquam extraneus interſit, niſi forte ordinarius ipſarum Confeſſarius. At Concionator ſummo ſtudio caveat, ne ad dicendum imparatus accedat, neve quid unquam ſibi excidat, quod minus grave ſit, aut minus decorum: quin immo magnopere ſibi in Domino elaborandum proponat, ut quæcumque ad ſacrarum Virginum aures deveniunt, ſentiant illæ ſuo Inſtituto, ſuiſque moribus maxime convenire; *namque non una*, teſte Gregorio (3), *eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit; ſæpe enim aliis officiunt, quæ aliis proſunt*; & ut inquit Auguſtinus, *quum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem eſt omnibus adhibenda medicina* (4).

XV. Inſuper curanda auditorum frequentia: horam Concionis ſeligant Parochi, quam cognoverint populo omnium maxime commodam. Si habeatur a prandio, ea ne ſit Doctrinæ Chriſtianæ impedimento. Noctu nulla unquam Concio, niſi Nobis conſentientibus, habeatur (5). Provideant Parochi, ne forte Concionis tempore quovis ſtrepitu, aliiſque cauſſis, aut moleſtia dicenti, aut audientibus diſtractio procreetur: immo ne ulla interim Miſſa celebretur, ne

(1) *Append. pag.* 27. *N. XIV.* (2) *Syn. Creſc. pag.* 26. §. Sciant. *S. Carol. ibid.* (3) *S. Greg. Lib. Mor.* 30. (4) *S. Auguſt. de catechiz. rudib. Cap.* 15. (5) *S. Carol. ibid. S. C. Epiſc. in Caſtr.* 1629.

ne ullus cantus, aut intra, aut prope Ecclesiam fiat, ne Fidelium quidem Confessiones excipiantur (1). Nos vero præcipimus, ne in Diœcesi, antequam Parochialis habeatur Concio, ullum divinæ Rei faciendæ signum edatur, ac ne in quibusdam Oratoriis Sacrum fiat (2).

XVI. Item Ecclesiasticos omnes cum in Civitate, tum in Diœcesi, atque præsertim Cathedralis Nostræ Canonicos vehementer hortamur, ac obsecramus, ut ad audiendum Verbum Dei alacres, & frequentes confluant, sintque reliquis gentibus incitamento, atque exemplo. Certe quidem invisam Nobis de se opinionem Ecclesiasticus vir ingereret, si quum alii Evangelico semini spargendo elaborant, ipse in foro, in plateis otiari, perque vias evagari conspiceretur.

XVII. Jam vero qui mittentur Verbi Dei Præcones ad suas quisque Parochias tempore venient. Hos adventantes humanissime Parochi excipiant, *tanquam Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei* (3), utque Parochiales incolant ædes, invitent, ac liberaliter hospitentur. Quod sicubi nequeat id commode fieri, illos ne unquam, nisi quam honestissime, atque ab Sæcularium, præcipue mulierum consortio, rerumque tumultu sejunctos habitare permittant.

XVIII. Quemadmodum quidquid stipendii quavis, seu juris, seu consuetudinis caussa Concionatori debetur, fideliter illi solvendum est, quin detrahatur quidquam sine Nostra auctoritate (4); ita ne quæstus ullus fiat Concionatori ultra Parochiæ fines, in qua operam suam insumpsit, plane interdicimus.

XIX. Ab ipsis vicissim Concionatoribus non expectamus modo, sed etiam exigimus, ut summa degant charitate cum Parochis; ne ulla unquam in re ipsis sint importuni, aut molestiæ quidquam afferant: verum eisdem sint præsto in subeundis conjunctim Ecclesiasticis curis, atque laboribus, præcipueque in audiendis Confessionibus.

XX. In ceteris exemplum se se quisquis exhibeat bonorum operum, a familiaritate fœminarum, atque aliorum Sæcularium, a splendidis conviviis, a venatione, a ludis, a spectaculis abstineant: ratio vitæ universæ ejusmodi sit; quæ cum Evangelicis, quas solemniter annuntiant, veritatibus plane consentiat, ne factis destruant, quod verbis ædificare tantopere elaboramus (5). Quidquid porro hisce in rebus peccetur, a Parochis quibuslibet citissime moneri volumus. Nos

(1) *Synod. Cresc. pag.* 20. §. In ea Ecclesia. (2) *Par. II. C. V. N. XIX.*
(3) 1. *ad Cor.* 4. 1. *Lambert. Inst. XXVII.* (4) *S.C.C. in Viterbien. anno* 1628.
(5) *Vide Lambert. Inst. eadem, ubi plura in hanc rem a n.* 10. *ad* 16.

Nos vero uberiorem Appendici subjici instructionem jubebimus, quam sedulo legant, observentque omnes, qui Apostolicum hoc munus exercendum suscipiunt (1).

XXI. Tandem quemadmodum Apostoli *convenientes ad Jesum renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant* (2), ita etiam qui a Nobis mittentur Apostolici homines, ut laboribus suis exactis, ad Nos revertantur, & optamus, & petimus. Ista nimirum consolatione tanquam factæ jam expeditionis Nostræ fructu recreabimur; ac siquid præsertim præclarius in Dei Optimi Maximi Gloriam gestum alicubi fuit, ex ore ipsorum audire volumus, ipsisque gratulari. Erit etiam opportunum ab ipsis cognoscere, quæ adhuc efficere aut opus esset, aut saltem expediret, quo Divini Numinis cultus, animarumque in via Domini profectus magis, magisque augeatur. Siqui venire nequeant, de tota hac re Nos litteris moneant.

CAPUT VIII.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ LECTIONE IN METROPOLITANA.

TOta tum credendarum, tum recte agendarum rerum summa divinis iis, ut cuique notum est, Voluminibus continetur, quæ ab immensa Spiritus Sancti liberalitate, tanquam munus habet Ecclesia utilitatis, ac boni cujusque plenissimum: *omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia* (3). Verum quidem est, ita Scripturas nobis fuisse divinitus traditas, ut non manifestis solum rebus nos pasci, sed etiam obscuris (4) exerceri debeamus: quod enim in Epistolis Pauli animadverterat Petrus (5) esse *quædam difficilia intellectu*, in plurimis aliis quoque divinis Libris contingit. Quod quum Divinus ipse Spiritus in nostram fuerit utilitatem moderatus (6), ad edomandam labore superbiam, mentemque a fastidio revocandam, indocti, atque instabiles homines ad suam ipsorum perniciem, ac perditionem, Scripturas omnes depravan-

do

(1) *Append. pag. 29. N. XV: desumpta tota iisd. ferme verb. ex Syn. Fulgin.,* (*Edit. postr.*) *ut legit. in illius Append. pag.* 175. *Cap. VIII. § VI.*
(2) *Marci 6.* 30. (3) 2. *Timot.* 3. 16. (4) *Ex August. Lib.* 83. *Quæst. Qu.* 53., & *Lib.* 2. *de Doct. Christ. Cap.* 6. (5) 2. *Petri* 3. 16.
(6) *August. Quæst. ead.*

do (1) convertere non dubitarunt. Quibus sane de caussis ea fuerat antiquissimis Ecclesiæ Patribus consuetudo, ut divinos populo Libros exponerent: quo in genere præclarissima pietatis, doctrinæ, & eloquentiæ monumenta reliquere, e quibus potissimum rectum Scripturarum sensum habemus acceptum. Ab hac interpretandi ratione diutius deinde cessatum est; quare Lateranensia duo Concilia (2), tum vero Tridentinum (3), tandem Romanum ultimum (4), quo uberius, atque diuturnius memoratæ utilitates in Fidelem populum derivarentur, aptissimum illum Scripturæ tradendæ morem revocandum, amplificandum, certisque nunquam interituris legibus communiendum censuerunt: ex quo factum est, ut latissime jam in majoribus Ecclesiis illum aut restitutum, aut invectum videamus.

I. Lectiones sacræ Scripturæ habebit Canonicus Theologus in Choro Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, ut jam pridem in hac Civitate usu invectum est. Eæ quotannis quadraginta sint (5). Habeantur a Solemnitate omnium Sanctorum ad festum diem Divi Petri feria tertia, & sexta cujusvis hebdomadæ: sicque disponantur, ut memoratus numerus quotannis expleatur; quem sane, quantum fieri potest, sub pœnis in Constitutione BENEDICTI XIII. (6) inflictis servari volumus.

II. Quem sacræ Scripturæ Librum, vel quemnam alicujus Libri partem fuerit explicaturus, Nobiscum una communicet (7): eam explicandi rationem ineat, ut proposito fideliter Scripturæ loco, traditaque ejusdem litterali interpretatione, cujuscumque generis inciderint quæstiones ne prætermittat, sed dilucide eas exponat, sicque dissolvat, ut ipsius loci sententia fiat audientibus probe cognita. Indidem vero ea prodire facile intelliget, in quæ prona feratur oratio, ut pium aliquem affectum excitet.

III. Interim quibus diebus Lectionem habebit, si nolit Choro cum aliis interesse, ut accuratius ad suum munus se comparet, ne ulla idcirco Distributionum parte privetur, quas sibi acquirunt, qui Chori officio actu intersunt, ac serviunt (8).

IV. Immo vero eundem ob finem nequit ad Capituli negotia agenda

(1) *Ex Petr. ibid.* (2) *Later. III. sub Alex. III. & Later. IV. sub Innoc. III.* (3) *Trid. Ses. V. de Ref. Cap. I.* (4) *Conc. Rom. Tit. I. Cap. VI.* (5) *Ex Conc. Rom. Tit. I. Cap. VII. S. C. C. apud Card. Petra Tom. 4. n.* 48. *Edit. Venet.* (6) *Bened. XIII. Const.* Pastoralis Officii *in Append. ad Conc. Rom. N.* 2. (7) *Card. Petra ibid.* (8) *S. C. C. apud Lambert. Inst. CVII. n.* 55.

agenda procul a Civitate ablegari (1). Reliqua vero, quæ ab eodem Capitulo Officia demandantur, ut reliqui, peragat (2).

V. Verum nullus esset solemnium harum Lectionum labos, ac fructus, si nulli ad audiendum interessent. Tota, quæ hac in re Nobis tradita est, facultate uti necessarium minime judicamus (3). Clericos quidem Nostros iis interesse ita plane volumus, ut illos a novis Ordinibus repellere parati simus, nisi de auditis istis Lectionibus certum ferant testimonium. Sacerdotes vero, Confessarios Sæculares in Civitate degentes, Parochos ipsos hortamur, ut quantum sibi a reliquis, iisdemque necessariis occupationibus licet, alacres, ac frequentes intersint. Rem quidem agent Nobis apprime gratam, sibi certe perutilem: speramus enim fore, ut divino, quod sacris sparsum est Litteris, lumine affulgente, majorem virtutem induantur ex alto, atque Eloquio Dei, quod est vehementer ignitum, se intensiore in dies ad animarum salutem studio incendi sentiant. Hoc ipsum multo magis a toto Cathedralis Nostræ Clero fieri, & exoptamus, & petimus; quum enim eorum præ reliquis dignitas fulgeat, ipsorum præsentia illustriori erit reliquis omnibus, & incitamento, & exemplo. Quod ad Regulares, alibi (4).

VI. Illud etiam in Nostra Metropolitana (5) institutum comperimus, ut Sacerdos, quem Sanctissimi Sacramenti Societas elegerit, Nosque probaverimus, diebus quibusdam Dominicis, expletis jam divinis Officiis, aliam populo tradat sacræ Scripturæ Lectionem. Siqui ex iis, quos hortando commemoravimus, nequeant Canonici Theologi Lectionem audire, ne saltem ab hac se se desiderari patiantur: quum enim ad hanc frequentior convenire populus possit, discet ea pluris facere, quæ Sacerdotum exemplo viderit comprobari. Interim qui hoc munus exercet, populo Scripturas proponat, tanquam Litteras, quæ ex illa Civitate, unde peregrinamur, nobis venerunt, tanquam spiritualem mensam, in qua nobis quodvis epularum genus ad animas enutriendas apparatum; populum excitet, ut divina Eloquia meditetur, inque pietate, ac bonis moribus proficiat.

VII. Illud vero Nobis curæ maxime est, ut Ecclesiastici Nostri edifcant, nihil æque sibi carum habere, ac divinarum Scripturarum Codices: hi proinde nunquam in eorum supellectili desint, quos


 assi-

(1) *S. C. C. apud Syn. Fulg. Cap. 6. N. 3.* (2) *Ibidem*. (3) *S. C. C. in Urbinaten. an. 1662. Pax Jordanus. Vid. Card. Petra ibid.* (4) *Vid. Part. IV. Cap. VII. N. XXIX.* (5) *Ex Synod. Crescen. pag. 23.* §. Cum autem.


assidue evolvant, quos meditentur, quos probe calleant, ut non solum ipsi sint ad omne opus bonum instructi, verum etiam, ut ea in promptu habeant, quibus possint eos, qui Fideles esse volunt, in doctrina sana erudire, & eos, qui contradicunt, arguere.

VIII. Atque ut rerum, quæ sunt ad Fidem tenendam, custodiendam, augendamque constitutæ, finem faciamus, Apostolicis iterum verbis carissimos Nostros in Christo Filios hortabimur, ut vigilare contendant, & stare in Fide: quod ut consequi quisque possit, Deus, quemadmodum jam a principio monuimus, quotidianis, ac vehementissimis precibus est obsecrandus, ut, quod suum donum est, illud ipse amanter, fortissimeque tueatur, & augeat: omnes porro in Fide fundati, atque stabiles eandem pietate, atque moribus conemur exprimere; ne forte alienam a Fide vivendi rationem ineuntes, ex iis aliquando simus, qui bonam conscientiam repellentes circa Fidem ipsam naufragaverunt.

De Collat. Casuum conscient. agit. Par. IV. Cap. I, N. XL. & seqq.



CA-



PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS.



Actenus quæ Fides sit, quamque firmiter mente retinenda, qua ratione debeat eam quisque apud se custodire, immo etiam augere, tradidimus: ipse rerum ordo jam postulat, ut ea a Nobis agantur, per quæ, tanquam instrumenta salutis, visibilesque invisibilis gratiæ formas (1) *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur* (2). Jamque nihil in Ecclesia Dei est Sacramentis ob Mysteriorum, quæ continent, magnitudinem sanctius, nihil ob fructus, quos pariunt, uberrimos animabus utilius, nihil propter divinam Auctoris Dignitatem præstantius: ex quo fit, ut nihil tanta sit religione, atque cura a Minis-

F 2 tris

(1) *Cap.* Sacrificium 32. *de Consecrat. Dist.* 2. (2) *Trid. Sess. VII. in Proœm.*

tris tractandum, nihil tanta a Fideli populo reverentia, ac pietate expetendum, atque usurpandum. Hæc igitur altera Nostræ Synodi Pars, quæ de Sacramentis inscribitur, eo tota contendit, ut cuique nostrum pateat, quinam eorum sint proprii, ac legitimi Ministri, deinde quinam in iis conficiendis, administrandisque tenendi sint ritus; tandem quomodo populus Christianus ad ea suscipienda se comparet: utque ordine, ac ratione incedamus, quum de Sacramentis universim egerimus, tum ad singula veniemus.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Omnia Sacramenta*, ut Eugenius IV. nos docuit (1), *tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Atque hæc ad Sacramentum quodlibet conficiendum ita ex Ecclesiæ auctoritate necessaria sunt, ut siquid ipsorum desit, nullum haberi Sacramentum possit. Quos porro Latina Ecclesia ritus in solemni eorum administratione probet, quosque ipsa amplectatur, ii tum in libro, qui Rituale Romanum inscribitur, tum in multis Romanarum Congregationum Decretis cuique propositi sunt: quamquam non parum piissimo Decessori Nostro bon. mem. Joan. Fontanæ (2), multisque etiam Scriptoribus (3) debeamus, quorum cura, atque studio factum est, ut multa in hanc rem pie, utiliterque nobis jam extent. Ex hisce omnibus quædam seligimus, quæ sæpius in hoc genere contingunt, ut ea in unum veluti collecta nostrorum menti, atque animo subjiciamus.

I. Principio hoc Parochus, quicumque sit, apud se statuat, debere ipsum per se, quæ sunt sui muneris partes obire (4). Scilicet

(1) *Concil. Florent. in Decret. Unionis.* (2) *Extat Sacramentale S. Ferrar. Eccl. jussu fel. rec. Joan. Fontanæ Episcop. Ferrar. edit. MDC.* (3) *Plura in Comment. ad Rit. Rom. Auctor. Hieron. Baruffaldo; in Catechismo Roman. tot. Par. II., cujus Libri lectionem, atque usum Parochis vehementer commendat Clemens XIII. Epist. Encycl.* In Dominico. 14. *Junii Ann.* 1761. (4) *S. Carol. Conc. Provin. IV. Par. II. de Parochis &c.* §. Parochialis *S. C. C. in Sabinen. Jurium Parochialium die* 10. *Mart.* 1742. *ad dub. V. Plures Synod.*

cet *quum præcipuum ejus munus*, *cujus caussa a reliquo populo separatur*, *ab Ecclesiaque sustentatur*, *præter cetera*, *Sacramentorum administratio sit* (1), debet ipse non solum *plebem per se in Catholica Fide incessanter instruere* (2), sed eam etiam *Sacramentis reficere* (3). Quapropter siqui inter nos sint, qui a Sacramentorum administratione levioribus ex caussis se se subducant, eamque curam in alium plerumque rejiciant, secum ipsi sedulo cogitent, atque in Domino repetant, quantum ista patiatur Pastoralis muneris, & integra justitiæ ratio. Nos certe quæcumque in hoc genere Parochus valeat, ea ut perficiat ipse per se, & commendamus, & volumus: idcirco de re, quæ summæ Nobis curæ est, sedulo a Vicariis Foraneis, atque Synodicis Testibus moneri jubemus (4); eamque pro Nostra auctoritate urgere nunquam cessabimus. Quum vero nequeant Parochi omnibus simul adesse, quidquid non valeant, aliis committant (5); hac tamen lege, ut ea semper sibi decernant, atque retineant, in quibus majus Dei obsequium, certiorque animarum salus eluceat.

II. Quare utcumque quæratur Sacramenti alicujus præsidium temporibus importunis, oratione non satis urbana, utcumque difficili eundum sit via, non idcirco fieri unquam debet, ut Parochus ægre ista audiat, aut morosum se præbeat, aut opus indignanti, sive fastidienti similis aggrediatur (6).

III. Immo vero sit omnibus manifesta Pastoris alacritas, quæ rudibus animis, ac cœlestium ignaris magno erit argumento, quanto in pretio Christianæ Religionis munera habenda sint. Ad hæc sæpe suos publice moneat, ut, ubi primum occasio se obferat juvandi aliquem extrema Sacramentorum ope, ne moras nectant, sed eam a suo Pastore petant fidentissime (7). Quæ tamen inania esse arbitrabuntur, si Parochum interdum segnem, aut minus erectum paratumve experiantur. Quod si cujusquam salus periclitetur, propterea quod Parochi vitio administrata in tempore illi non fuerint Sacramenta, judicet ipse, quanto par sit Nos in eum zelo exardescere,

&

(1) *Idem Sacramentale Ferrar. Eadem verba leguntur in Sacrament. Ambros. rel. a D. Car. Par. IV. Act. Eccl. Mediol. de Sacram. admin.* (2) *Vid. paulo supra Par. I. Cap. VI. N. I. Cap. VII. N. III.* (3) *Conc. Rom. Tit. I. Cap. IV.* (4) *Vid. Append. pag.* 142. *N. V. in Relat. Vicar. Foran.* (5) *De Parochi adjutoribus*, *sive Capellanis vid. Par. IV. Cap. V. N. XXXIV.* (6) *Rit. Rom. De Sacram. admin. general.* §. Quæcumque. *Idem Sacramentale Ferrar.* §. Quæcumque. *Cap.* Divinis 2. *Caus.* 25. *quæst.* 1. *S. C. Episc. in Tropiensi* 14. *Sept.* 1579. (7) *Rit. & Sacrament. idem ibid.*

& quas socordiæ, quæ intercesserit, pœnas sumere debeamus (1).

IV Quamquam non est expectandus mortis articulus, quo suprema Sacramentorum officia fidelibus persolvantur. Nam sicuti Parochus plebem suam tum in Concionibus, tum in privatis sermonibus cohortari sæpe debet, ut ad Sacramenta crebro, atque utiliter accedat, ita præsto continenter sit, ut divina ista beneficia ultro etiam offerat, neque ab illis quemquam, nisi palam indignum repellat.

V Ast Parochi, & quicumque sint Sacramenta ministraturi, secum ipsi cogitent, quarum rerum administratio ad ipsos pertineat, quamque sibi curæ esse debeat, vitam ab omni saltem gravi culpa remotissimam agere: *nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque* a *pravis Ministris eorum effectus impediri, impure tamen, & indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt* (2).

VI. Puritati deinde animi respondeat opus est religio, ac pietas in universo quoque cultu, atque habitu externo. Præter delectum vestimentorum, & loci, quorum habenda semper est ratio, nisi aliter suadeat necessitas, omnia in hisce Ministeriis peragantur diligentia, gravitate, modestia plane singulari. Existimant omnes quamdam in Ecclesiastico Ministro sacrilegii speciem, quum incessu, vel lingua fertur præcipiti, quum oculis vagis, quum gestibus fractis, atque incompositis, quum denique se se gerit neglecte, oscitanter, sine ratione, atque ordine. Quare in eis obeundis elucere par est majestatem cum venustate conjunctam, ut Angeli mirentur, Dæmones contremiscant, homines ad cœlestia excitentur: & sane ipsos interdum Infidelium animos sacris Catholicorum ritibus tantopere perculsos fuisse accepimus, ut patriam Religionem detestati ad veram amplectendam cupidissime convolarint.

VII. Jamque cæremoniæ, ac ritus cuique Sacramento conficiendo, atque administrando necessarii maxime sunt in Romano Rituali. Quare Parochi omnes, atque Capellani hunc apud se librum habere prorsus debent. Habeant etiam ceteri Sacerdotes, si velint (uti summopere optamus) Parochis suis utiles esse. Quæcumque ibi institutiones traduntur, eas assidue in oculis servent, eisdemque quam accurate inter ministrandum adhæreant. Materiis, ac formis, quibus Romana Ecclesia utitur, nihil omnino audeat quisquis addere, nihil detrahere, nihil commutare de illis; sed tum reliqua, tum earum præsertim formarum verba, quo tempore adhibetur elementum, arti-

(1) Cap. Quicumque 122. *De consecr. Dist. IV.* (2) *Rit. Rom. ibidem* §. Quamobrem.

articulatim, diſtincte pronunciet (1), *in ipſaque adminiſtratione actualem attentionem habere ſtudeat, vel ſaltem virtualem cum intentione faciendi, quod in eo facit Eccleſia* (2).

VIII. Sic autem a Parochis, & ab aliis omnibus miniſtrari volumus Sacramenta, ut quæcumque lucri, aut avaritiæ labes, immo vero ſuſpicio longiſſime arceatur. Nihil omnino ne tacite quidem, aut indirecte in Sacramentis miniſtrandis petatur; ſed gratis omnibus dentur hæc gratis accepta divinæ gratiæ munera (3). Palam id aperiendum, idque fideliter præſtandum. Quæ res non efficiet tamen, ut ſiquid ſponte a Fidelibus, quibuſdam Sacramentis peractis, eleemoſynæ nomine offeratur, neceſſe ſit recuſare (4). Quamquam ſi de egenis agatur, parati potius eſſe debent Paſtores eleemoſynam ipſis elargiri, quam ab ipſis accipere.

IX. Honor pariter habendus eſt magnus tum iis rebus, ex quibus Sacramentorum materia conſtat, tum iis, quæ propius ad Sacramenta ſpectant. Diligenter itaque, quidquid in hanc rem ſtatuemus, ſervandum eſt.

X. Quemadmodum vero non licet Epiſcopis, quæ ſua ſunt munera in aliena exercere Diœceſi, ita ne Parochis quidem, quæ ſua ſunt, in aliena Parochia. Hoc nempe antiquiſſimo jure ſancitum eſt, ac ſancte propterea, nec ſine propoſitarum pœnarum terrore ſervandum. Non tamen ita vetitum eſt, ut repentina aliqua, Parocho abſente, neceſſitas, vel Parochi ipſius conſenſus, aut permiſſio, multo autem magis Noſtra, ſeu Vicarii Noſtri Generalis conceſſio, aut mandatum non ſinat, ut quicumque proximo, quam poteſt, opem afferat, magnamque ſibi & laudem, & præmium promereatur in Cœlis.

XI. Quidquid Sacramentorum tum dignitatem tuetur, tum frequentem uſum conciliat, omnibus plane viribus curandum eſt; utque omnes efficiantur Sacramentorum beneficio digni, & optamus, & quibuſcumque poſſumus rationibus conari non ceſſabimus: ſed qui ſe ſe præbent palam indignos, hi Eccleſiaſtica libertate a divinis hiſce Myſteriis penitus repellendi (5).

XII.

(1) *Quæ formæ mutatio ſubſtantialis, quæve accidentalis, oſtendit D. Thomas 3. par. quæſt. 60. art.* 8. *in corpore*. (2) *Rit. Rom. ibid.* §. Ad miniſtrandum. *Vid. Trid. Seſſ. VII. Can. II. De Sacr. in gen. Vide propoſ.* 28. *inter proſcr. ab Alex. VIII.* (3) *Cap.* Baptizandis *99. & ſeptem ſeqq. cauſ.* 1. *quæſt.* 1. *Rit. Rom. ibid.* §. Illud porro. (4) *Rit. Rom. ibid. S. C. C.* 1. *Febr.* 1593. (5) *Quinam hi ſint, fuſius exprimitur hac Parte Cap. IV. Num. XIII.*

XII. Quin immo in iis, qui ad Sacramenta accedunt, cum interiore animi pietate conjungatur externa, quæque non obſcure intuentium oculis appareat, humilitas, modeſtia, atque religio, cujus indices ſint veſtes, vultus, inceſſus. Ac viri baculos, atque arma quæcumque deponant: fœminæ ſumptuoſiori, atque elegantiori cultui parcant, & caput decenti obnubant amictu, at minime ſingulari; quæ ſiquando audeant verecundiæ leges evadere, jure a Sacramentorum ſuſceptione rejicientur.

XIII. *Ut Fidelis populus* (habemus ex Tridentino Concilio) (1) *ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolum cum hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, prius illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem a ſingulis Parochis pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commode fieri poterit, ſervari ſtudeant*. Atque hinc facile diſcent Parochi, quanta cura ipſis enitendum, ut Fidelium animi ad Sacramenta utiliter ſuſcipienda comparentur (2).

XIV. Illud etiam peropportunum fore cenſemus, ſi populus commoneatur, antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine fuiſſe inſtitutum, ut Sacramenta celebrarentur ubique certis adhibitis cæremoniis, quæ eorum vim magis, magiſque declararent, atque oculis veluti objicerent. Quorſum enim ornamentorum in Altaribus, inque Miniſtris apparatus, precationes, facularum incenſio, ſanctorum oleorum effuſio, adorationes, aſperſiones, cantus, alia tam multa in divinis rebus tanto ordine uſurpata? omnia nimirum appoſite, atque ad divinum Myſterium. Quicumque enim ea diligentius obſervarent, ad divinarum iſtarum rerum cognitionem facile erigerentur, atque hinc majorem in ſe & fidem excitari, & incendi charitatem ſentirent. Quocirca ſi Concilii mentem implere velimus, uberrimus hic locus erit, quo Fideles omnes cum delectatione, atque fructu erudiantur (3).

CA-

(1) *Seſſ. XXIV. De Ref. Cap. VII.* (2) *Vid. Catechiſ. Rom. Par. II. Cap. I. §. 32. S. C. C. de mand. Innoc. XI. 12. Febr. 1679.* (3) *Vid. Trid. Seſſ. XXII. de Sacr. Miſſæ Cap. V. Vid. Baruffald. in comment. ad Rit. Tit. I. n. 3. 4.*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SAcrum Regenerationis Lavacrum, quo Deus ſecundum Miſericordiam ſuam ita Spiritu Sancto nos renovat, ut ex iræ filiis renaſcamur in adoptionem Filiorum Dei, hæredes ſecundum ſpem vitæ æternæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro (1), primum inter reliqua Sacramenta non modo ordine, ſed etiam neceſſitate obtinet locum, quum ubique vox intonet Evangelica: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei* (2). Eſt enim Sacramentum, quo omnes, qui in Adam mortui ſunt, vivificantur in Chriſto, peccatoribus prima poſt naufragium tabula, ad Chriſtianam Religionem, ad Sacramenta cetera, ad Regnum Dei unica janua: quare illud *Sacramentum Fidei* nuncupavit Tridentinum Concilium, *ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio* (3). Tanta igitur hujuſce Sacramenti neceſſitas, tantaque vis proponi ſæpe Chriſtiano populo debet, ut memorem pro tam ſingulari, quod a Deo beneficium accepit, ſemper animum gerat: tum omni ſtudio curandum, ut, quanta maxima fieri poteſt, diligentia, atque religione adminiſtretur.

I. Fons Baptiſmalis, qui olim extra Eccleſiam, nunc autem intra ipſam conſtitui ut plurimum ſolet, ſitum ſit prope oſtium maximum, atque, ſi commode fieri poteſt, ad latus, in quo legitur Evangelium. Vas, quo ſalutaris Aqua continetur, rotundum ſit, & quantum ſatis amplum; utque purior unda ſervetur, conſtet ex integro marmore, vel, ſi placet, ex cupro, quod tamen fuſo ſtanno intus oblitum ſit. Vaſi ligneum ſuperimponatur operculum, quod exurgat inſtar pyramidis; interius ſit cavum albo panno obductum, exterius faſtigiatum, inque apice infixam Crucem præſeferens, unde violacei coloris conopeum profluat, quo totum & operculum, & vas contegatur (4).

II. Porro in operculo, ſive in pariete proximo cavum faciendum, ubi duo condantur vaſcula ex argento, vel puro ſtanno, quæ ſervent ſacrum Catechumenorum Oleum, & Chriſma (5). Utrumque quid contineat amplioribus notis præferat, quo errandi periculum

 omne

(1) *Ad Tit.* 3. 5., *& ſeqq.* (2) *Joan.* 3. 5. (3) *Trid. Seſ. VI. Cap. VII.* (4) *Rit. Rom. De Sacram. Bapt. Tit. De Tempore, & loc.* §. Baptiſterium. (5) *Vid. Cap. IX. N. III. & ſeqq. huj. Par.*

omne summoveatur. Servandum quoque ibidem est & sal benedictum, idemque tusum, subtiliterque comminutum, & munda linteola, & siqua sunt alia: nam de sacro Fonte hauriendum est grandiusculo cochleari ex argento, vel alio metallo nitido: quumque haustum fuerit, animadvertatur, ne quæ abluti caput aqua tinxit, in ipsum refluat Fontem, sed vel in Sacrarium labatur, vel subjecta excipiatur pelvi in Sacrarium statim fundenda (1).

III. Prope, vel supra ipsum Baptismi Fontem conspiciatur Imago S. Joannis Baptistæ Christum Dominum baptizantis in Flumine, ut omnium memoriæ occurrat, ajebat Augustinus, *si baptizata est Caro Christi, quæ sine peccato erat, propter exemplum imitationis, quanto magis baptizanda est caro mortis propter evitandum judicium damnationis* (2). Ipsum vero ligneum operculum, & cavum, quod diximus, sera, clavique muniendum, ut tum a sacrilega manu, tum a sordido pulvere defendatur: immo Baptisterii locus firmis rastris, sive cancellis ad custodiam, atque ornamentum circumsepiatur. Hic porro bis saltem in anno purgandus: quamquam etiam paulo ante, quam solemnis Aquæ Benedictio repetatur, Fontem intrinsecus mundare oportet, atque studiosissime abstergere (3).

IV. Nam ubicumque Baptismalis sit Fons, Aqua renovetur quotannis necesse est, & solemni Benedictione consecretur. Est autem hodierna consuetudine inductum, ut id in Cathedralibus præsertim Ecclesiis fiat Sabbato majoris Hebdomadæ, ac Sabbato Pentecostes, & Catechumeni, siqui tum sint, salutaribus undis abluantur (4). Certe quidem non aliis ejusmodi Benedictio, quam alterutro ex iis diebus habenda, neq aliis horis, quam antemeridianis. Quod si aliis sive horis, sive diebus fieri in aliqua Parochia consuevit, abusum declaramus (5), utque tollatur, præcipimus. Hæc autem Benedictio, quanto magis fieri potest, celebri ritu, plurimorumque cultu, ac prece augustior, atque solemnior, vehementissime optandum, & est Ecclesiasticis Decretis valde conforme. Quare in Metropolitana Ecclesia Canonici, ac reliqui Sacerdotes, & Clerici eidem addicti religiose intersint: in Plebanis Ecclesiis, uti fert sive jus, sive consuetudo, Parochi Plebis interesse aut ipsi per se tenentur, aut Sacerdotem mittere, qui mu-

tuam

(1) *Rit. Rom. ibid. De sacris Oleis &c.* (2) *Aug. Lib. de Bapt.* (3) *Rit. Rom. ibid. De Tempore, & loc.* §. Baptisterium. (4) *Cap.* Duo Tempora 52. *& seqq. De Cons. Dist.* 4. *Catechis. Rom. Cap. II. De Sacr. Bapt. n.* 61. *Rit. Rom. De Mat. Bapt.* §. Aqua. (5) *S. R. C. in Lucan.* 12. *Apr.* 1755. *refer. Talà.*

tuam Plebano Parocho benedicenti operam præstet (1). Qui tamen Rectores Benedictioni Fontis in Plebana Ecclesia intersunt, ne se liberos putent ab Ignis, & Cerei Paschalis Benedictione in propria Ecclesia: hæc enim ex Ecclesiæ præcepto est Sabbato Sancto habenda (2). Item iidem Rectores curent, ut, antequam Plebanam adeant Ecclesiam, Fontem ipsi benedixerint in sua: quare si Olea sancta ab Archipresbyteris petant, antequam in Ecclesia Plebana facta fuerit Functio, ea omnino petentibus dari volumus, atque mandamus. Quod si in Sabbato Sancto nequeant omnes Rectores aliqua ex caussa Fontem benedicere, restat, ut Benedictionem differant ad Sabbatum Pentecostes. Interim ab ipsa Plebana Ecclesia salutarem Aquam recipiant, ut mos olim invaluerat.

V. Si forte contingat, ut quæ solemniter fuit Aqua ad Baptismum benedicta & ipsa corrumpatur, sive ratione quacumque deficiat, est in Rituali Romano modus, ac ritus, quo alia quovis tempore benedicatur (3): neque vero, quominus semper comparata sit hujusmodi Aqua, diem, vel unum cunctandum. Hæc de sacro Fonte, a quo caveat quisquam, ne sacros latices hauriat, ut alteri tradat.

VI. Jam Baptismus, nisi aliter necessitas exigat, administrandus solemniter est, neque alibi sane, quam ad Fontem Baptismalem: nunquam in privatis ædibus (4), nunquam in Oratoriis quibuscumque, nisi Nos ipsi, siquando videatur, facultatem fecerimus. Materia, & forma utendum, prout in Rituali Romano. Sunt jam ab ipsis nascentis Ecclesiæ temporibus institutæ cæremoniæ, atque ritus pro solemni administratione Baptismi, quique Romano ipso Rituali continentur. Hi ad unguem serventur, nihilque ex eis omnino omittatur sub pœnis per sacros Canones statutis.

VII. Legitimus hujusce Sacramenti Minister est in sua quisque ditione, cui aut jure, aut ex præscripta consuetudine datum sit salutarem in sua Ecclesia Fontem habere ad pueros communi labe expiandos. Jam vero nequis, etiam si Parochus, audeat sacro huic Ministerio se ingerere, nisi a Nobis, aut ab eo, cui competit baptizare, mandatum illi fuerit. Caveant vero studiosissime quicumque tale habent jus, ne ejusmodi onus alicui committant, quem non apprime idoneum noverint: Hinc neque ad id Capellanum ante admittant, quam fuerint experti eum sacrorum Rituum peritissimum.

(1) *Vid. Lambert. Inst. I. n. 6.* (2) *Lambert. Inst. XXXIX. n.* 8. (3) *Rit. Rom. Tit. De Mat. Bapt.* §. Si vero. (4) *Clem. unic. De Bapt. Rit. Rom. ibid. De Temp., & loc.* §. Atque. *Conc. Rom. Tit. XXVI. Cap. III.*

VIII. Efficit Sacramenti necessitas, ut ex Prædecessoris Nostri Decreto jubeamus infantem baptizari non tardius (1), quam altero a natali illius die. Siquis gravem se habere differendi caussam censeat, Nostrum erit, aut Vicarii Nostri Generalis eam agnoscere, atque probare: nam festinandum omnibus esse sine mora renasci aperte scripsit SS. Pontifex Clemens Primus (2).

IX. Mos est Baptizato Nomen imponere: atqui dedecet plane, eum, qui veterem hominem expolians Christum induit, appellari nomine pagano, fabuloso, inepto (3). Quare eorum tantum Nomina imponantur, qui sunt ab Ecclesia in Cœlitum numerum relati, unde Fideles vitæ auspicem sibi comparent in Cœlis, & bonorum operum exemplar in terris. Est etiam prudenter cautum, ad prohibendam nimirum confusionem, ne frater alterius fratris nomen gerat; etiamsi vita cesserit: saltem aliud insuper addatur (4).

X. Quod ex vetustissima Catholicæ Ecclesiæ consuetudine institutum fuerat, ut in solemni celebratione Baptismi ii adsciscerentur, qui e sacro Fonte Baptizatum levarent, ita Concilium Tridentinum admisit, ut eorum multitudinem sapienter præcideret, & is nunquam deesset, qui tam sancto, tamque necessario munere fungeretur. Sit igitur qui de sacro Fonte Baptizatum suscipiat, sed unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una (5). Quamquam non omnes ad hujusmodi officium, nullo eorum habito discrimine, admittendi: sunt enim, quos, etsi non eandem ob caussam, arcere necesse est. Hi censentur naturales baptizandorum parentes, infames, facinorosi, excommunicati, interdicti, non Confirmati, Paschalibus nondum Sacramentis refecti, ac etiam qui se se non satis ostendunt in Catholicæ Fidei Rudimentis instructos. Tandem nequeunt huic se oneri subjicere, a sacris quidem Canonibus, Regulares utriusque sexus (6), a Nobis autem, quicumque Clerici Sæculares; qui omnes neque per Procuratorem id agere sibi fas putent.

XI. Ecquid caussæ sit, curnam hujusmodi homines Patrinos

agere

(1) *Syn. Cresc. pag.* 46. §. Hujus porro Sacramenti. (2) *Clemens I. Epist.* 51. *Vid. Catech. Rom. De Bapt. n.* 34. *Lamb. Institut. XCVIII.* (3) *Conc. Nicæn. Can.* 39. *Rit. Rom. De Sacris Ole. S. Joan. Chrys. Hom.* 22. *in Gen.* (4) *Nonnullæ Synodi.* (5) *Trid. Sess. XXIV. Cap. II. De Refor. Matrim.* (6) *Catechis. Rom. De Bapt. n.* 29. *Rit. Rom. De Sacr. Bapt. Tit. De Patr. Cap.* In Baptismate 102. *De Consecr. Dist.* 4. *S. Carol. in Conc. I. Par. II.* Quæ per. ad Bapt. admin. *Cap.* Non licet 103. *Cap.* Monachi 104. *De Cons. Dist.* 4. *Conc. Aquens. Ann.* 1585.

agere prohibeantur, satis muneris ipsius natura docere quemquam potest: solent nempe ad salutarem hanc, atque sacram ablutionem adjungi, iique alii a veris parentibus, qui Baptizatum e Fonte suscipiant, tum ut facilius appareat, quantum spiritualis hæc Regeneratio, per quam Filii Dei nascimur, a carnali distet generatione, per quam ad mortalem hanc gignimur vitam; tum ut vice parentum, si forte nolint ipsi, sive non valeant, ii semper habeantur, quorum opera, qui ex Baptismi Fonte spiritualem vitam vivere incipiunt, in Fide erudiri, atque ad omnem pietatem institui possint. Hinc enimvero facile patet, sanctum hujusmodi munus iis committi non posse, qui illud gerere (1) aut fideliter nolint, aut accurate non queant. Quare doceat quidem Parochus (atque hæc Patrinos docere opportunum interdum erit Sacramento administrato), a susceptore cum eo, quem suscipiunt, cumque veris ejus parentibus spiritualem cognationem iniri, quæ non solum nuptiarum fœdera haberi inter hos omnes prohibet, sed etiam plane dirimit, atque dissolvit (2): doceat iterum ex hujusce cognationis vinculo fieri, ut, siqua inter hosce habeantur carnis commercia, turpissimi evadant incestus, quos, cum Prædecessoribus Nostris, Nobis absolvendos reservamus. Verum gravissimis etiam verbis persequatur, & explicet, quid Patrini in fidem suam receperint, quidque solemni ritu spoponderint, quæque eorum sint partes (3). Sæpe etiam indoleat (dolendi enim haud infrequens caussa), eos, qui ad suscipiendos infantes vera erga proximum charitate adducantur, esse omnino perpaucos: hinc Patrinorum opera ad puerorum institutionem interdum necessaria deprehenditur, quam tamen illi ne se debere quidem suspicantur. Quamquam & illud graviter insectetur, quod delatum Nobis fuit, tale nempe munus a quibusdam suscipi, ut eo deinde ad fovendos amores abutantur: atque propterea curent Parochi, ne mares ad id, ac fœminas adolescentioris ætatis admittant; impuberes autem prorsus excludant (4).

XII. Nihil autem vetat, quominus aliquis alteri committat, ut alium de sacro Fonte levet nomine suo, nisi committens per se ipse facere prohibeatur. Hæc tamen accurate servanda: in primis ut Procurator scriptum Parocho exhibeat, ex quo legitimum procurationis suæ constet testimonium: deinde ut Procurator ipse profitea-tur,

(1) *Ex Catech. Rom. De Sacr. Bapt. ubi de Patrin. Bapti. n. 29.* (2) *Trid. ibid. Catech. Rom. ibid. n.* 27. (3) *Catech. ibid. n.* 28. *Cap.* Vos ante 105. *De Consecr. Dist.* 4. (4) *Ex Rit. Rom. ibid.*

tur, se se baptizandum mandantis voluntate, ac nomine levare, proque illo spondere: præterea ut testimonium, sive mandatum inter Parochiales Tabulas ordinatim asservetur. Ipse vero moneatur Procurator, nulla eum cum baptizato, vel ejus parentibus spirituali affinitate devinci.

XIII. Functione peracta (erit enim hoc tempus persæpe commodum) (1), moneantur parentes, ut infantem a quovis ejus suffocandi periculo providentissime arceant. Est id quidem naturali lege præceptum: suas in id ipsum pœnas sacri Canones statuunt (2). Rei tamen gravitas, uti Prædecessorem Nostrum Cardinalem Crescentium (3), ita Nos etiam impellit, ut quod naturalis jubet lex, illud Nostra quoque lege firmemus. Quare districte præcipimus, ne mater, aut nutrix, aut alius quicumque sit, infantem anno minorem secum una in eodem cubili detineat, nisi forte opportunum, ac tale interponatur repagulum, sive ligneum illud sit, sive laneum, sive lineum, ut nullum suffocationis periculum puellulo imminere prudenter censeatur: quique secus facere audeat, in eam se noverit culpam incurrere, a qua nequeat, præterquam a Nobis, absolvi.

XIV. Restat etiam, Baptismo collato, ut referantur statim in Librum ad id paratum eorum, qui fuerint initiati, nomina, cognomina, ac insuper annus, mensis, dies, (hora quantum fieri potest) qua nati sunt. Perficiatur omnino, prout docet Rituale Romanum. Atque hæc serventur: 1. ut hujusce scriptionis forma, & litteræ perspicuæ sint, & lectu faciles, minimeque per compendiarias notas, aut per numeros, sed verbis explicatis: item ut nequid unquam addatur à re describenda, vel tantillum alienum: 2. ut si baptizet alter à Parocho, Baptizans subscribat propria manu, exprimatque mandatum: 3. ut siquis alibi fuerit, quam ad Baptismalem Fontem, ablutus, solus describat Parochus, adjecto nomine etiam Baptizantis: tandem ut Baptismales hujusmodi Libri summa cum diligentia custodiantur, utque gravissimus existimetur error, atque gravissimorum incommodorum caussa, non solum si perirent, sed etiam siquid inde abraderetur, sive immutaretur. Magna siquidem negotia ex illorum fide, quam tota ipsa Respublica accipit, ortum ducunt, eidemque nituntur. Igitur quæ ibi sunt exponenda sine cunctatione scribantur, nemine memoriæ suæ fidente, neque etiam schedis in Librum, quandocumque libuerit, reportandis. XV.

(1) *Rit. Rom. De Bapt. parvul.* (2) *Vid. Cap.* Consuluisti 20. *caus.* 2. *quæst.* 5., *& Cap.* Quæsitum 7. *De pœnit. & remiss.* (3) *Syn. Cresc. pag.* 48. §. Baptismo.

XV. Utque certiores simus, ea, quæ hic præscripsimus, rite servari, volumus, ut semel in anno hujusmodi Libros visitent Vicarii Foranei, & quomodo asserventur, Nobis denuntient, quum tempore statuto in Nostro Archiepiscopali Palatio cogentur (1). Ast omnes hac in re diligentes futuros confidimus, quin unquam Nobis sint promeritæ negligentiæ pœnæ sumendæ. Hactenus de administratione solemni.

XVI. Verum haud raro fit, ut periculum immineat infanti, antequam possit ad Ecclesiam deferri. Tum vero, sicuti cuivis hominum generi infantem abluere conceditur, ac potius præcipitur sine ulla legum injuria, ita quovis in loco (2). Attamen hæc observanda diligentissime: Primum, ut hæc Functio, ubi adsint satis periti, a digniore, seclusis plane parentibus, obeatur (3): quamquam si nullus alius adsit, qui baptizare possit, ne formident ipsi; neque enim ullam idcirco spiritualem cognationem usum ceteroquin Matrimonii impedituram contrahent (4). Secundo, si forte incidat dubium, vivatne infans, an non, abluatur conditione interposita. Tertio is, qui privatim baptizat, unius diei spatio ad Ecclesiam Fontis rem deferat; ibique rem, uti peracta fuit, explicet in Baptizatorum Librum ab eo, qui habet Fontem, referendam (5): qua super re Parochi vigilent. Quarto, si vivat, ac bene habeat infans, quantocius, hoc est ante decimam lucem, ad Ecclesiam perferatur, ubi erga eum solemniores, quas semper consuevit Ecclesia Dei, cæremoniæ perficiantur (6): adsint tum quoque, si libuerit, Patrini; hos tamen Parochus jubeat animadvertere, nullam ab ipsis spiritualem cognationem iniri. Postremo tota res, quæ acta est, ejusdemque caussa in Baptismalem Librum referatur.

XVII. At si forte collatus fuit Baptismus privatim ab aliquo non habente hujusce rei usum, neque scientiam, Parochus sollerter exquirat, quænam adhibita sit materia, quæque verborum formula, an hæc duo conjunctim (namque intentionem licebit paulo liberius inter Christianos credere, nequaquam fuisse desideratam): siquid de-

fuisse

(1) *Vid. Append. pag.* 143. *N. IX.* (2) *Cap.* Firmiter *De summ. Trinit. Cap.* In necessitate 21. *Cap.* A quodam Judæo, 24. *& alibi De Consecrat. Dist.* 4. *Concil. Flor. in Decr. unionis Armen. Trid. Sess. VII. Can. IV. De Baptis.* (3) *Vid. Catech. Rom. Cap. II. De Bapt. n.* 25. (4) *Cap.* Ad limina 7. *caussa* 30. *quæst.* 1. *Rit. Rom. De Ministro Baptis.* §. Pater. (5) *Ex Lambert. Inst. XCVIII. n.* 14. (6) *Cap.* Spiritus Sanctus. §. Ecce *caus.* 1. *quæst.* 1. *Rit. Rom. De Bapt. parvul. Lambert. Inst. ead. n.* 13. 57.

fuisse cognoscat, quod ad illius essentiam pertineat, absolute baptizet: sin ab examine prudens exoriatur dubitatio, fuerit, nec ne, Sacramentum rite collatum, baptizet, sed conditione adjecta: quod siquis ex levibus conjecturis id faceret, (utcumque conditionem adjiceret) neque culpam effugeret, neque pœnam, quam Canones irregularitatem vocant (1).

XVIII. Itaque quum sæpe debeant infantem abluere cujusvis generis homines, & fœminæ, eæque præsertim, quæ parturientibus adsident, est tum publice a Parocho de ratione conferendi Baptismum edocendus populus universus, tum privatim, ut mox dicemus, obstetrices, a quibus maxime repeti debet, ut non modo probe teneant quidquid de Baptismi Materia, & Forma scitu est necessarium, sed etiam quonam pacto se se gerere debeant in rebus diversis, neque tamen admodum raris, in quibus illas officii sui caussa versari necesse fuerit (2).

XIX. Sic autem Nos præterea edicimus 1. ut nulla mulier obstetricem agere incipiat, nisi a Vicario Nostro Gen. examen subierit, atque concessionem in scriptis retulerit (3): 2. ut obstetrices semel in Curia Nostra probatæ dent eorum in baptizando peritiæ specimen apud Parochum bis in anno (4): 3. ut insuper singulæ subeant ejusmodi examen apud Parochum illum, in cujus Parochia se se ad habitandum recens contulerint: 4. meminerint, se se teneri ducere ad Ecclesiam infantem, quem conditione interposita abluerint: de tota enim re debent Parochum instruere: 5. ut in deducendo infante abstineant a pompis, sed modesto cultu, & habitu incedant. Quæ ut ne frustra sint per Nos constituta, utque præterea obstetricum vita sit bene morata, erit Parochorum diligentiæ curare, ac efficere.

XX. Sunt tamen mulieres, ut Nobis relatum, quarum obstetricia opera alicubi necessaria prorsus habetur, quæque nihilominus invitæ ad id muneris exercendum solent adduci. Quæ igitur ejusmodi sunt, monendæ, incitandæ, ac propemodum compellendæ, proposita magna erga proximum graviter laborantem charitate, quem sibi, quoad vivet, insigni beneficio devinctum habebunt; possunt etiam

(1) *Cap.* Ex litterarum 2. *De Apostatis, & reiterantibus Baptismum. Vid. Lambert. Inst. LXXXIV. a n.* 1. *ad* 14. *S. C. C.* 19. *Dec.* 1682., *&* 27. *Mart.* 1683. (2) *Plura in Rit. Rom. Tit. De Baptiz. parv.* §. Nemo. *Ben. XIV. de Syn. L.* 7. *Cap.* 5. (3) *D. Car. Conc. Prov. V. Par.* I. Quæ ad Baptismum pertin. *Vid. Lambert. Inst. VIII. n.* 1. (4) *Plur. Syn.*

am grandem inire gratiam apud infantuli parentes, cognatasque familias: quamquam, si hæc minus assequantur, longe pluris æstimandum, quod rem faciunt Christo Jesu animarum Domino, ac Redemptori, ejusque Sponsæ Ecclesiæ gratissimam. Siquas subeundum terreat examen, aut adeundæ Civitatis difficultas, Nos rogati facultatem concedemus, ut hujusmodi examen instituant apud alium, cui faciliorem ipsæ aditum habeant.

XXI. Interdum contingit, ut publice exponantur infantes: quoad hos edicimus: 1. ut quicumque in Diœcesi offendat infantem hujusmodi, confestim eum ad proximum Parochum perferat, vel perferendum curet: Parochus, nisi certo ei constet de collato Baptismo, illum addita conditione baptizet; idque, etiamsi schedula puerulo posita testetur, Baptismum eidem administratum fuisse, nisi certo pateat, cujus ea fuerit manu exarata (1); Nomen tamen ibi indicatum non est immutandum: tum, scheda ipsa, ceterisque signis asservatis, tota res describenda in Libro Baptizatorum. Deinde edicimus, ut qui Baptismum contulit Parochus, infantem committat mulieri alendum, quousque fuerit ad Brephotrophium sua cura translatus. Ac ipse Vicarium Nostrum Generalem rerum omnium, quæ gestæ sunt, certiorem faciet. Hæc pro Diœcesi.

XXII. Nam siqui infantes deprehendantur expositi in Civitate, hi statim ad ipsum Brephotrophium deferendi.

XXIII. Religiosus Puerperarum est mos, quæ Beatæ Virginis exemplo Templum adeunt, ut sacram Ecclesiæ Benedictionem obtineant, ac debitas Deo ob prolem prospere editam, ac sacro Fonte renatam grates rependant: hunc servari, quantum fieri potest, Parochi curent. Etsi vero hujusmodi Benedictionis facultas non sit recensenda inter jura, quæ mere Parochialia dicuntur (2), eam tamen impertiri ad solum Parochum spectat, neque hac in re ullum sibi detrimentum inferri patiatur: Parochis quidem omnibus prohibemus, ne mulieres a partu alibi benedicant, quam in sua Parochiali Ecclesiâ (3).

XXIV. Atque ut eodem redeamus, unde sumus exorsi, Fideles omnes, ac singulos hortamur in Domino, ut cœlestia munera

H recor-

(1) *Cap.* Parvulos 110., *&* placuit 111. *De Consecr. Dist.* 4., *S. C. C. in una Urbis* 15 *Januar.* 1724. *Bened. XIV. in Const.* Postremo mense *XXVIII.* §. 31. *Bul. Tom. II. Vid. eund. Inst. VIII. n.* 8. (2) *In Decr. Urbis*, *&* *Orb. an.* 1704. *Vid. Append. pag.* 153. *ad Dubi. VI.* (3) *S. Car. Conc. Prov. I. Par. II.* §. *ult. De Bapt.*

recordantes, quibus a singulari Dei Bonitate in Baptismo facti sunt divites, eum solemnem semper habeant, atque lætissimum agant diem, quo fuerunt salutaribus undis abluti. Sunt qui natalem diem hilare & memoria recolunt, & publicis ingenuæ lætitiæ signis traducunt: faciant hi quidem; neque sane fieri potest, quin hujusce beneficii recordatio Deo ipsi futura sit acceptissima. Verum quanto nobilius, atque excellentius est illius vitæ genus, quæ naturam omnem exsuperat, quæque, sublata æternæ a Deo separationis caussa, nos ita Deo conjunxit, ut jus quoque tribuerit ad alteram deinde vitam capessendam, ipsius Dei, atque adeo bonorum omnium felicissima possessione cumulatam? Hic igitur dies longe nobis clarissimus fulgeat, atque tanto jucundior, sanctisque operibus splendidior nostrum cuique percurrat. Pateat sin minus publice, ut Fidelium olim mos fuit (1), saltem privatim pia Christiani hominis lætitia, gratus effundatur in Deum pro recuperata beatissimæ Immortalitatis spe animus. Curent Fideles hoc ipso die, si possint, se se Corpore, & Sanguine Domini reficere, pauperculos aliquot homines largiore stipe solari, sacrificium bonorum omnium Largitori offerre, ut in illud Regnum rectissimum, tutissimumque teneant iter, quo renati omnes ex aqua, & Spiritu Sancto introire possumus, ac pervenire velle professi sumus (2).

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

BAptismum sequitur Confirmatio, quæ alterum est novæ legis Sacramentum (3): quum enim quilibet in Baptismo Christianus palam profiteatur, nolle se se cum Mundo, Carne, ac Diabolo, tanquam infensissimis adversariis fœdus ullum inire, neque negotium habere, institutum divinitus est, ut gratiæ augmentum, ac robur novus Christi miles, atque luctator accipiat, cujus ope hostium impetus frangere, Nomenque Domini nostri Jesu Christi sive per vitam, sive per mortem confiteri promptius valeat. *Caro enim*, ut cum Tertulliano loquamur, *ungitur ut anima consecretur*, *caro signatur*, *ut*

(1) *Auct. Microlog. De Ecclesiast. observat. C.* 56. (2) *S. Car. Act. Par. IV. Servand. post Bapt. in Instruc. Baptis.* (3) *Conc. Floren. in Decr. Union. Armen. Trid. Sess. VII. De Sacr. in gen. Can. I.*, & *De Confirm. Can. I.*

ut anima muniatur, *caro manus impositione adumbratur*, *ut anima Spiritu illuminetur* (1). Ideo autem Confirmatio, quemadmodum aliqui Ecclesiæ Patres ipsam appellarunt, Baptismi complementum quoddam est, sive perfectio, ac consummatio quædam, cujus naturam, ac munera sic ab ipsis Ecclesiæ exordiis Sanctus Pontifex Melchiades (2) persequebatur: *Spiritus Sanctus*, *qui super Aquas Baptismi salutifero descendit illapsu*, *in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam*, *in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam* ...... *In Baptismo abluimur*, *post Baptismum roboramur*. *Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos*, *Confirmatio armat*, *&* *instruit ad agones*... *Et quamvis continuo transituris sufficiant Regenerationis beneficia*, *victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia*.

I. Sicuti universim de Sacramentis monuimus, Confirmationis quoque naturam, originem, vim, dignitatem, Ministrum, ritus, characterem, fructus copiose Parochi Christiano populo exponant (3). Id maxime fiat, quum Edictum de Confirmatione administranda fuerit promulgatum: tunc enim per aliquot dies peculiaris fieri debet instructio de iis, quæ tale Sacramentum suscepturis sunt ad sciendum necessaria. Ad hanc instructionem convocandi quicumque septennium, recens egressi sunt. Nolumus enim Nobis quemquam ad confirmandum obferri, qui nondum sit septennium egressus (4); (nisi Nos ipsi ex peculiari caussa veniam dederimus) neque vero ferendum, quempiam decimum suæ ætatis annum explere, quin fuerit hoc Sacramento munitus.

II. Ac ne aliqui tale Sacramentum facile prætermitti posse putent, propterea quod non sit ad salutem prorsus necessarium, moneantur sæpe Fideles, *eos gravis peccati reatu teneri*, *si*, *cum possunt ad Confirmationem accedere*, *illam renuunt*, *ac negligunt* (5); ideoque moneantur, hac in re peccare posse ipsos etiam tutores, dominos, parentes, & ceteros omnes, qui sibi subjectos ad illam religiose suscipiendam negligunt provehere. Interea monemus, siqui non sint Confirmati, non posse Patrinos, non Matrinas aliorum fieri,

 non

(1) *De Ref. Car. Cap. VIII.* (2) *S. Melch. Pont. in Ep. ad Hisp. Ep. rel. in Cap.* Spiritus Sanctus 2. *De Cons. Dist.* 5. *Vid. Catech. Rom. De Sacr. Confir. n.* 5. (3) *Catech. Rom. ibid. n.* 20., *&* *seqq.* (4) *Bened. XIV. de Syn. Lib. VII. Cap.* 10. §. 3. *S. Car. Conc. Prov. I. Par. II.*, *Quæ pert. ad Sacr. Conf. admin. Vid. Catech. Rom. De Confir. n.* 18. *Conc. Rom. Tit. XXVI. Cap. IV.* (5) *Ben. XIV. Const.* Etsi Pastoralis *LVII.* §. *III. n. IV. Bul. Tom. I. Vid. Lamber. Inst. VI. n.* 10. *Cap.* Omnes 1. *De Consecr. Dist.* 5.

non habitum Religiosum induere, non Ordinibus quibuscumque, immo ne prima quidem Tonsura initiari (1); quod siquis facere auderet, præter Tridentini Decreti violati culpam, neque Beneficium ullum consequi posset, neque ad alios Ordines progredi, licet postea Confirmationem susciperet, nisi Apostolicæ Sedis facultas accederet (2).

III. Siqui vero adolescentioris ætatis adeo hebetes sint, ut, quæ de hoc sacro Mysterio traduntur, cognoscere plane nequeant, diuturniori adhuc subjiciantur disciplinæ, donec ea sint quantum satis assecuti. Sin adhuc frustra, ne exhiberi quidem Nobis debent a quoquam, ut inungantur; sed caussæ duntaxat aperiendæ, cur interdum non exhiberi quosdam expediat. Siquando prudens incidat dubium, sitne aliquis confirmatus, an non, & hic, si rebus sit necessariis imbutus, Nobis proponendus, ut conditione adjecta Chrismate consignetur. Hoc enim tenendum docuit Beatissimus Pontifex Gregorius, quod ab Antecessoribus ipse suis acceperat: *idest, ut quoties de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione .... dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur .... ne talis dubitatio ruina Fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur rite peractum* (3).

IV. Tradatur cuilibet, qui Confirmandus accedet, pagina, cujus scribendæ formula nota Parochis est (4). At nequis falsam aliquam hujusmodi audeat obtrudere (quod acriter tum in tradente, tum vero magis in scribente plecteretur): hinc eas propria scribat Parochus manu, ac Parochiali sigillo communiat; vel saltem efficiat, ut unus, aut alter tantum, idemque sibi notus, probatissimusque conscribat: sit vero semper pagina Parochiali sigillo munita.

V. Quos Parochi satis instructos, ac proxime Initiandos existimaverint, efficiant quoque, ut ad tale Ministerium se se rite componant, ac præparent. Graviter moneant, non posse hoc Sacramentum ab eo suscipi, qui sibi lethalis culpæ conscius sit, quin gravissimi sacrilegii vinculo irretiatur. Quare curent, ut omnes, quantum pro cujusque ætate licet, animam Pœnitentiæ expient Sacramento. Curent etiam, ut illius desiderio afficiantur, cupiantque adversus Christianæ Fidei hostes certissimum sibi præsidium comparare, quo muniti & strenue dimicent, & victoriam ferant. Curent tandem,

(1) *Trid. Sess. XXIII. De Ref. Cap. IV.* (2) *S. C. C. ap. Matthæuc. in O. C. Cap. 25.* (3) *Vid. Syn. Cresc. pag. 50.* §. Pueros. (4) *S. Greg. Magn. Regist. Epist. Lib. XII. Indict. VII. Epist. 32.*

dem, ſi fieri poteſt, ut omnes Apoſtolorum exemplo, qui ſub celeberrimum illum Spiritus Sancti illapſum unanimiter in oratione perſtabant, diutius, & conjunctim orent. Ac, ſi Confirmatio ante meridiem celebretur, ſint Confirmandi ex vetere Eccleſiæ more jejuni (1).

VI. Debent etiam ex Eccleſiæ præcepto adhiberi in Confirmatione Sponſores, ſive Patrini (2): ſed quinam hi ſint, probe cognitos habeat Parochus; neque enim, uti de Baptiſmo conſtitutum, quilibet ſine diſcrimine admitti poteſt. Præter eos, quos, quum de Baptiſmo ageremus (3), repellendos eſſe diximus (quibus addantur Confirmandi vitricus, ſeu noverca), excludendus etiam eorum eſt numerus: nam ſingulis Confirmandis unus adſit Patrinus (4), modo ne ipſe Confirmandum in Baptiſmo ſuſceperit (5): & maribus quidem propter honeſtatem mares, fœminæ fœminis deputentur (6). Nequis vero eodem die plures, quam duos, Nobis non conſentientibus, ſuſcipiat (7). Deinde in ipſis Patrinis ratio habenda ætatis. Neque enim probari huc quemquam volumus, qui quartumdecimum ſaltem ætatis ſuæ annum non expleverit, quique communiter non ſit natu major eo ipſo, quem ſuſcipit (8). Sed de adoleſcentioribus hiſce Patrinis caveantur, quæ diximus Capite ſuperiore (9). Hos tandem jubemus ſerio, graviterque commonefaciendos tum de ſpirituali cognatione, quam ineunt (10), ejuſdemque effectibus, tum de reliquis hujuſce muneris partibus.

VII. Dies denique aderit ad ſacram Functionem indictus. Chriſmate Conſecrandi adſint tempore in Eccleſia ad id deſtinata: ſinguli habeant candidam (11), ac mundam faſciolam, quam fronti Chriſmate delibutæ revinciant. Item paginam habeant a Parocho acceptam, quam iis tradent, quos Nos deſignabimus: adſint ibidem utriuſque ſexus Suſceptores, ad Cornu Evangelii mares, ad aliud fœminæ, dextram manum ſuper dextrum Confirmandi humerum, dum Sacramentum perficitur, habituri (12). Quamquam, quum in Noſtra Metropolitana ſacra habetur Functio, optaremus, ut Initiandi in propriam Parochiæ Eccleſiam convenirent: eſſetque tum pium, tum ſpectan-

(1) *Cap.* Ut jejuni *6. De Conſec. Diſt.* 5. *Conc. Rom. ibid. Vid. S. Thom. in* 4. *Diſt.* 7. *quæſt.* 3. *ar.* 3. (2) *Cap.* In Catech. 100. *De Conſ. Diſt.* 4. *Vid. S. Thom.* 3. *Par. quæſt.* 72. *art.* 10. (3) *Cap. Super. N. X.* (4) *Cap.* Non plures 101. *eod. loc.* (5) *Plur. Syn. ex Cap.* In Catech. (6) *Plur. Syn.* (7) *Plur. Syn.* (8) *Vid. Lamber. Inſt. VI.* (9) *N. XI. ſub finem*. (10) *Ex Conc. Trid. Seſſ. XXIV. Cap. II. De Reform. Matr. Cap. fin. De cognat. ſpirit. in 6. Ex Catech. Rom., ubi agit. De Patr. ad Bapt.* (11) *Lamb. Inſt. VI.* (12) *Lambert. ibid. n.* 16.

spectantibus etiam jucundum eos conspicere ordinatis totidem agminibus incedentes, qui, molles veluti oviculæ, a suis Pastoribus eo deducerentur, ubi illos communis eorum Pastor divino munere ornandos, augendosque amantissime expectat. Item quoties aliqui etiam in Diœcesi extra Parochiam Chrismatis Sacramentum petunt, ut eos ipsi ad Nos Parochi comitentur, vel si nequeunt ipsi, eos saltem Sacerdoti alicui tradant, expectamus in posterum. Sitque Parochorum Nostrorum, quantum ab ipsis potest, efficere, ut qui ex aliena Diœcesi ad Nos Confirmationis Sacramentum suscepturi se conferunt, habeant aut Parochum proprium, aut Sacerdotem, qui eos Nobis obferat.

VIII. Quemadmodum tum Initiandos, tum Susceptores, quo tempore hæc peraguntur Mysteria, piis affectibus animum detinere par est, ita extrinsecus & munditiem, & modestum corporis cultum utrosque præseferre plane decet. Quare incomptus capillus, & horridus, pedes nudi, lacera vestimenta, vel sordida omnino ne videantur: medius quidam ornatus, quem nec modestia, nec pietas refugit, hoc maxime loco commendatur: nam calamistratæ comæ, pretiosiores vestes, studiosior ornatus, & quidquid est fucati, exquisiti, singularis, omnino prohibendum (1).

IX. Frons Chrismate delibuta reverenter abstergatur, & Susceptoris officio statim memorata fasciola religetur, quam nonnisi quatuor ab horis, quum nempe Chrisma existimari potest exsiccatum, solvi posse permittimus. Qui solvat, quoad fieri possit, vel Parochus ipse sit, vel alius Sacerdos. Hunc ritum servari omnino volumus, cujuscumque ætatis, & cujuscumque ille generis sit, qui hoc Sacramentum susceperit; fasciola vero comburatur (2).

X. Sicuti Confirmandos opus est maturo illuc tempore convenire, ubi precibus intersint, quibus publice descensum Spiritus Sancti, suorumque donorum in ipsos Episcopus implorat, ita nemo subinde e Confirmatis e Templo abscedat, quin Pontificalem postremo impertiendam Benedictionem acceperit (3).

XI. Si Confirmandi Nomen sit ab eo genere alienum, quod antea proposuimus, facultate utemur illud in Confirmatione immutandi (4); eritque a Parochis Confirmati Nomen, tum quod antea gesserat, tum quod recens sibi sumpsit, referendum in Librum.

XII. Nam in promptu cuique Parocho alter sit Liber, in quo, ad

(1) *Syn. Cresc. pag.* 50. §. Admoneantur. (2) *Cresc. ibid.* (3) *Pontific. Rom. De Confirm.* (4) *Lamber. Inst. ead. n.* 15.

ad rationem Ritualis Romani, Confirmatorum series diligentissime digeratur. Quod facile quisque perficiet, si schedulas ab ipsis jam traditas Confirmandis, atque ab his in Confirmatione delatas accurate repetant, enumerent, ac recognoscant. In Metropolitana hujusmodi schedulas repetant qui curam ibi gerunt animarum: quamquam Parocho cuicumque curæ maximæ esse deberet, quinam ex suis confirmati fuerint, rescire, idque commendare monumentis. Item siquis nostrum ab alieno Episcopo Chrismate liniendus sit, eum Parochus suo muniat testimonio, ab eoque aliud repetat suscepti Sacramenti, ut hoc quoque possit in Librum referre. Hunc vero Librum diligentissime asservari præcipimus, quum sæpenumero possit exigi tum de suscepta Confirmatione, tum de Susceptoribus testimonium.

XIII. Hæc de administratione publica, atque solemni: verum Confirmationem privato etiam ritu, ægrotantibus præsertim, quotiescumque opus fuerit, conferre nunquam denegabimus. Siquos igitur pueros, licet sint septennio minores (1), noverint Parochi ad mortem contendere nondum Chrismate sacro linitos, Nobis eo tempore, quo non inutilis Noster adventus sit, de illis significent; quod Nobis curæ vehementer est, *ut videlicet Confirmati decedentes majorem gloriam consequantur*, *nam & hic majorem obtinent gratiam* (2). Multo autem magis moneri Nos volumus, atque jubemus, siqui rationis viribus polleant, ut illi in extremo agone contra Diabolum luctari securius queant. Sed prius efficiat Parochus, ut hi divini hujusce Mysterii beneficium animo sentiant, se seque ad illud omni pietatis, ac religionis studio suscipiendum comparent: quumque Nos ex munere Nostro administraverimus, utrique invicem, & Sacramenti dignitati, & animarum utilitati consultum fuisse in Domino lætabimur.

CA-

(1) *Ben. XIV. de Syn. ibid. Idem Inst. VI.* (2) *S. Thom. 3. par. quæst. 72. art. 8. ad 4.*

CAPUT IV.

DE SACROSANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

EX omnibus ſacris Myſteriis, quæ tanquam certiſſima divinæ gratiæ inſtrumenta a Redemptore noſtro inſtituta fuerunt, nullum eſſe, quod cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento (1) comparari queat, nemo ſane inter Catholicos eſt, qui non aperte fateatur, & intime ſentiat. Etenim ſi illius dignitatem ſpectare velimus, ineſt ibi ineffabili quodam modo totus, & integer Chriſtus (2), cui quidnam poteſt eſſe comparandum? Si beneficii magnitudinem, ſacris jam Litteris, atque Conciliis edocemur, fuiſſe in hoc Sacramento divini erga homines amoris divitias velut effuſas (3). Quodnam porro bonorum, quodve gratiarum genus eſt, quod non ex eodem hoc fonte uberrime fluere poſſit, quo totius ſanctitatis, & gratiæ Auctor vere, atque realiter continetur? Sed illud præterea Euchariſtico Sacramento ſingulare eſt, totique Eccleſiæ cariſſimum, quod, quum reliqua uſu ipſo perficiantur, ac deſinant, Euchariſtia ante uſum eſt, atque (4) ſervatur. Eſt enimvero antiqua eam aſſervandi (5) conſuetudo, quam etiam Concilii Nicæni ſæculum agnovit, unde & Fideles populi, quoties cœleſtem hunc Panem eſuriunt, refici poſſint, & ægrotantes eo præſertim tempore recreentur, atque muniantur, quo ſibi eſt ſub hujuſce peregrinationis exitum cum infenſiſſimis hoſtibus colluctandum. Præterea ad Fidem, Charitatemque excitandam populo adorandum proponitur. Tandem ſtatis quoque temporibus ad Religionis pompam, ad Fidelium pietatem, ad agendum de mendacio, atque hæreſi triumphum ſolemniore apparatu, atque cultu per publicas vias, & loca circumfertur (6). Hi porro fines, atque uſus Eccleſiæ ſunt cauſſa, quare in ſuis Sacrariis Sanctiſſimum Jeſu Chriſti Corpus aſſervandum ſibi cenſuerit. Verum, quoniam hæc omnia eo ritu peragenda, quos non privata Fidelium pietas invehit, ſed quos Eccleſiæ ipſius auctoritas probat, de hiſce a Nobis agendum: interea ea perſequemur, quæ neceſſaria ſunt, ut tantum Sacramentum cum reverenter, tum ſancte ſumatur, atque colatur. I.

(1) *Ex Catech. Rom. Par. 2. Cap. IV. De Sacr. Euch. n. 1.* (2) *Trid. Seſſ. XIII. Cap. III., & Can. I. aliiſque.* (3) *Trid. Seſſ. XIII. Cap. II.* (4) *Trid. Seſſ. eadem Cap. III.* (5) *Ibid. Cap. VI.* (6) *Ibid. Cap. V.*

I. Sacram Eucharistiam retinere debent Parochiales omnes Ecclesiæ, quantumvis pauperes: possunt quotquot sunt, quas aut consuetudo a tempore immemorabili, aut Apostolicum juvat Privilegium (1), aut Nos ipsi ad breve aliquod tempus concedamus.

II. At ubicumque asservetur, religioso id ritu præstandum: Ea olim in Ecclesiæ sacrario servari consuevit, vel in decenti armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam fit Romæ in Basilica Sanctæ Crucis in Jerusalem (2). Ceterum ut locetur in Ara maxima, tanquam nobiliore, atque prima, observatum communiter est (3): quamquam in Cathedrali ob Pontificales, quæ ibi peraguntur, Functiones visum opportunius fuerit, ut non illa haberetur quotidie, sed alibi. Id quidem monemus, ne ad unum quidem diem in duplici ejusdem Ecclesiæ retineatur Altari, Nobis insciis.

III. In media itaque Ara surgat Ædicula, quam Tabernaculum nuncupamus; hoc certe tale esse oporteret, in quo materies, & opus decertarent: sed ornamentorum hæc ad minimum ratio esto. Interni illius parietes serico albeant panno, pavimentum candido sternatur Corporali; extrinsecus totum conopeo instar tentorii contectum appareat: hoc identidem variari opus est, ita ut sacris, quibus Ecclesia pro tempore utitur, indumentis sit concolor, nunquam tamen sit nigrum in honorem Christi viventis (4); quare die, quo agitur Commemoratio omnium Defunctorum, violaceum apponendum: siqua tamen Ecclesia hanc varietatem ob inopiam habere non possit, conopeum coloris albi perpetuo sit. Ipsum vero Tabernaculum clavi, seraque muniendum. Clavis tota sit ex argento, vel certe auro obducta, eaque duplex, ne, si sit una, ea amissa, sacrum Ostiolum perfringere manus laica debeat. Servetur penes Rectorem Ecclesiæ; quamque diligenter servanda, satis jam ex Pontificum Decretis patet, de quibus in Appendice (5): apud Moniales hoc edicimus, ut hujusmodi clavi sit locus in Sacello, qui altera clavi defendatur habenda ab ordinario earum Confessario (6).

IV. Neque vero in Tabernaculum quidquam præter consecratum

I Panem

(1) *S. C. Ep.*, *&* *S. C. R.* *sæp.* *Ben.* *XIV.* *Const.* Quamvis justo *VII.* §. 24. *Bull.* *Tom.* *III.* (2) *Bened.* *XIV.* *Const.* Accepimus præstantium *XVII.* *Bull.* *Tom.* *II.* (3) *S.* *Car.* *Conc.* *Prov.* *I.* *Par.* *II.* *Tit.* Quæ pert. ad Sacr. Euch. (4) *Amaud.* *Thes.* *Sac.* *Rit.* *Par.* *I.* *Tit.* 20. *n.* 17. *Crisp.* *de Visit.* *Past.* *Par.* 2. §. 2. *n.* 8. (5) *Vid.* *Cap.* Statuimus 1. *De Custod.* *Euch.* *Vid.* *Append.* *pag.* 36. *N.* *I.* (6) *Bened.* *XIV.* *quæst.* *Canon.* *quæst.* 124. §. Hæc quoad.

Panem eſt conjiciendum, non Oleum Sanctum, non Sanctorum Reliquiæ, non aliud, quod vel maxime ſanctum, ſive ſacrum videatur (1): ſit foris prope Tabernaculum vas parvum cum aqua ad digitos, Sacramento adminiſtrato, abluendos, & Purificatorium ad abſtergendos.

V. At Euchariſtia excipiatur Pixide. Hujuſmodi vaſa deceret maxime eſſe argentea, immo aurea, eademque ornatiſſima: verum ſaltem ſint ex ſolida, decentique materia (2), cavo inaurato. Binæ ſint apud unumquemque Parochum; quarum altera, quæ minor erit, ſacro Chriſti Corpori ad ægrotos deferendo inſerviet; altera albi coloris Conopeo contecta in Tabernaculo perpetuo aſſervetur, tot ſacratas Particulas continens, quot populo uſui futuræ cenſeantur (3). Haſce autem renovare identidem opus eſt: rigidiore nimirum tempeſtate non tardius, quam decimoquinto quoque die, mitiore ne octavo quidem.

VI. Non procul admodum a Tabernaculo una ſaltem diuque, noctuque lampas colluceat oleo ex olivis expreſſo (4): at pœnis quidem non levibus ſubjiciendus Parochus, Sacrarii Cuſtos, vel is, quicumque ſit, cujus culpa non arſiſſe deprehendatur.

VII. Eſt autem ſacra Euchariſtia populo petenti perfacile adminiſtranda; quod tamen in Templis duntaxat, publiciſve Oratoriis præſtandum: ſiquis enim illam in privatis ſine Noſtra, ſeu Vicarii Noſtri Generalis facultate miniſtret, & reprehenſione, & pœna dignus habebitur (5). Nuſquam autem licebit, quum celebratur Miſſa indumentis nigris, Euchariſticum Panem, qui in eadem Miſſa conſecratus non fuerit, cuiquam præbere (6).

VIII. Quum ad Euchariſticam Menſam accedunt Clerici, ornentur Superpelliceo, quumque Sacerdotes, Stola: Laicos ne deceret quidem ad gradus Altaris appropinquare; ſed fœminæ certo inde prohibeantur. Quapropter haud procul ab Altari apponantur cancelli, ſive aliud quodpiam repagulorum genus, quod ne Laici prætergrediantur. Illud mappa candida operiatur in profanos nunquam uſus adhibenda, atque ibi Euchariſticum Cibum Sacerdos porrigat; memi-

(1) *S. R. C. 8. April. 1628.*, *&* 22, *Febr.* 1563. *Criſp. ibid. n. 9.* (2) *Vid. Baruffald. in Rit. Rom. De SS. Euch. Sacram. a n.* 54. *ad* 63. (3) *Vid. eund. Baruff. ibid. n.* 64. (4) *Rit. Rom. De SS. Euch. Sacram.* §. Hoc autem. *Vid. eund. Baruff. ibid. n. 68. & ſeqq.* (5) *Bened. XIV. in Conſtit.* Magno cum animi Noſtri *XLVIII.* §. 22. *Bull. Tom. III.*, *& Inſt. XXXIV.* §. 3. (6) *Sac. Cong. Rit. in Aquenſi* 1741.

meminerint autem Sacerdotes, vetitum sibi, necui plures, quam unam consecratam Particulam singulis vicibus distribuant.

IX. Interea Parochi suos sine intermissione populos hortentur, ut animæ vitam per se facile interituram Christi Domini Carne frequenter pascant, atque reficiant: amplissima munera, quæ in hoc Sacramento tam large effuseque impertiuntur, persæpe recenseant (1): ostendant, non posse quemquam, uti Christianum hominem decet, vivere, si diutius a tali esca abstineat. Afferant primorum Christianorum exemplum, quorum ut vehementissima erat in Christum Fides, & Charitas, ita nihil jucundius habebant, quam ut quotidiana Eucharistiæ perceptione se se Christo Redemptori suo conjungerent. Id ipsum sæpe apud suos urgeant, quod Prædecessor Noster bon. mem. Fontana vehementer commendavit, *ut quoties quis iter longum, aut infestum, remque arduam, & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggrediatur; qui item aliqua gravi perturbatione, vel ex filiorum, conjugisve obitu, vel ex bonorum amissione, vel ex alia re adversa affligitur, sacram Communionem confessus suscipiat. Idemque faciat itinere, vel negotio, quod susceperit, confecto, vel quocumque beneficio accepto, gratias Deo acturus hujus Sacramenti susceptione, in quo præcipua quædam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam pie referamus* (2). Sed jam præter peculiares caussas, quibus quique ad percipiendum excitari facile debet, tantæ per annum, tamque venerandæ sibi invicem Solemnitates succedunt, ut nefas piis Fidelibus videri possit, nisi iis saltem temporibus Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent: *Nulla* (inquit Benedictus XIV.) ..... *res est, in qua utilius Episcopi, Parochi, & Confessarii studium suum omne impendere valeant, quam in excitandis Fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram Mensam accessu, & non spirituali tantum, sed sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote, tanquam publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro ipsis, & ipsorum nomine offertur* (3).

X. Ac semper summo studio enitendum, ut intelligat populus, maximeque sibi persuadeat, quanta sit fide, integritate, religione Angelorum Panis sumendus. Siquis vero lethalis culpæ sibi conscius

 fuerit

(1) *Vid. Trid. Sess. XIII. Capp. II. VIII.* (2) *Sacram. Ferrar. Eccl. pag. 29.* §. Eam præterea. (3) *Const. Bened. XIV.* Certiores effecti *LXIV.* §. 2. *Bull. Tom. I.*

fuerit, moneant Parochi, & Catechistæ, atque graviter inculcent, ne Agnum sine macula comedere unquam audeat, quantumvis etiam sibi contritus videatur, quin Sacramentalem Confessionem præmiserit (1).

XI. Sunt e contrario quædam de frequentiore hujusce sacramenti usu cavenda. Quoties Christianis quibuslibet expediat Christi Corpus sumere, nemo est, qui generatim valeat definire; tota hujusmodi res eorum est relinquenda judicio, quibus ab auditis Confessionibus sunt singulorum animi explorati: attamen Confessarios monemus, ne crebrius ab illis sumi Angelicum Panem permittant, multoque minus, ut sumatur, invitent, aut suadeant, qui non raro mortalibus obstringuntur peccatis, neque ad emendandam vitam accuratius, ac fortius incumbunt; immo ne ab illis quidem, qui in venialia sæpe incidunt, a quibus non admodum sit eorum voluntas aversa (2). Ast Confessarii sedulo legant, observentque fideliter Decretum a sacra Congregatione Concilii editum, atque ab Innoc. XI. approbatum, quod Appendici inseri volumus (3).

XII. Quos deinde vehementius erga Divinum Redemptorem affici, ejusdemque Carnibus saturari cupientes compererint, in his reverentiam erga illum, animique demissionem cum primis augeant; neque illos sinant ad sacratissimum Epulum ad plures non interrupte dies accedere, quin animam diligentius adhuc Pœnitentiæ Sacramento expiaverint.

XIII. Veruntamen sunt etiam nonnulli, qui sacra Eucharistia prohibendi: neque solummodo secreto a Confessariis ii, quos secreto noverint indignos, sed quidam a Sacerdotibus aperte etiam, & palam. Hi autem sunt publici quidam rei (4), quorum perditi mores publicum aliis offensionis lapidem injiciunt: sunt præsertim fœneratores, concubini, in Deum, vel suos Sanctos blasphemi, venefici, conjuges diu sine permissu Nostro seorsum degentes, excommunicati, interdicti, atque alii hujusmodi. Scilicet hosce canes ex Evangelio (5), ac porcos nominamus, quibus Sanctum dare, vel ante quos Cœli Margaritas mittere est nefas, ne forte eas pedibus suis conculcent, & conversi nos deinde dirumpant. Hisce addimus, quamvis aliam prorsus ob caussam, miseros illos, qui sui compotes

non

---

(1) *Trid. Sess. XIII. Cap. VII.* (2) *Vid. Ben. XIV. De Syn. Lib. VII. Cap. XII. n. 8. 9.* (3) *S. C. C. 12. Febr. 1679. Vid. Append. pag. 28. N.II.* (4) *Quinam habendi publici peccatores, ostendit D. Th. 3. Par. quæst. 80. art. 6. in corp., & quæst. 82. art. 9. ad 3.* (5) *Ex Matth. 7. 6.*

non sunt (1): quamquam si ad se ipsa eorum mens indentidem redeat, tum iis poterit Sacramentum exhiberi.

XIV. Nunc de altero Eucharistiæ usu: nam venerabile Jesu Christi Corpus potest etiam coram multitudine poni, ut adoretur (2); quamquam non eadem semper ratione id fiat. Namque interdum sacrata Hostia, quæ esse e majoribus debet, argentea inclusa sphæra ita altiore in sede, umbraculo superposito, collocatur, ut sit per chrystallum adstantibus plane conspicua: quoties id fit, venerabile Sacramentnm exponi publice dicunt. Potest etiam Sacramentum ipsum vel Pixide cooperta inclusum non longe constitui a Tabernaculi ostiolo, ut adoretur, vel in sphæra contentum sub umbraculo poni, velo tamen obducto, ne ejus pateat adspectus: tum vero privatim exponi dicitur. Alios ipsum exponendi modos, seu ritus nec probamus, nec permittimus: verum quocumque ex iis, quos probamus, modo exponatur, Ecclesiasticis legibus standum.

XV. Cautum enim primo religiosissime est, ut ne ulla unquam in Ecclesia, sive Sæcularium ea sit, sive Regularium, divina Eucharistia publice prostet, nisi caussa intercedat, quam probet Episcopus; hinc fit etiam Episcopi, cui ea est aperienda, consensus (3). Quare omnibus quidem Ecclesiarum, sive Nostræ ditioni subjectarum, sive Regularium, Rectoribus, ac Præfectis sponte ipsa Nostra non tantum concedimus, sed etiam commendamus, ut quibus temporibus stabili quadam lege, ac consuetudine solent sacrosanctam Eucharistiam publice exponere, pium institutum (nisi aliter a Nobis mandari intelligant) tueantur: hoc tamen reposcimus, ut quot, quibusque in anno diebus sic exponant, Nostræ Curiæ intra tres menses ad hac Synodo edita accurato indice significent (4). Verum nequis præterea sine facultate Nostra audeat publice Eucharistiam, vel ad brevissimum tempus exponere: exponatur, si lubeat, privatim.

XVI. Nam sacram Eucharistiam privatim exponere est Ecclesiarum Rectoribus integrum (5); monemus tamen non iis licere quascumque ob caussas id facere: sed hæ justæ sint; easque hujusmodi esse, prudentes viri dijudicent.

(1) *Vid.-Rit. Rom. ibid.* §. Fideles, *& seqq. Vid. Baruff. in hunc Titul. n.* 85., *& seqq.* (2) *Trid. Sess. XIII. Can. VI.* (3) *Bened. XIV. in Epist. ad Episcop. Warmiens.* 16. *April.* 1746., *& in alia ad. Cardin. Urbis Vicar.* 27. *Julii* 1755. *Sunt plura Decreta S. C. Episc., & S. C. C. in hanc eand. rem, quorum aliqua ap. eund. Inst. XXX. n.* 10. (4) *Plur. Syn. id ipsum injungunt.* (5) *Bened. XIV. in ead. Epist. ad Urbis Vicar.*

XVII. Insuper ipsis Ecclesiasticis legibus cautum est, ut, quomodocumque exponatur Eucharistia, debito id fiat decore, atque ritu. Hæc itaque in publica expositione plane servanda. 1. Altare, in quo Eucharistia exponitur, sit maximum Ecclesiæ, nisi aliter concedamus, cujus Imago, si ad diuturnius aliquod tempus pateat Sacramentum, contegatur: nullæ porro Sanctorum Reliquiæ, aut Simulacra in eodem Altari collocentur. 2. Expositiones, quæ fiunt horis pomeridianis, ubi musici habentur concentus, fiant omnino Vesperis ferme expletis juxta Edictum Nostrum (1). 3. Cereæ faces ne pauciores sint, quam quatuordecim, neque tum temporis Altare ullum majore luminum numero colluceat. 4. Ne ulla quidem Missa in eodem Altari celebretur, nisi una, quando Sacramentum est exponendum, aut altera ad summum, quum deponendum fuerit: quod tamen vetitum minime est, si Altare sit unicum 5. Neque tum temporis Defunctorum Missæ celebrentur, sed vel votiva de Sanctissimo Sacramento, si ritus id ferat, vel quæ Officio respondet, addita Oratione de Sacramento, nisi ex iis solemnioribus dies incidat, quos primæ, aut secundæ classis dicunt. 6. Quum Missæ celebrantur, nullus tintinnabuli sonus edatur: sufficit aliquem edi, Sacerdote ad celebrandum prodeunte. 7. Non tolerandum, eleemosynas seu lancibus propositis, seu quavis alia ratione tum temporis quæri. 8. Latum velamen Ecclesiæ foribus opponatur, ne divina Majestas in suo veluti Throno adoranda sedens transeuntibus pateat. 9. Nemo Concionem habeat tecto capite, nisi velamine ante Sacramentum obducto: quisquis vel oraturus accedit, vel precibus absolutis recedit, utrumque flectat genu; quod idem facient, qui ante Eucharistiam publice expositam in supplicationibus transeunt, eo tamen excepto, qui præit Crucem deferens. 10. Quum benedicendus est populus, Hymnus *Pange lingua*, vel ejus pars ita canatur, ut omnes ad pietatem excitentur.

XVIII. Quoties autem ad Quadraginta horas, vel diuturnum aliquod tempus divinum Christi Corpus exponitur, Altare, immo tota ipsa Ecclesia sit, quanto magis fieri potest, instructa: neque enim tum parcendum esset pretiosis aulæis, odoribus, luminibus, ut res perficiatur magnifice, ac splendide. Adstent insuper perpetuo adorantes duo Sacerdotes, vel duo saltem Clerici aliquo ex majoribus Ordinibus initiati, illi quidem Stolam addant Superpelliceo, hi sine Sto-

(1) *Vid. Append. pag.* 170. §. *IV.*

Stola. Quod si necessitas cogat, aut consuetudo invexerit, ut Clericorum loco adsciscantur Laici alicujus piæ sodalitatis habitu induti, hi ne adoraturi unquam sistant prope Altare, sed extra cancellos.

XIX. Quoties vero sacra Eucharistia privatim exponitur, sex ad minimum ceree faces colluceant: quæ tamen duodecim sint, si Sacramentum sub umbraculo velamine contectum ponatur: sit præterea unus saltem Sacerdos, vel Diaconus, seu Subdiaconus adorans; quique ante sacram Eucharistiam sic expositam transit, utrumque flectat genu (1).

XX. Quod per omnes Quadragesimæ dies, aliosque in anno inductum, Deo juvante, a Nobis fuerit, ut huic Sacramento solemnes Quadraginta Horarum supplicationes habeantur, tam jucundum animo Nostro contigit, quam quod potest esse jucundissimum: prodibit quotannis Tabella, quæ singulas Ecclesias indicabit; at quum in lucem illa prodierit, nequis mutationem, quam Nos ipsi nondum probaverimus, audeat inducere: ea enim irrita illico esto.

XXI. Item quod magna celebritate exhibeatur extremis bacchanalium diebus divina Eucharistia populo per triduum adoranda in quibusdam tum Civitatis, tum Diœcesis Ecclesiis, vehementer gratulamur. Idem fieri alibi etiam optamus, sive per hebdomadas Sexagesimæ, & Septuagesimæ, ac saltem Feria Sexagesimæ quinta. Atque utinam in quavis Diœcesis Parochia id in more positum intelligeremus! id enim maxime conamur efficere, ut qui nomine censentur Chistiano, ab effreni eorum dierum corruptela, atque licentia ad pietatis officia pertrahantur. Fuit id summis ipsis Pontificibus singulari studio, atque cura propositum: idcirco Christianos Indulgentiarum largitione ad hujusmodi opera excitandos censuerunt; quamobrem hæ, prout sunt in Appendice, Fidelibus opportune indicentur (2).

XXII. Restat jam, ut populos Nostros tota animi contentione hortemur, atque per Fidem, qua in Dominum nostrum Jesum Christum gloriantur, per Charitatem illam, qua tam multas, tamque graves, quæ eidem in hoc ipso Sacramento inferuntur, injurias compensare tenentur, per quidquid beneficiorum ab illo sive in hac vita derivasse sentiunt, sive in altera derivandum confidunt, rogemus,

(1) *Quæ sancita sunt N. XVII. XVIII. XIX., constant ea potissimum ex Clem. XII. in Instruc. Quadrag. hor. edit. 1730., ex sacrar. Congreg. Decret., quorum aliqua legunt. ap. Lambert. Inst. XXX., ex iis, quæ ipse pro sua Bonon. Eccl. sancienda duxit.* (2) *Vid. Append. pag. 40. N. III.*

gemus, & obsecremus, ut, quotiescumque adorandum illius Corpus e Tabernaculo educi cognoverint, ad illud frequentissimi convolent, neque e Templi regione, uti otiosi, & modicæ Fidei, Nobis ægerrime ferentibus, solent, confabulantes consistant, donec Sacerdos exeat Benedictionem elargiturus; sed cupide in illud ingressi ita adsint, ut etiam oculis, vultu, totiusque corporis habitu summam, quam homines Deo exhibere possumus, religionem, ac pietatem testentur. (*) Hactenus de Sanctissima Eucharistia, ut Sacramentum est: ipsam Capite sequente spectabimus, ut est Sacrificium.

CAPUT V.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

DOcet Catholicum Dogma, admirabile Sacrificium, quod in Missa Sacerdotum nostrorum ministerio peragitur, tale esse, ut illud vere repræsentet, quo Deus, & Dominus noster Jesus Christus Sanguinem ultro, ac vitam profundens semetipsum obtulit immaculatum Patri in Ara Crucis: una enim, eademque utrobique est Hostia, idem offerens, idque solum interest discrimen, quod, quum in Cruce fuerit Sanguinis effusione, ac internecione Victimæ consummatum, non amplius, aut effusio Sanguinis, aut Christi mors intercedat. Quapropter nostrum hoc Sacrificium non secus ac illud est Deo ipso vere dignum, perque ipsum fit, ut homines possint Divinam Majestatem, siquando sceleribus offensa irascatur, sibi, aliisve propitiam reddere, tum pro injuriis eidem illatis satisfacere, & parem referre beneficiis gratiam, & nova ita poscere, ut ne ab illa dene-

(*) *De præcepto, quo urgentur Fideles, suscipiendi Eucharistiam in Paschate, ac in mortis periculo, agetur Par. III. Cap. II. Item de Processionibus, in quibus divina Eucharistia per vias præsertim publicas circumferri consuevit, ead. Par. ad finem Cap. VII. De quibusdam Euchar. usibus, quos rejecit Ecclesia, vid. Martene de antiq. Eccl. rit. Tom. 2. Cap. 13., Durand. in Ritual. Lib. 1. Cap. 7. Vid. Rit. Rom. De Comm.Infir.* §. Sed alicui, & *De exorciz. obsess.* §. Admoneatur. *Cautum pluries, ne instante nimbo, procella, aliove ingenti periculo sacra Euchar. e Tabern. extrahat. Vid. in hanc rem Bened. XIV. in Ep.* Cum, ut recte, *ad Card. Urb. Vicar. 27. Julii 1755., in qua, ne amplius deferatur Sacra Pyxis cum Sacram. ad compescendum incendium, opportune sancit. Legit. Ep. Bull. Tom. IV. N. XLVIII.*

denegentur: adeoque *non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro Defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis offertur* (1). Nimirum illi oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur (2): Ex quibus omnibus fateamur necesse est, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur (3).

I. Quamobrem si a Christiano quolibet jure reposcitur, ut ad suscipiendum sacrosanctum Christi Corpus, non modo nullius sceleris conscius accedat, sed virtutibus etiam ornatus, an Sacerdoti, qui illud non modo suscipit, verum etiam ad immolandum conficit, satis sit, si lethali vix culpa inquinatus non videatur? *accedat*, inquit Laurentius Justinianus (4), *Sacerdos ad Altaris Tribunal, ut Christus, assistat, ut Angelus, ministret, ut Sanctus, populorum offerat vota, ut Pontifex, interpellet pro pace, ut Mediator, pro se autem exoret ut homo*. Sit itaque Sacerdos integer, humilis, Deo conjunctissimus; quumque mundani homines toti sint, ut opes, dignitates, oblectamenta consectentur, Sacerdotes oportet mortificationem Jesu Christi in corpore suo semper circumferant, ab inanibus spectaculis, & sæculi pompis abhorreant, rerum copiam, honoresque non modo fugiant, sed & sponte oblatos contemnant, sic denique vivant, ut eorum conversationem in Cœlis esse facile conjici possit (5).

II. Quanta hæc sint, quæ sumus paucis complexi, Nos sane non fugit: neque ignorare possunt quicumque se se Altarium ministerio dediderunt: at quo altiorem sanctitatis gradum Actio divina reposcit, eo magis instandum orationibus, & obsecrationibus est. Itaque Sacerdos quotidie vacet orationi, sæpe conscientiam discutiat suam, sæpe, quod agere solet ad Aram, secum ipse repetat, atque enixis a Deo precibus petat, qui dabit ex animo petenti, quidquid ad hujusmodi vitæ sanctitatem est necessarium: præsertim, quum propius est sacrificaturus, fidem intendat, spem augeat, charitate totus ardeat, Redemptoris nostri Passionem, ac Mortem in memoriam revocet; ipse enim Redemptor noster quum novos sibi Sacerdotes

K crea-

(1) *Trid. Sess. XXII. De Sacrif. Miss. Cap. II.* (2) *Trid. ibid.* (3) *Trid. Sess. ead. Decr. De observ., & evit. in celeb. Miss.* (4) *Serm. De Corp. Chr.* (5) *S. Car. Conc. Prov. I. Par. II. De Sacrif. Miss.*

crearet, juberetque eos, novum suum Sacrificium offerre, id ipsum præcepit, ut in sui facerent commemorationem; unde Apostolus: *quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* (1).

III. Jamque lex est, ut ante Missam Sacerdos recitet Matutinum cum Laudibus (2). Sunt etiam quædam (3) preces, pro ut opportunitas feret, recitandæ. Sed videant quoque adstantes, Sacerdotem se se colligere, atque ad pietatem serio componere. Horrescerent enim Christiani, siquem viderent a ludis, ab otio, a sæculi curis vi quadam avulsum ad Aram operaturum accedere, postque brevissimam gratiarum actionem ab Ara ad easdem res properato gressu reverti.

IV. Verum etsi quæ animum excolunt, & præstabiliora sint, & sane diligentius, cui cor sapiat, servanda, quam reliqua, est tamen Nostrum de cultu etiam externo minutim, distinctimque præcipere. Quare quum ad rectam celebrationem necessarium sit, & Missam legendam nosse, & ad Kalendarii præscriptum ordinare, mandamus, ut novum quotannis in quolibet Sacrario prostet Kalendarium (4). Neque ibidem desit aqua in lavacro ad manus lavandas, neque mappa ad extergendas (5). Tum vero elutis Sacerdos manibus, sacris se se Vestibus induat.

V. Quoad Vestes. Extat jam ab Emo Decessore Nostro Crescentio Synodica Constitutio (6), qua prohibentur Sacerdotes celebrare sine veste talari, proposita pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, exceptis quibusdam rerum eventis. Nos in eandem hanc rem quædam statuimus duplici Edicto, quorum alterum Civitatem spectat, alterum Diœcesim. Verum & de Constitutione illa, & de Nostris Edictis in posterum sic est habendum. Præcipimus 1., ut Sacerdos quicumque, sive in Civitate ipse celebret, sive in Diœcesi, sive in sua, sive in Regularium Ecclesiis, aut etiam in privato aliquo Sacello, sit talari veste indutus. Quicumque ex nostris secus fecerit, suspensus ipso facto sit a Missa celebranda: quam suspensionem tollere Nobis reservamus. Ea autem sit hujusmodi vestis, quæ ab humeris ad talos usque profluat: namque omnibus plane interdicimus, quibusdam uti vestibus, quibus vix medium crus tegitur; quique iis utitur, ac si nullis

(1) 1. *ad Cor.* 11. 26. (2) *In Rubr. gen. Miss. De Rit. serv. in celeb. Miss. n. I. Vid. Ben. XIV. De Sacrif. Mis. Lib. III. Cap. XIII. n.* 3., & 4. (3) *Rubr. Miss. ibid.* (4) *Id. plures statuunt Syn.* (5) *Rubr. Miss. ibid.* (6) *Syn. Cresc. pag.* 60. §. Oculi.

nullis uteretur, habendus est. 2. Præcipimus, ut Sacerdos quilibet e nostris inter celebrandum utatur veste talari propria, non quæ Sacrarii sit: adeoque Sacristis quibuscumque interdicimus, ne vestem ipsi Sacerdotibus commodent, sub pœnis arbitrio. 3. Si Sacerdotes alienæ Diœcesis peregrinentur in Nostra, aut si nostri Sacerdotes a Civitate in agrum ad aliquod tempus se conferant, aut qui in agro morantur aliam Parochiam adeant, sive in Civitatem veniant, ut hi omnes talari veste inter celebrandum utantur, præcipimus; sed permittimus etiam, ut a Sacrario eam accipiant. Quapropter unam, aut alteram ex hisce vestibus oblongis, uti jam descripsimus, in promptu habeant Sacrarii Custodes, quam iis offerant, quibus licere nuper docuimus. Quod si Custodes hujusmodi sinent, Sacerdotem quempiam sine veste descripta Divinam Rem facere, Nostrum, & haud lene experientur judicium.

VI. Etsi sacra omnis supellex, quo propius Divinam Eucharistiam attingit, & pretiosior, & elegantior esse deberet, satis tamen intelligimus, id neque ubique, neque semper obtineri posse; at illa certe mundissima sit, minimeque lacera, nec quomodocumque vitiata: hoc enimvero facile in eorum est potestate, qui præsunt Ecclesiis; hoc sedulo, ac sine tergiversatione ab omnibus curandum. Interea cordi Sacrariis sit singula ornamenta, Mappas Altarium, Albas, Amictus non raro explorare, excutere, reficere; neque enim scissuræ, maculæ, lacerationes, vitia ulla, quamquam leviora videantur, in aliqua ex hisce rebus, ante omnia vero in Purificatoriis, Corporalibus, Pallis ullo pacto toleranda, sed res ipsæ protinus permutandæ. Constent Corporalia, ac Pallæ ex denso lino (1).

VII. Calices, Patenæ, Pixides, Lunula, & quodcumque vasorum genus Divinæ Eucharistiæ excipiendæ paratum, saltem qua parte illam contingit, sit auro obductum. Immo Calicis saltem crater cum Patena ex argento constet. (2).

VIII. Altare sit decenter ornatum, sitque tribus omnino lineis Mappis contectum, prout Rubricæ exigunt: Inter candelabra Crux, & Christi ex ea pendentis Imago promineat (3). Talis autem sit Crux, sicque collocata, ut Sacerdos celebrans, ac populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum facile, & commode intueri possint. Quod plane servandum etiam, quum in Altaribus minor quædam Tabula collocatur inferior; nam auctoritate suprema docemur,

K 2 non

(1) *Cap.* Consulto *46. De Consec. Dist.* 1. (2) *Ex Cap.* Ut Calix 45. *De Consecr. Dist.* 1. (3) *Miss. Rub.* 20.

non posse Sacrificium in iis Altaribus fieri, in quibus Imago Crucifixi vel incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & populi assistentis oculos pæne effugiat. Id nempe alienum est a Legibus, & Institutis Ecclesiæ, quæ in Rubricis, aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus continentur. Est autem hujusmodi Crux omnino collocanda, etiamsi Sacrum fiat in eo Altari, in quo intra Tabernaculum sacra Eucharistia asservatur. Quod si ubi Sacrum fit divina Eucharistia publice prostet, ex recentioribus Declarationibus cujusque Ecclesiæ mos, atque institutum tenendum. At si in Majori Altaris Tabula Salvator noster affixus Cruci, aut cælatus appareat, tunc nullam inter candelabra poni Crucem necesse est (1).

IX. Quoniam vero alia, priusquam in usum deducantur, sunt consecranda, alia benedicenda, nequis unquam illa nondum consecrata, aut nondum benedicta usurpare audeat. Benedictio nonnisi a Nobis petenda, aut ab iis, quos ex Apostolica facultate Nobis facta delegabimus. Consecratio per sacram Unctionem prorsus a Nobis: quo loco notari minime volumus Prælatos Regulares hac facultate pollentes, qui ea ad servitium tantum Ecclesiarum suarum uti possunt (2).

X. Quod si tanta in hisce rebus diligentia requiritur, judicet quisque, quanto studio enitendum, ut aptissima sit, ac purissima materia ipsa, quæ in Corpus, & Sanguinem Jesu Christi Filii Dei est convertenda. Hinc buccellæ, quas vulgo hostias appellamus, non solum sint ex puro tritico, sed etiam candidæ, recentes, ac ita comparatæ, ut non facile in fragmina ad oras dissiliant: immo decens plane, Nobisque pergratum esset, si eæ manibus non quibusvis conficerentur, sed vel sacrarum Virginum, vel aliquorum Ecclesiæ Ministrorum. Vinum caveatur, ne sit aqua mixtum, aut subacidum; porro, quantum fieri potest, album sit.

XI. At Sacerdotibus gestare, quum Missam celebrant, in digito annulum (3), plane interdictum, nisi peculiare eos privilegium juvet: item ipsis Sacrum facientibus non conceditur, nisi a Sede Apostolica

(1) *Vid. Const. Ben. XIV.* Accepimus præstantium, *quæ est XVII. Tom. II. Bullar. Hujus Const. Summa legitur in Append. pag. 42. N. V.*
(2) *Vid. Lambert. tot. Inst. XXI.* (3) *Idem Conc. Rom. Tit. XVI. Cap. III.*

ſtolica, uti pileolo in capite (1), vel ficta cæſarie (2). Hanc autem quum Sanctæ Sedis benignitas ob valetudinem potiſſimum concedere ſoleat, exquiſitiorem ipſius cultum, quippe minime neceſſarium, & mundanæ levitatis indicem, horrere Nos profitemur. Nefas etiam cuilibet ſit cum ocreis ad celebrandum accedere (3).

XII. *Quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conveniat* (4). In iis tamen Eccleſiis, in quibus Officium duplex habetur, nequis Defunctorum Miſſam legat, etiamſi ipſe ſemiduplex Officium recitet (5). Qui celebrant Miſſam in Eccleſiis aut Regularium, aut Monialium, in quibus duplex Feſtum habetur cum Miſſa, quæ non ſit omnibus communis, illi quidem Miſſam illius Feſti celebrent, ſed utantur Miſſali Romano; idem præſtent Capellani Monialium (6): quæ omnia rite ab omnibus tenenda, niſi forte ſint, quibus peculiare Privilegium faveat. Quibus diebus licet Defunctorum Miſſas legere, iiſdem ſemper publice pateant veſtimenta coloris Officio diei convenientis: ſcilicet, ut ſiquis malit votivam Miſſam celebrare, ſive decurrentis Feſti, aut Feriæ, facile poſſit. Advertant autem Sacrarii Cuſtodes, Sacerdoti ſacris jam Veſtibus ornato diu expectandum non eſſe: at id ſi forte contingat, turpiſſimum ſibi cenſeat Sacerdos tum temporis ſermonem cum aliis miſcere. Itaque vel dum ſacris ſe ſe induit Veſtibus, vel dum iiſdem indutus expectat, ſilentium ſervet in loco, pietatem, modeſtiam, patientiam præferat, ſeque adeo totum in id, quod eſt operaturus, mente, animoque defigat: item ſive ad Altare prodeat, ſive ab Altari ad Sacrarium redeat, oculos habeat ad terram demiſſos, quin ſalutare quemquam laboret, greſſus ne ſit concitatus; omnia demum graviter, compoſite, decenter.

XIII. In ipſa deinde tremenda Actione uterque fugiendus exceſſus, diuturnitatis nempe, & brevitatis. Alteri remedium afferent opportunius conſcientiarum Moderatores, quibus ad ſcrupulos abigendos penitus parendum. Alteri, qui tum horridior, tum crebrior eſt, remedium afferre inſtituerunt Concilium Romanum (7), atque complures Eccleſiarum Paſtores, quibus ea Miſſæ celebratio, quæ ſit tertia horæ parte brevior, adeo vituperabilis viſa eſt, ut ſic Celebran-

(1) *Cap.* Nullus Epiſcopus 57. *De Conſec. Diſt.* 1. *Vid. Decr. S. C. R. ad initium Miſſalis*. (2) *Vid. Lamber. Inſtit. XXXIV. §. IV. Inſt. XCVI. Vid. eund. de Syn. Lib. XI. Cap. IX. n.* 5. (3) *Plur. Synod.* (4) *Rub. gen. Miſſ. Tit. IV. n.* 3. (5) *S. C. R. in Converſana 1668.* (6) *S. C. R. Decr. gen. ſub Clem. XI.* (7) *Vid. Edict. in Append. ejuſd. Conc. N. XVIII. §. 7. Vid. Bened. XIV. De Sacrif. Miſſæ Lib. III. Cap. XXIV. n.* 3., *& Inſtit. XXXIV. §. 6.*

lebrantem dignum judicaverint, cui celebrandi facultas continuo eriperetur. Verum, si Rubricas apprime teneat Sacerdos, quibus profecto ad unguem standum est, easdemque cum dignitate observet, uti complures probe exercitatos facere novimus, nihil erit, quod suspensionem hac de caussa pertimescat; qui enim tale saltem horæ spatium in sacrosancta Actione implere non solent, eos in alterutro peccare compertum est. Igitur & Rubricas, & quam dicimus dignitatem unusquisque studiosissime tueatur (1).

XIV. Verum quoniam magna res est, quam urgemus hoc loco, eademque Nostræ maxime curæ concredita, omnibus Ecclesiarum Rectoribus, eorumdemque Sacrariis districte mandamus, ut siquando dubium, aut facto a seipsis periculo, aut aliunde suboriri sibi sentiant, an alicujus in sua Ecclesia Celebrantis Missa revera brevior, quam diximus, an ad Missalis Rubricas, an pronuntiatione, vel gestibus parum decora, id explorent diligentius. Nam siquem ex hisce vitiis vere laborare deprehendant, eundem moneant, secreto quidem, ac in spiritu charitatis, sed libere tamen, Nostra ipsa auctoritate interposita. Quod si aut eum monere non audeant, aut de monitionis fructu desperent, rem ad Nos quam primum deferant: qui enim divino in eos, qui faciunt Opus Dei negligenter, maledicto non contremiscunt, Nos, ne omnino ab eis fiat, quantum valemus auctoritate mandabimus (2).

XV. Iisdem deinde Ecclesiarum Rectoribus, atque Sacrariis commendamus, ut diebus maxime festis certas, quas habent Missas, præsertim si pauciores hæ sint, ita per horas sejungant, atque distribuant, ut eorum, qui ad Ecclesiam conveniunt, commodo inserviant. Item, ut, quos ipsi constituunt Sacerdotibus ad Aram agentibus adjutores, hi non modo sint ad angelicum hujusmodi officium rite obeundum instructi, sed etiam, ut memoratis saltem diebus illud non obeant, nisi talari veste, & superpelliceo utentes. Alios pannosos, sordidos, non satis in eo ministerio peritos caveant admittere. Quamquam ne permittendum quidem, ut aliqui, qui videri peritiores volunt, ea exerceant, quæ Diaconi, aut Subdiaconi sunt.

XVI. Ad hæc omnia habenda est horarum ratio, præter quas sine peculiari concessu Divinum hoc Mysterium celebrare non licet (3). Satis id indicant Missalis Rubricæ, quæ illarum fines constituunt, auro-

(1) *Trid. Sess. XXII. Decr. De observ., & evit. in cel. Miss.* (2) *Id. Edict. in Append. Conc. Rom. eod. §. 7. Lambert. Inst. XXXIV. §. eod.* (3) *Trid. Sess. XXII. Decr. eod.*

auroram, atque meridiem (1). Quod tamen intelligi benignius potest, ita nempe, ut nefas minime habeatur, siquis tertia horæ parte auroram antevertat, aut intra idem a meridie spatium Missam absolvat (2). Sed Ecclesiarum tum Præfectis, tum Custodibus interdicimus, ne copiam cuiquam præter has horas celebrandi facere audeant. Ab hac tamen lege ex vetustissima Ecclesiæ consuetudine excipitur ob Missam solemnem nox unica in anno, quæ nempe Natalem commemorat Domini Nostri Jesu Christi (3). At ea post mediam noctem celebretur iis in Templis, in quibus licet, sitque unica, duabus reliquis in consuetas horas reservatis, neque Eucharistia cuiquam distribuenda (4).

XXII. Neque fas est hæc horarum confinia iis prætergredi, qui in privatarum domorum Sacellis habent celebrandi facultatem: quod si faciant, noverint, posse Nos Indultum ipsis subtrahere ex facultate in ipso Indulto Nobis concessa.

XVIII. Neque postremis tribus Hebdomadæ majoris diebus omnibus generatim ut sacrificent concessum est. Semel tantum, & quidem solemniter licet id facere in iis Ecclesiis, quæ Eucharistiam perpetuo servant (5). Ac si id fiat, ritus omnes serventur, qui Rubricis trium illorum dierum sunt ordinati (6).

XIX. Sed tempus per Nos etiam quibusdam circumscribitur, iis nempe, qui diebus festis celebraturi sunt in publicis ruralibus Oratoriis, quæ a Parochiali Ecclesia minus quam mille passibus distant: nam quum iis diebus optandum maxime sit, curandumque, ut Christianus grex Pastorem audiat suum, adeoque ad Parochialem potius, quam ad aliam confluat Ecclesiam, idcirco Oratoriorum istorum Capellani, aut quicumque ibi celebrent, ne Missam legere aggrediantur, nisi post illam, quæ Parochialis nominatur (7). Sicui vero Sacerdoti necessarium fuerit Sacrum in iisdem Oratoriis ante illam facere, id ipse Parocho mature significet, qui si consentiat, ante Missam nullum publice signum edatur. At, Parocho repugnante, nequis audeat celebrare.

XX. Locus ad sacrificandum aptus, ac necessarius sunt Aræ sacræ

(1) *Rubr. gen. Miss. Tit. XV.* §. 1. (2) *Vid. Edictum in Append. ad Conc. Rom. N. XVIII.* §. 9. *Lambert. Inst. XIII. n.* 3. 4. 5., & *Inst. LXVIII. n.* 12. (3) *Cap.* Nocte Sancta 48. *De Consecr. Dist.* 1. (4) *S. R. C. in Pisaur.* 7. *Dec.* 1641., & *alibi*. (5) *S. C. R. De mand. Alex. VIII.* 12. *Febr.*, & 11. *Mart.* 1690., & *alias sæpissime*. (6) *Vid. Append. pag.* 145. *N. III.* (7) *S. C. Episc.* 14. *Maii* 1581., & 24. *Maii* 1685.

cræ in Templis, publicisve Oratoriis: nam de Sacellis in domibus privatis alibi (1).

XXI. Sunt quoque in multis Ecclesiis, ac Oratoriis Altaria, quæ Privilegiata appellantur: ut certo constet, an hujusmodi sint, non solum spectandum est tempus, ad quod concessum fuit Privilegium, sed numerus etiam Missarum, quæ in loco, ne ipsum excidat, fuerunt statutæ. Quomodo porro ob Missarum defectum Privilegium ejusmodi desinat, cognoscetur ex definitis a Sacra Congregatione Concilii, quæ oculis cujusque subjiciemus in Appendice (2). Quæ tamen Altaria esse in Parochialibus Privilegiata curavimus, nullum jam nunc certum Missarum numerum postulant (3).

XXII. Qui debent Missas ad Privilegiatum Altare celebrare, animadvertere jubentur, non alias, quam Defunctorum, legendas esse quibuscumque diebus Rubricæ permittunt: quandocumque autem vetant, Missa de Sancto legenda est, & ea Missa Indulgentiæ utilitate minime caret (4).

XXIII. Quod Sacerdos, qui Sacrificium alteri petenti offerat, eleemosynam, *quasi stipendium suæ sustentationis* (5) accipiat, ex communi Ecclesiæ consuetudine fas, æquumque est. Verum necesse est, tum ut importunæ, atque illiberales vitentur exactiones, quas semper est detestata, semperque prohibuit pia Mater Ecclesia (6), tum ut suscepta Missarum onera, sive perpetua ea sint, sive temporaria, fideliter persolvantur. Jam a Prædecessore Nostro Cardinali de Verme fuit Synodali Constitutione decretum (7), ne pro Missa manuali majus exigatur, ex quocumque præhabito pacto, stipendium, quam duodecim obolorum, sub pœna restitutionis excessus, & suspensionis a Divinis per triduum (8): idem stipendium in consuetudine positum hic esse jamdudum novimus. Itaque hoc ipsum Synodali hac Nostra Sanctione probamus, iterumque confirmamus, ipsa etiam pœna in eos proposita, qui aliter facerent. Potest tamen majus accipi stipendium, si ex peculiari hominum pietate majus sponte obferatur, aut siquæ res habeantur extrinsecus, quibus juste augeri possit (9).

XXIV.

---

(1) *Par. V. Cap. II.* (2) *Vid. Append. pag.* 45. *N. VI.* (3) *Extat Breve de hujusmodi Altar. in Append. pag.* 46. *N. VII. De Privil. Altar. die* 2. *Nov. Vid. Append. pag.* 47. *N. VIII.* (4) *Declar. S. C. sub Clem. XI.* (5) *Vid. D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 2. (6) *Trid. Sess. XXII. Decr. De observ., & vit. in cel. Miss.* (7) *Syn. Emi de Verme pag.* 111. §. Ut omnis. (8) *Vid. Ben. XIV. De Syn. Lib. V. Cap. IX. n.* 2., *& Inst. LVI. n.* 1., *& seqq.* (9) *Prout in ead. Syn. ibid.*

XXIV. Nequis unquam, quicumque ſit aut Eccleſiæ, aut Eccleſiaſtici Beneficii Rector, aut piorum Locorum Adminiſtrator, aut Monaſterii ſacrarum Virginum, aut Puellarum Conſervatorii Præſes perpetuum celebrandarum Miſſarum onus ſuſcipiat ſine Noſtro conſenſu in ſcriptis obtento: qui ſecus fecerit, in pœnam ſtatim incurret interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ juxta Urbani VIII. Decretum ab Innocentio XII. confirmatum (1).

XXV. Quia vero recta ratio non patitur, ex eleemoſyna ab Epiſcopo ſtatuta quidquam detrahi in commodum Eccleſiæ, quæ Sacerdoti ſacra præbet veſtimenta, quæque ſunt ad Miſſam celebrandam neceſſaria; hac de cauſſa decretum eſt, nihil ex eleemoſynis manualibus eſſe eo nomine detrahendum: ex ſtipendiis vero pro Miſſis perpetuis relictis tunc ſolum Eccleſiis, ubi ſunt celebrandæ, aliquid percipere fas eſt, quum illæ alios reditus non habent, quibus hujuſmodi onus ſuſtineant (2). Quod tamen duorum obolorum ſummam pro qualibet Miſſa nolumus cum Deceſſore Noſtro excedere (3).

XXVI. Plura ſunt de celebratione Miſſarum definita, atque ſtatuta, quæ Sacerdos quiſque rite cognoſcat, & fideliter impleat neceſſe eſt. Decreta multa ſubjiciemus in Appendice (4). Interim quædam ex multis placet memorare: nundinationem illam, qua eleemoſynæ pro Miſſis celebrandis colliguntur, ut vel ibi, vel alibi minore ſtipendio celebrentur, retenta ſtipendii parte, pœna excommunicationis, ſi Laici, & Sæculares id fecerint, ſuſpenſionis vero, ſi Eccleſiaſtici fuerint, ipſo facto incurrenda, & Romano Pontifici reſervata caſtigatam voluit Benedictus XIV., etiamſi Celebrans majoris eleemoſynæ conſcius minore ſtipendio contentus fuerit (5).

XXVII. Itemque placet in memoriam revocare, Sacerdotem graviter teneri tot omnino Miſſas celebrare, quot pro ſtipem offerente celebrandas ſuſcepit, quin hujus exiguitas eum excuſet (6). Item, ſiquando ſacrificandum ſuſcepit certis ſive diebus, ſive Eccleſiis, ſive Altaribus, caveat, ne id aliis ſeu locis, ſeu temporibus faciat, ſi velit ſatis ſuum munus implere (7). Item, ſiquis pro Miſſa manuali elee-

 moſy-

(1) *Decret. Urbani VIII. confirmat. ab Innoc. XII. per ſuam Conſt.* Nuper a Congreg. §. Ad hæc. *Legitur in Append. pag.* 48. *N. IX.* (2) *Vid. memorat. Confirm. in reſp. ad dub. VII. Vid. Lambert. Inſt. LVI. n.* 12. (3) *Syn. Creſc. pag.* 64. §. Cum recta. (4) *Vid. Append. ibid.* (5) *Conſt.* Quanta cura *XXII. Bull. Tom. I.* (6) *Decr. S. C. C. De celeb. Miſſ. juſſu Urb. VIII.* 21. *Junii* 1625., *& al. Decr., de quibus in Append. pag.* 48. *in reſp. ad dub. III.* (7) *Ex S. C. C. in Atinen.* 18. *Aug.* 1668., *& in Ferrar.* 26. *Mart.* 1718., *& alibi.*

mofynam folito majorem acceperit, non poteft eam alteri Sacerdoti celebrandam committere, minore ftipendio tradito, quin præter culpam, & reftitutionis onus, debitis fit etiam pœnis afficiendus; idque, quamvis eidem Sacerdoti Miffam celebranti majus fe accepiffe ftipendium indicaret, atque ille confentiret (1).

XXVIII. Infuper vetitum, ne Sacerdos, nifi confcii fint, atque confentiant, qui eleemofynam tribuunt, plures etiam fponte oblatas fumat Miffas celebrandas, quibus intra modicum tempus nequeat ipfe fatisfacere (2). Extat autem aliud Decretum declarans, tale nempe tempus intra menfem contineri (3). Quare ejufdem facræ Congregationis menti inhærentes omnibus Ecclefiarum Rectoribus, & Sacrarii Præfectis præcipimus, ut, quum eleemofynarum numerum pro Miffis adventitiis, five manualibus celebrandis oblatarum ita augeri viderint, ut intra menfem nequeant omnes celebrari, eas nullo modo recipiant, nifi prævia expreffa, & clara monitione offerentibus facienda, non poffe tam magnum numerum Miffarum in eadem Ecclefia, feu Altari confeftim celebrari; fed eas vel tractu temporis ibidem, quum commode fieri poterit, vel in alia Ecclefia, feu Altari celebrandas fore (4).

XXIX. Quoad eleemofynas, quæ Fidelium largitione deponuntur in capfulis, hæc ftatuimus: nempe ex iis, quæ, celebratis generalibus Officiis, fuperfunt, intra difcretum tempus tot Miffæ manuales celebrentur, quot iis eleemofynis refpondeant: qua fuper re, eaque graviffima, Parochorum oneramus confcientiam, ne forte fibi blandiantur. Quod fi hujufmodi Miffæ intra difcretum tempus a Parochiæ Sacerdotibus celebrari nequeant, Nos ipfi de tota re moneri volumus: Namque eas a Parochis celebrandas committi, Nobis inconfultis, extra Diœcefim, immo etiam extra Parochiam non patiemur in pofterum.

XXX. Stet igitur, in Miffarum oneribus, quæcumque ea fint, mentem Fundatoris, feu offerentis effe ad unguem implendam: hinc fit, ut Sacerdoti, qui Sacrum quotidie facere per fe ipfum debet, conceffum fit ad breve tempus (*concurrente aliqua rationabili cauffa*) a celebrando vacare, quin alium teneatur fufficere: qui vero debent quotidie aut per fe, aut per alium celebrare, nullo unquam die pof-

(1) *S. C. C. in Romana* 23. *Aug.* 1664. (2) *Vid. memorat. Confirmat. Innoc. XII.* §. Eleemofynas, *&* *declar. ad dub.* X. (3) *S. C. C.* 17. *Julii* 1665. *Vid. Lambert. Inft. ead. n.* 14. (4) *Vid. Ben. XIV. de Syn. Lib. XIII. Cap. ult. n.* 12., *apud quem S. C. Decret. Vid. eund. ibid. Lib. XII. C. VII. n.* 4. 5.

possunt a celebrando deficere, nisi aliud ex ipsa Fundationis lege constet: verum id aut per se, aut per alium efficiant necesse est (1).

XXXI. Ne autem aut temporum injuria, aut hominum vitio piæ Fidelium voluntates frustrentur, atque animæ in Christo defunctæ debitis sibi destituantur auxiliis, districte præcipimus, ut in quovis Sacrario publice habeatur Tabella a Nobis signanda, quæ ordine indicet omnia, & singula annua onera Missarum, Anniversariorum, aliorumque Officiorum, quæ Ecclesiæ illi quacumque ex caussa imposita sunt; item pro quibus, quo die, quo ritu, in quo Altari Missæ sint celebrandæ: itemque præcipimus, ut unus, vel multiplex habeatur codex, in quem subinde propria quisque referat manu quidquid oneris particulatim implevit, explicatis caussa, atque titulo oneris, tum vero anno, mense, die, quo satis illi fuerit factum (2).

XXXII. Codex quoque separatus est necessarius, quo singulæ scribantur manuales eleemosynæ, quas nempe identidem Fideles Missarum celebrandarum gratia solent obferre. In eodem scribant Sacerdotes quoque proprium suum singuli nomen, idque eo ipso, quo celebraverint, die; neque fas esse sibi ducant hæc duo unquam pervertere. Siqui dolose auderent in aliquo ex hisce codicibus Missas describere, quas minime celebrassent, hosce & Decessori Nostro Crescentio, & Nobis visum, suspensione a Divinis puniendos (3).

XXXIII. Singulis annis est intra mensem Januarii ratio reddenda, num dicta Missarum onera fuerint prorsus impleta (4): hoc nempe in Civitate fiet coram Nobis, vel aliis, quos Nos ipsi deputabimus; in Diœcesi Missarum libri ab eis intra annum revisentur, quos Nos ipsi, & quando designabimus. Hos vero serio monemus eorum conscientiam onerantes, ut totum id omni cum fidelitate, tum diligentia peragant, videantque, an omnibus oneribus fuerit integre factum, spectato non solum Missarum numero, sed etiam die, modo, & Altari, remque omnem communicabunt Vicario Nostro Generali, qui, siquos in suis oneribus implendis peccasse deprehenderit, eos omissa Sacrificia compensare compellet; tum annui stipendii, aut reditus privatione, aliisque pro jure, atque arbitrio pœ-

 nis,

(1) *Vid. Ben. XIV. De Syn. Lib. eod. Cap. IX. n. 4 5., & Inst. ead. n. 6., & quæ ibi Decreta legunt.* (2) *Litteræ Encycl. S. C. C. de mand. Alex. VII.* 13. *Decem.* 1663. *Syn. Cresc. pag.* 63. §. Cum in nostra. (3) *Syn. Cresc. pag.* 64. §. Qui statutis. (4) *Vid. Ben. XIV. De Syn. Lib. eod. Cap. VII. n. 4 Syn. Cresc. pag.* 64. §. De prædictis.

nis, ſpectata culpæ ratione multabit. De Miſſarum oneribus a Beneficiatis Noſtræ Metropolitanæ implendis alia alibi conſtituentur (1).

XXXIV. Etſi Sacerdotes, qui ad aliquam Eccleſiam ob celebrandum adventant, omni & reverentia, & humanitate excipi par, æquumque eſt, a peregrinis tamen, ab advenis, atque univerſim ab iis, qui non ſatis cogniti ſint, Parochi, ſeu Præſides, vel Cuſtodes Eccleſiarum, etiam Regularium omnino exquirant, ut proferant litteras a ſuo Præſule habitas, quibus Vicarius Noſter Generalis ſubſcripſerit: quas niſi viderint, ac recognoverint, celebrandi copiam eiſdem facere nequeunt (2). Id quidem in Civitate.

XXXV. Nam hujuſmodi Sacerdotes, qui in varias Diœceſis partes ſe conferunt, quin Civitatem attigerint, iis, ut Miſſam celebrent, permitti benigne poterit ad biduum fide Dimiſſoriarum, quas exhibuerint.

XXXVI. Cancellariæ porro Noſtræ ſevere prohibemus, ne Sacerdoti alienæ Diœceſeos, qui diutius in Noſtra degere velit, celebrandi facultatem faciat, niſi ſatis conſtet, eum eſſe ſacrarum Ceræmoniarum, ac Rituum peritum: ejus autem peritia exploretur a Patribus Congregationis Miſſionis, a quibus authenticum referat teſtimonium (3).

XXXVII. Sed de hoc etiam Sacerdotes noſtros monemus, ut, ſiquando a Ditione Noſtra ad ſex menſes abſuerint, quum ad Nos redeunt, litteras ſecum perferant aut Præſulis, unde veniunt, teſtantis, poſſe illum legitime celebrare, aut alterius, ſed qui ſit fide dignus, teſtantis, Miſſam ab ipſo fuiſſe per id tempus celebratam.

XXXVIII. Quicumque vero ſecum ipſe conſideret, quæ præſtari erga Deum poſſint officia, quoties ſuus illi Filius obfertur, vix fieri poteſt, ut velit unquam tanta Creatorem ſuum gloria, tot, tantiſque utilitatum fructibus Cœlum, Terram, ſe tandem ipſum conſulto fraudare. An ad hanc rem Sacerdotem quemquam neceſſarium eſt cogi, propoſito ſtipendio? Avertat Deus. Ad Parochos potius, & Catechiſtas orationem Noſtram convertimus, iiſque tanto, quantum res ipſa per ſe poſtulat, ſtudio commendamus, ut Fidelem

(1) *Vid. Par. IV. Cap. III. N. IX.* (2) *Concil. Chalced. rel. in Cap.* Extraneo 7. *Diſt.* 71. *Trid. Seſſ. XXII. De Sacrif. Miſſæ, Decr. De obſerv., & vit. in celeb. Miſſæ. Seſſ. XXIII. Cap. XVI. De Reſ. Supr. S. Inquiſ. Cong. Litter. Encycl. datis die* 26. *Januar.* 1692. *S. Car. Conc. Prov. I. Par. II. Tit.* Quæ pertin. ad celebr. Miſſ. *Omnes Synod.* (3) *Syn. Creſc. pag.* 63. §. Nemini.

delem populum ita de Sacrificii neceſſitate, præſtantia, finibus, fructibus, atque offerendi ratione, quæ ſit omnibus communis, edoceant, ut infinita, ſi fieri poſſet, religione erga illud inflammetur, atque illi quotidie intereſſe, terrenis quibuſcumque occupationibus, fortuniſque poſthabitis, cupidiſſime exoptet, & quacumque poteſt ratione contendat. Utinam artifices ipſi non ante ſe diurnis laboribus dederent, quam tantis diteſcerent bonis!

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

REnatis Baptiſmate, Confirmatione roboratis, Euchariſtico Cibo enutritis nihil jam deeſſe hominibus videbatur, ut novam, quam hauſerant, Vitam in Chriſmatis virtute, atque cœleſtis Panis fortitudine tuerentur, & alerent, donec ad montem Dei Horeb, cœleſtem nempe Hieruſalem, perveniſſent. Clementiſſimus tamen Salvator, quum figmentum noſtrum probe cognoſceret, quumque facillime fore provideret, ut homines in laqueum Diaboli, & peccati ſervitutem inciderent, noſtram magis miſeratus infirmitatem, quam nequitiam ulturus, aliud etiam, quod Pœnitentiæ, ſeu Reconciliationis dicunt, Sacramentum Eccleſiæ ſuæ reliquit; per quod, novi Teſtamenti Sacerdotes quidquid ligaſſent, aut ſolviſſent in terris, ligatum, ſive ſolutum eſſet in Cœlis. Mirabilem ſane, quam Deus hominibus contulit, poteſtatem! Veruntamen illius exercendæ munus tam grave eſt, tam difficile, tamque formidandum, ut, niſi multa ſedulo tum caveantur, tum perficiantur, verendum ſane iis, qui hoc Sacramentum aliis adminiſtrandum ſuſcipiunt, ne in venenum utrinque evadat, quod Sacerdotibus ad dignitatem, ac meritum, pœnitentibus pharmaco eſſe debuerat ad ſalutem. Doluere quidem (1) Lateranenſes Patres inter cetera unum eſse, quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam, falſam ſcilicet Fidelium pœnitentiam: quod quum ex eorum, qui Sacramentum ſive ſuſcipiunt, ſive miniſtrant, vitio fieri poſſit, primo animarum Paſtoribus ſtudioſiſſime enitendum eſt, ut doceantur Fideles hoc Sacramentum rite ſuſcipere: deinde Paſtoralis Noſtræ ſollicitudinis eſt ea conſtituere, quibus hoc Sacramentum, non modo nunquam inaniter adminiſtretur, at fructuoſe ſemper, ac decore.

I. Poſ-

(1) *Conc. Later. II. ſub Innoc. II. Can. XXII.*

I. Possunt, qui Parochiale actu obtinent Beneficium, ex munere suo excipere Confessiones suorum Parochialium (1): atque iidem ex hujus Dioecesis consuetudine, quam Nos probamus, possunt intra Dioecesim Nostram, Sæcularium quorumcumque; potest in tota Dioecesi ex munere suo Canonicus Poenitentiarius, qui est quasi Parochus totius Dioecesis. Præter hos nullus potest Sacerdos, sive Sæcularis sit, sive Regularis, quem distincte Nos non approbaverimus, Sæcularium etiam Sacerdotum Confessiones in hac Nostra Dioecesi audire (2). Siqui facere auderent, tum peccarent ipsi, tum absolutionis verba, quæ proferrent, nullius essent momenti (3), essentque ii a Nobis gravissimis poenis puniendi (4). Quin etiam sub Canonicis poenis prohibemus districte, nequis a Nobis nondum probatus poenitentem absolvat, qui se se de venialibus tantum, aut lethalibus alias rite confessis accuset (5). Illud tamen æquum semper visum est, ne Sacerdos, etiam per Nos ad excipiendas Confessiones probatus, eas audiat, nisi rogatu, concessu, permissu Parochi, vel Superioris, in cujus Ecclesiis est poenitentes auditurus (6).

II. At generalem hanc Confessionum audiendarum facultatem certis potest, & solet Episcopus finibus circumscribere, temporis, loci, criminum, personarum (7). Itaque advertant Confessarii, ea facultate Confessiones audiendi nunquam includi Confessiones Monialium, nec foeminarum, quæ degunt in Clausura Monialium, quas ut audiant Sacerdotes non solum Sæculares, sed Regulares, quicumque sint, opus est, ut a Nobis probentur separatim (8). Neque, propterea quod quisquam a Nobis ordinarii, vel extraordinarii Confessarii munus ad aliquod Monasterium acceperit, existimet se esse probatum, ut id muneris in alio etiam exerceat.

III. Item advertant, eadem generali Confessionum audiendarum facultate nunquam ea seu peccata, seu censuras includi, quas, ut poenitentes ad justam graviorum, atrociorumque criminum correptionem paulo difficiliorem experiantur viam, uti omnes consuescunt Episcopi (9), Nobis absolvendas reservamus: nempe ad id peculiaris aut a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali facultas obtinenda;

(1) *Trid. Sess. XXIII. Cap. XV. De Ref.* (2) *Trid. ibid. Vid. prop. 13., & 16. inter proscrip. ab Alex. VII.* (3) *Ex Trid. Sess. XIV. Cap. VII.* (4) *S. C. C. in Neapolit. 14. Apr. 1646. Greg. XV. Const.* Inscrutabili *XVIII., & alibi.* (5) *Decr. Innoc. XI. 12. Feb. 1679.* Cum ad aures. (6) *Syn. Cresc. pag. 66.* §. Primo. (7) *Innoc. XIII. suo Brev.* Apostolici Ministerii 13. *Maii* 1723. (8) *Greg. XV. ibid., alib.* (9) *De hoc jure reserv. Trid. Sess. XIV. Cap. VII., & ead. Sess. Can. XI.*

da, qua ſiquis carens abſolveret extra mortis articulum, præterquamquod ipſa irrita eſſet abſolutio, in pœnam incurreret ipſo facto excommunicationis, privationis Beneficiorum, Officiorum, & inhabilitatis ad ea obtinenda, aliaſque, ſuper quibus a nemine, niſi a Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatio, & abſolutio concedi poterit (1). Itemque certum, *habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere poſſe* (2).

IV. Inſuper multiplici Pontificum jure ligatur ſub iiſdem pœnis Confeſſariis abſolvendi poteſtas ob cenſuras, & caſus, quos illi ſibi ipſis, ſuæque tantum Sedi reſervant. Eam tamen facultatem ſiquando ab Apoſtolica Sede impetrare opportunum cenſuerit Confeſſarius, illius petendæ rationem cognoſcet ex iis, quæ Noſtræ Synodo ſubjiciemus (3). Hic nominatim commemoramus, ipſo Pontificio jure nullam eſſe Confeſſariis quibuſcumque etiam Jubilæi tempore facultatem abſolvendi pœnitentem complicem in peccatis contra ſextum Decalogi præceptum, latamque eſſe abſolventi pœnam excommunicationis ab ipſo duntaxat Summo Pontifice tollendam. Quod ſi ejuſmodi pœnitens verſetur in mortis articulo, tum ſolum ab eo Confeſſario abſolvi poterit, quum nullus omnino adſit Sacerdos, etiamſi minime approbatus, cui ſine ſcandalo, aut infamia confiteri non poſſit. Ac ſi abſque neceſſitate, quam vitare nulla ratione potuerit, Confeſsarius eum pœnitentem audiat, in cenſuram ipſe incidit, quamvis valide abſolvat (4).

V. Iamque eſt pio admodum Eccleſiæ conſilio cautum, ne Chriſtianus in mortis articulo ullum ſibi ab humano jure impedimentum eſſe ſentiat, quominus cum Deo per Pœnitentiam reconcilietur: quare poteſt Sacerdos, quicumque ſit, tali tempore a quibuſcumque peccatorum, ac cenſurarum vinculis pœnitentem abſolvere (5). Qui tamen a cenſuris abſolvit, pœnitentem moneat, ſi convaluerit, teneri ſe illis ſiſtere, quibus ea vincula ſolvere reſervatum eſt, eiſdemque plane parere. Nam iiſdem vinculis obſtringitur

(1) *S. C. Epp., & Regul. ſub Clem. VIII.* 1601. *Eadem ſub Paul. V.* 1617., *& ſub Urbano VIII.* 1628. *Clemens X. Conſt.* Superna *VII. S. C. C. in Colonien.* 16. *Sept.* 1720. *Ben. XIV. De Syn. Lib. V. Cap. V. n. 6., & ſeqq. Idem in ſuo Brev.* Pias §. 3. *legit. Bull. Tom. IV. N. II.* (2) *Clemens Conſt. ead.* (3) *In Append. pag.* 93. *N. XXVI.* (4) *Vid. dupl. Conſt. Ben. XIV. hac ſuper re in Append. pag. 66. N. XII., & pag.* 70. *N. XIII.* (5) *Trid. Seſſ. XIV. Cap. VII.*

gitur iterum, si hæc præstare renuat, aut, plusquam par sit, differat (1). Sed uti se gerat in hac re Confessarius, fuse persequitur Eminentissimus Prædecessor Noster de Verme in suis ad Confessarios monitis (2), quorum lectionem magno Confessariis nostris usui futuram confidimus.

VI. Verum ii spectandi utilitatum fructus, qui a recta hujus Sacramenti administratione in populum manare uberrime possunt. Principio quum sint Confessarii tanquam divinæ Justitiæ simul, ac Misericordiæ Ministri constituti, ut & divino, qui læsus est, honori, & animarum, quæ perierunt, saluti consulant, ecquis non intelligat, quanta eos oporteat animi pietate pollere, doctrina, charitate, prudentia? non enim hominis debent exercere judicium, sed Domini. Itaque effusis persæpe precibus luminum Patrem, ac Deum invocent, ut mittat Sedium suarum assistricem Sapientiam, quæ cum iis sit, cumque iis laboret: summam animi, morumque innocentiam servent.

VII. Porro habeant apud se aliquot ex probatioribus Moralis Theologiæ Doctoribus, quos persæpe evolvant, neque in rebus difficilioribus, uti BENEDICTUS XIV. commendaverat (3), *privatis suis opinionibus nimis adhæreant*. Siquæ in munere exercendo dubitationes suboriantur, nequid periculose definiant extempore, satius erit pœnitentem dimittere, atque præcipere, ut responsionem certam auditurus ad diem revertatur. Interim vero *plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur: deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*, uti faciendum ipse præscripsit in memorata Constitutione; quumque eadem verba in alia sua Constitutione (4) retulisset idem Pontifex, ita subdit: *id ipsum modo repetimus: Nostra quippe sententia non solis rei usurariæ limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quæ sive ad forum sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt* (*).

VIII. Hactenus paulo remotiora, ac generalia: nunc peculiaria quædam, & quoad usum magis propinqua. Qui Canon meminit, magnopere sanctam Ecclesiam perturbari falsa Fidelium pœniten-

(1) *Cap.* Eos, qui 22. *De senten. excommunic. in 6.* (2) *Syn. Emi de Verme pag.* 74. §. Si absolvi. (3) *Const.* Vix pervenit *CXLIII.* §. 8. *Tom. I. Bull.* (4) *Const.* Apostolica *XIX.* §. 21. *Tom. III. Bull.* (*) *De Congr. Cas. consc., quibus Confessarii tenent. interesse, vid. Par. IV. Cap. I. N. XL., & seqq.*

tentia, præter Parochos, ut populum instruant, Confessarios ad id excitare debet, ut maxime pervestigent, quinam sint ad absolutionis beneficium rite dispositi. Certe eidem impares plane esse diximus, qui præcipua Fidei nostræ Mysteria ignorant (1): quos propterea suspicetur Confessarius in eorum cognitione rudiores, eos interroget. Sunt porro, qui ob proximam, eandemque liberam, in qua versantur, peccandi occasionem, tanti se se beneficii indignos præferunt: hi quoque, posthabitis humanis quibuscumque rationibus, ne absolvantur. Att eorum accuratissime voluntas exploranda, qui gravis alicujus sceleris consuetudine urgentur, qui sunt nefario quovis contractuum, pactionumve genere impliciti, qui moram restituendis alienis objiciunt, quum restituere possint, qui odiis diu, inimicitiisque distinentur, qui jam moniti aut scire negligunt, aut exercere, quæ proprii muneris sunt, qui lubricam præsertim ætatem, quam habent fidei suæ commissam, facili peccandi periculo, etiamsi alias moniti fuerint, exponi sinunt, qui, quum publice peccaverint, quam dederunt, offensionem nondum tollere sunt conati: hos nimirum, aliosque hujus generis, manifestum communiter est, dolorem, ac propositum, quantumvis voce, ac pectoris tunsione testentur, factis denegare: hinc & de his periculum prudenter fieri, & verum parati animi argumentum prius exigi debet, quam absolvantur. Huc distincte accensemus amasios, quos moneri graviter volumus, ne sibi fas esse putent Matrimonii contrahendi caussa amoribus indulgere: quo circa Confessarii relegant sæpe, teneantque propositiones, quæ sunt in hanc rem suprema auctoritate proscriptæ; tum quæ nuper commemoravimus monita (2). Meminerint Claves Sacerdotibus, non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas (3); jamque prudens absolutionis protractio, quam Evangelicæ & promissiones, & minæ comitentur, mirum, quantum ad abolendam etiam corroboratam vetustate nequitiam sit valitura.

IX. Insuper Confessario tite tenendum, quod est Pontificio jure decretum, ne absolvatur, qui est sollicitatus ad turpia a Sacerdote hoc Sacramento abutente, (prout ipsæ Constitutiones statuunt (3))

M nisi

(1) *Par. I. Cap. I. N. VI.* (2) *Vid. Rit. Rom. De Sacr. Pœnit. Tit. Ordo ministrandi* §. Videat. *Vid. propos. 60., & seqq. damn. ab Innoc. XI. Syn. de Verme pag. 72.* Monita ad Confessarios. *Syn. Cresc. pag. 68.* §. Illud vero, *& seqq.* (3) *Trid. Sess. XIV. Cap. VIII.* (4) *Const. Greg. XV.* Universi Dominici *XXXIV. Const. Bened. XIV.* Sacramentum *XX.*, *alia ejusdem* Apostolici *CXX. Bull. Tom. I. Hæ tres Const. legunt. in Append. pag. 64. N. XI., 66. N. XII., 70. N. XIII.*

nisi sollicitantem ad Nos, vel ad sacram Inquisitionem detulerit; aut, si statim non possit, delaturum quam primum polliceatur. Non autem ultra mensem differendum. Quod si hoc officium prætermiserit Confessarius, vel pœnitentes docuerit ad id non teneri, pro modo culpæ puniendus. Si id facere pœnitens renuat, aut, quum possit, differat plus quam par est, in excommunicationem latæ sententiæ incurrit (1), a qua, nisi prius denuntiet, absolvi per Confessarium nequit. Attamen ne terreatur pœnitens ab hoc onere implendo, doceat Confessarius nequaquam ibi pœnitentis culpam exquiri, esseque plane ab ipso reticendam; ipsis autem Judicibus ita verecundiæ delatoris, ac famæ parcendum, ut non modo gravissime prohibeantur quidquam de illius culpa rogare, sed etiam, siquid ei minus caute de se ipso dictum excidat, negligere omnino debeant, neque in Acta referre quidquam possint. At simul etiam pœnitentem monere Confessarius non desinat, calumniam, quam quis hac in re Sacerdoti per summam impudentiam affingeret, scelus esse gravissimum, cujus absolvendi facultatem (extra mortis articulum) universis sustulit Romanus Pontifex (2). Ceterum quid in hanc rem, quidque in Confessarios sollicitantes ad turpia Pontificiæ imperent Constitutiones, ita est Confessariis quibuscumque sciendum, ut Nobis ipsis integrum non sit, quemquam ad istud Ministerium probare, a quo hujusmodi Constitutiones attente lectæ non fuerint.

X. Explorata denique, tum propria auctoritate, tum Rei ad percipiendam absolutionem præparatione, reliquæ sunt Judicis partes pœnas constituere. Ut autem judicium sine misericordia faceret, qui pro levioribus peccatis gravissimas pœnas imponeret, ita muneri suo deficeret, qui pro gravissimis culpis leviores pœnitentiæ actus injungeret. Nam aliqua inter utrumque intercedat proportio necesse est, quam nisi in tanti momenti caussis Confessarius servaret, eorundem criminum particeps fieret (3). Idcirco antiquos Canones Pœnitentiales ediscendos curent Confessarii, ut illorum exemplo conjiciant primum, quot, quamque graves par esset in hoc Foro pœnas repeti a Reis: deinde ut quum Reis ipsis interdum communicent, quantum inter vetus Pœnitentiæ genus intersit, ac illud longe mitius, quod, insinuato in Christianorum animos frigore, socordia nempe, atque torpore, cœptum est usurpari. Hinc enim facile fiet, nisi plane ferrei sint, ut tanta Ecclesiæ benignitate permoti,

(1) *Decr. Supr. Univ. Inquis. 3. Janu. 1622.* (2) *Ben. XIV. memorat. Const.* Sacramentum §. 3. (3) *Ex Trid. Sess. XIV. Cap. VIII.*

moti, non modo quæ sibi hoc tempore præcipi sentiunt, minime refugiant, sed alacriter potius, cumque gratiarum actione excipiant, atque perficere aggrediantur. Canones hujusmodi dabit Appendix (1). Alia sunt in irroganda satisfactionis pœna rite servanda, prout prudentia, atque pœnitentis seu necessitas, seu utilitas suppetet (2).

XI. Attamen antequam pœnam statuat Confessarius, absolvatque Reum, criminum suorum multitudinem, gravitatem, turpitudinem, pericula, damna ante ipsius oculos ponat, gravibus verbis, sententiisque insectetur: gravius etiam, siquando opus sit, Reum increpet, arguat, Evangelicis minis, pœnisque concutiat. *Veh* enim qui *consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas* (3)!

XII. Verum non tam justitiæ, quam misericordiæ se Ministrum noverit constitutum: hinc non tam Judicem, quam Medicum agat necesse est. Quare sicuti in pœnis ipsis injungendis habenda etiam est ratio pœnitentium virium, sexus, ætatis; ita cavendum, ne si durius aliqui secum agi experiantur, hi ab judicio, in quo misericordia, & venia promittebatur, desperatione veluti fracti abeant, aut suas & culpas, & animæ ægritudines Judicem, ac Medicum celare constituant. Nunquam igitur objurgationibus, terroribus, minis utendum, quin divina objiciatur misericordia, cujus suavissima officia si Confessarius rite valeat exponere, nullam ferme credimus fore animi obfirmationem, atque duritiem, quæ non exscindatur, atteratur, ac veluti colliquescat. Est itaque asperitas benignitate sic temperanda, ut vulnera neque irritata recrudescant, neque imperite obligata, vel resoluta computrescant.

XIII. Insuper *more periti Medici similiter infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium præbere, & ejusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum* (4). Quare *si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget* (5). Neque solum de

(1) *Vid. Append. pag.* 72. *Num. XIV.* (2) *Vid. Trid. ibid. Rit. Rom. De Sacr. Pœnit. Tit.* Ordo ministrandi. §. Postremo, *& seqq. Catech. Rom. De Sacr. Pœnit.* §. *ult. Ben. XIV. Const.* Apostolica *XIX.* §. 23. *Bull. Tom. III.* (3) *Ezech.* 13. 18. (4) *Cap.* Omnis utriusque sexus 12. *De Pœnit., & Remiss.* (5) *Rit. Rom. De Sacr. Pœnit. Tit. eodem* §. Si pœnitens.

iis pœnitentem interroget, quæ *propter negligentiam*, *vel propter verecundiam* omittit, sed & de iis, quæ ignorans tacet (1). Nempe (uti docet SS. Pontifex BENEDICTUS XIV. (2)) *cum pœnitens, aut crimina ignoret, quæ tamen nosse debet, aut in iis versetur facti circumstantiis, quæ, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant non sine aliorum scandalo; cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ ab iis, qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. Hisce in casibus concors Theologorum sententia est, Confessarium teneri monitis, ac interrogationibus pœnitenti opem ferre, quamvis inde pœnitentis tristitiam secuturam agnoscat*. Insuper Confessarii est pœnitentes suos, maxime ubi ruditatem suspicetur, ad eos actus disponere, qui sunt ad hujusmodi Sacramentum penitus necessarii, nimirum ut ex corde doleant, ac se in posterum a peccatis recessuros serio proponant. Tandem ipsius Confessarii est rationes, quibus pœnitentes peccata caveant, modo suggerere, modo etiam præcipere, atque studio omni contendere, ut perfecta ex tam salutaris pharmaci usu consequatur male habentium quorumcumque valetudo: idque sibi persuadeat Confessarius, in hoc Sacramento non festinatam, sed diligentem operam navandam, semperque præoptandum juxta sanctissimorum hominum monita Confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas.

XIV. Verum ad hæc omnia, quæ diximus, non modo doctrina, sed & charitate magna, & prudentia opus est. Certe quum immensa Redemptoris nostri charitas nullum in remittendis delictis Petro finem imposuerit, nullum etiam habere finem deberet eorum charitas, qui Christi ipsius potestatem exercent, & vicem gerunt. Quare Confessarios audiendis Confessionibus faciles cupimus quovis semper tempore, a quolibet reperiri: neque charitatis est, ut illi aut perpaucis tantum se pœnitentibus offerant, frequentiam mire fugiant, aut diuturnioris, sive difficilioris curationis indigos renuant, ad aliosque rejiciant. Nam rectius postulare pientissimi Medici charitas videtur, ut hominem, quo periculosiore confossus est vulnere, tanto alacrius excipiat, inque ejus curam diligentius incumbat. Itaque illud Confessarii frequenter sibi in memoriam revocent, quod Christus ait: *gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* (3).

XV.

(1) *Ex Doctrina S. Bernard. Senen. Tom. 2. Serm. 27. art. 2. Cap. 3. vel. in Const.* Apostolica §. 19. (2) *In ead. Const.* §. 20. (3) *Luc.* 15. 7.

XV. Charitas magis etiam postulat, peculiarem eorum curam habendam, qui male jacent in ægritudinis lecto: hisce proinde Confessarius semper sit præsto, ut in eorum quoque domibus Sacramentum administret, ubi, quum prima vice Confessionem audierit, scriptum ab eo relinqui volumus hujus rei testimonium Medico corporis opportune obferendum (1).

XVI. Quo vero puriore radio Confessariorum Nostrorum charitas fulgeat, eo facilius obtrectantium ora obstruentur, nequam eis avaritiæ, aut simoniæ labem audeant inferre: interim, ut eam semper magis avertamus, Nos prohibemus, ne Confessionis caussa quidpiam Confessarius, etiamsi sponte oblatum, accipiat: prohibemus, ne eleemosynas, quas ad redimenda peccata interdum præceperit in suum, aut suæ familiæ, aut etiam suæ Ecclesiæ commodum jubeat erogari: prohibemus, nequid unquam ipse promoveat, unde aliqua ad se, suosve utilitas derivanda videatur (2).

XVIII. Similiter uti pium est charitatis officium dare consilium condendi, ubi opus sit, testamenti, ita Confessariis severe cavendum, ne testatorem impellant, ut sepulturam deligat in eorum Ecclesia (3).

XVIII. Præterea in tota administratione Sacramenti tanta utendum prudentia, ut ea quasi primas sibi præ ceteris virtutibus vindicare videatur. Nempe tum maxime, quum ii accedunt, qui aut non satis intelligunt, cujusnam sint criminis rei, aut verecundia impediuntur, quominus animæ ulcus Medico aperiant. Si interrogentur aperte, verendum maxime, ne doceantur, quæ eos felicius ignorare expediret; si taceatur omnino, nullum ignotis vulneribus parari pharmacum potest. Hinc circumspectione in rebus explorandis, cognoscendisque est opus acerrima, nequa aut Sacramento injuria tacendo, aut animæ pernicies loquendo inferatur.

XIX. Cavendum quidem Confessariis, ne a pœnitente, qui habet criminis socium, hujus nomen, aut domum exquirant, quodque detestabilius esset, ne eum ad hæc revelanda sacramentalem absolutionem denegando compellant: quod non sine crimine gravissimo efficerent, seque Nobis dignos præberent, quibus eriperemus absolvendi facultatem. Hanc vero praxim Benedictus XIV. gravissimis verbis reprobat, ac damnat, tanquam *scandalosam*, *& perniciosam*, ac

(1) *Clemens X. ead. Const.* Superna. *Plur. Synod.* (2) *Syn. Cresc. pag.* 70. §. Ad extirpandam. (3) *Quæ pœnæ inflictæ sint in eos, qui id agunt, tradit. Par. III. Cap. VIII. N. XXIII.*

ac tam famæ proximorum, *quam ipsi etiam Sacramento injuriosam* (1). Verum siquando opus sit, uti non raro contingit, a pœnitente perquirere ea peccatorum suorum adjuncta, quæ sunt explicanda, cautissime id faciant necesse est, ne aut ulli unquam se se exitialiter curiosos præbeant, aut a Sacramento Pœnitentiæ Fideles abalienent.

XX. Neque ex pœnitentibus desunt, qui fervidiore animi impetu jejuniis, peregrinationibus, variis membrorum afflictationibus se se dederent, quin & votis obstringerent. Sed hæc ipsa prudens Confessarius universim cohibeat, ac temperet, eaque tantummodo, ac tamdiu probet, quæ magno consilio singulis tandem ad spiritus incrementum cognoverit profutura. Quod observandum maxime est, quum puellæ, quæ vitam in sæculo degunt, perpetuo castitatis voto devinci petunt. Illud omnibus tuto, & serio inculcandum, ut perpetuum pravis animi, corporisque cupiditatibus bellum indicant, utque ærumnas, atque calamitates, quibus in hac vita premi homines solent, & alacriter excipiant, & fortiter perferant.

XXI. Ne restitutionem etiam pœnitentis rogatu facere sibi facile sumat. Quod siquando necessarium id esse judicet, observandum, rei dominus sitne certus, an incertus. Nam si certus, scripturam ab ipso reposcat pœnitenti tradendam, quæ testificetur, totam ei fuisse rem traditam (2): sin incertus, Nobiscum de hoc negotio agat, quoties summa quomodocumque coacta julios superet viginti; tum vero quod æquum visum Nobis fuerit constituemus (3).

XXII. Cautum omnibus sit, ut in hoc sacro Judicio ea tantum agant, quæ ad salutem animæ spectant. De terrenis loqui, rogare, consilium præbere Confessarium ibi non decet. Hæc in aliud sunt tempus rejicienda, immo ad alias personas: nam quod Confessarii Pœnitentium suorum negotia agenda suscipiant, rem periculi plenam usu compertum est. Nunquam id igitur faciant, nisi charitas vera suadeat: onus vero procurandi Matrimonia penitus a se ipsis ut maxime alienum excutiant.

XXIII. Quanta religione servandum, etiam cum vitæ periculo, quod totum proprium est sacri hujusce Judicii, secretum, quamque gravissimis deputandus suppliciis, qui illud violet, esse jam universo Christiano populo satis notum arbitramur. Cautissime igitur Confessa-

(1) *Bened. XIV. Const.* Suprema *CXXXIV. Bull. Tom. I. Vid. ejusd. Const.* Ubi primum *VIII.*, Ad eradicandum *XX. Bull. Tom. II. Harum prima magna ex parte legitur in Append. pag.* 77. *N. XV.* (2) *Cresc. pag.* 71. §. Quamquam. (3) *Plures Synod. in hunc ferme modum.*

fessarius se temperet a quovis sermone de rebus in sacramentali Foro cognitis, sed etiam provideat, ne motu labiorum, vel capitis, ne manuum, vel digitorum gesticulatione, ne vocis elatione circumstantes possint in cognitionem venire eorum, quæ dicuntur; ne per hæc, aliave demum signa reus fiat præfracti sigilli (1): quinimmo caveat diligenter, ne absolutionis verba a circumstantibus exaudiantur: ne, siquando negetur, aut differatur absolutio, id circumstantium quispiam facile suspicari possit.

XXIV. Quantumvis vero quisquam prudentiæ studeat, ne sibi tamen unquam adeo prudens videatur, ut quemquam jubeat a suis duntaxat consiliis pendere, aut absolutionem ab se unice petere. Quinimmo aliquoties quibusdam opportunissime persuadebit, alterum ut illi spiritus Moderatorem adeant.

XXV. Quum igitur tot, tantaque sint, quæ de animi pietate, de doctrina, atque prudentia ad Confessarii munus exercendum sumus hactenus persecuti, jam muneris Nostri ratione edocemur, neminem Nobis approbandum, quin ipsius in examinibns ad hanc rem institutis paulo exquisitius periculum fecerimus. Est quidem in votis, ut & plurimi ad tam pium, ac salutare opus se Nobis offerant, & omnes ad unum comperiamus, quos huic Ministerio aptissimos, dignissimosque denuntiemus. At cavendum Nobis maxime est, ne, sicui incaute Divini Sanguinis dispensationem commiserimus, ejusdem rationem Christo Judici acerbissimam simus reddituri. Itaque habebuntur aut a Nobis ipsis, aut Nobis adstantibus, eorum examina, qui primo erunt ad Confessiones probandi: sed quoniam hæc sunt plerumque eadem ratione iteranda, diem ad id certum constituimus, nempe feriam tertiam post Dominicam primam cujusvis mensis (2); quique sunt iis diebus examen subituri, tempore adsint; sed ante hunc diem eorum nomina cum testimoniis consuetis ad Curiam Nostram mittant.

XXVI. Antequam de Confessario probando deliberemus, morum integritatem cum primis spectabimus. Hujus testimonium Regulares a Superioribus suis, prout statuemus (3), Sæculares a suis Parochis impetrent: quo si careant, nequidquam a Nobis examen petent. Interim qui huic Ministerio se comparant, ita mores componant suos, ut se ipsos præbeant exemplum bonorum operum, quæ fidem Nobis, atque universo gregi faciant, idoneum Nos Ministrum elegisse, nec un-

(1) *S. Thom. in Supplem. qu. 11. art. 2. in Corp.* (2) *Juxt. hujus Diœces. morem.* (3) *Par. IV. Cap. VII. N. IX.*

unquam esse hac quidem de caussa ab officio removendum.

XXVII. Ratio habenda est etiam ætatis: nam ad ea præclara ornamenta virtutum, quæ requiruntur, maturiorem ætatem, non quidem necessariam, sed plurimum conferre visum semper est. Itaque juxta Decessorem Nostrum (1) nemo ad audiendas marium Confessiones per Nos admittetur, qui suæ ætatis annum non attigerit plane trigesimum, & nemo ad audiendas fœminarum, qui nondum trigesimum tertium; nisi graves caussæ interdum secus agere Nobis persuadeant.

XXVIII. Tandem, ut omnis & Sacramento injuria, & Ministro, quoad fieri potest, periculum caveatur, modum hujus quoque muneris decenter exercendi tradimus. In iis Ecclesiis, in quibus audiri Confessiones solent, tot sint Sedes ad id constitutæ, quot populi frequentia, & Confessariorum numerus postulat: hæ ample quidem pateant in fronte, sed Sacerdotem retro, ac utrinque, immo ad ejusdem genua in ipsa etiam anteriore parte custodiant, quam sera munire decet, ne ibidem laici sedeant. Ad ipsius Sedis latera apertum hinc, & inde ostiolum ferme pedale relinquatur: hoc tamen ferrea obstructum sit lamina, tenuibus, sed crebris foraminibus terebrata: Crux supra Sedes ipsas promineat. Sint tandem comparatæ, inque locis apertis, lucidis, atque cuique conspicuis positæ, uti jam sæpius sancitum est, quod hoc iterum loco Ecclesiarum Rectoribus, atque Præfectis districte præcipimus.

XXIX Ut vero habeatur & loci, & temporis, & vestis delectus, hæc, quæ sequuntur, edicimus. Primo hoc Sacramentum in Ecclesiis semper, nunquam in domibus Sæcularium, nisi iis, qui caussam habent honestam, ac justam, ministretur (2). Secundo fœminarum Confessiones audiantur in Ecclesiis tantum, atque in Sede ad Confessiones, uti nuper descripsimus, parata, & nunquam in Sacrariis, nunquam in earum, vel aliorum domibus, nisi caussa infirmitatis (3), nunquam mane ante diem illucescentem, nunquam vespere post signum Salutationis Angelicæ, nisi ob dictam ægritudinis causam (4). Qui hoc alterum Decretum ex aliqua sui parte violet, hunc facultate absolvendi privabimus. Quum vero fœminis Sacramentum administratur in earum domibus, fiat id aperta semper cubiculi janua, & Sacerdote sic constituto, ut quamvis minime audiri, videri tamen possit:

(1) *Syn. Cresc. pag. 67.* §. Præterea. *Vid. Litt. S. C. S. O. in Append. pag. 78. N. XVI.* (2) *S. C. Episc. Vid. Append. pag. 79. N. XVII.* (3) *Litt. eæd. S. C. S. O.* (4) *Omnes ferme Synod.*

possit: insuper ita manu, aut linteolo vultum suum Confessarius obducat, ut mutuum pœnitentis aspectum effugiat: quod sane observet, quandocumque etiam mares audit extra Sedem Confessionalem. 3. Sacerdotes Sæculares quum Sacramentum ministrant publice, sint veste talari induti, Superpelliceo, ac Stola (1); Regulares autem habitu, quo Chorum adeunt, & Stola (2).

XXX. Iis constitutis, quæ ad rectam hujusce Sacramenti administrationem pertinent, Parochos iterum, uti jam a principio innuimus, Catechistas, Ludi Magistros, Parentes, omnes denique, qui curam aliorum gerunt, quantum possumus, vehementissime hortamur, ut eandem de hoc Sacramento suscipiendo doctrinam frequenter, patienterque, perspicua, & clara ratione apud suos recolant: longus enim usus edocuit nihil hac re sæpius, ac vehementius Christiano populo tradendum, atque inculcandum.

Casus, quos Nobis absolvendos reservamus, sunt qui sequuntur: addimus insuper, quinam ex iis adnexam habeant excommunicationem latæ sententiæ Nobis reservatam.

I.

Invocatio Dæmonis expressa ad aliquid obtinendum. Maleficium quodcumque. Superstitio quælibet vel cum expressa invocatione Dæmonis, vel cum abusu Sacramentorum, rerum, aut verborum sacrorum. Hæc omnia reservantur etiam nullo secuto effectu. *Maleficium, & Superstitio, prout in casu, habent etiam adnexam excommunicationem latæ sententiæ ex Cap. V. N. XIV. XV. Par. I. huj. Syn.*

II.

Blasphemia hæreticalis.

III.

Percussio Patris, aut Matris.

IV.

Homicidium præmeditatum. Abortus fœtus tum animati, tum inanimati de industria procuratus, atque secutus. Positiva quælibet efficax cooperatio ad homicidium, aut abortum quemcumque, effectu utrobique secuto. *Procuratio abortus fœtus animati, effectu secuto, habet adnexam excommunicationem latæ sententiæ a Gregorio XIV. Ordinariis reservatam.*

V.

Detentio infantum anno minorum in eodem lecto sine repagulo impediente periculum suffocationis.

(1) *S. C., de qua Syn. Fulg. C. IX. N. VI. Plur. Synod.* (2) *Plur. Synod. Vid. Baruff. ad Tit. XVIII. a n. 1. ad 21., ubi plur. quod ad ea, quæ stat. sunt toto hoc Num.*

VI.

Defloratio virginis, aut vi, aut metu, aut promiſſione ſive vera, ſive ficta Matrimonii. Copula inter conſanguineos in primo, & in ſecundo gradu, & affines in primo gradu, & cognatos cognatione ſpirituali. Sodomia tum activa, tum paſſiva, etiam cum fœminis, quoad mares. Beſtialitas, licet incompleta.

VII.

Copula, quamvis incompleta, obſcœnitas oſculo, tactu, amplexu habita cum Judæis, aut aliis Infidelibus utriuſve ſexus.

VIII.

Iidem actus commiſſi, aut etiam attentati cum filia ſpirituali, ſive ratione Sacramenti Pœnitentiæ, ſive etiam ratione Parochiæ: reſervantur reſpective quoad Confeſſarios, & omnes, qui Parochiale munus obeunt ex officio.

IX.

Allocutio virorum cum Monialibus, aliiſve fœminis in Monaſterio degentibus ad januas apertas abſque Noſtra licentia: obſcœnum quidquid eſt cum iiſdem, aut coram ipſis advertentibus, actu quocumque, nutu, verbo, ſcripto, internuntio, a quocumque commiſſum, ſive attentatum. Hæc omnia reſervantur quoad extraneos. *Actus vero obſcœni habent etiam, quoad ipſos, adnexam excommunicationem latæ ſententiæ ex Cap. VIII. N. XIII. Par. IV. Præceptum viris injunctum, ne loquantur cum Monialibus, aliiſve fœminis in Monaſterio degentibus ad januas apertas abſque licentia, legitur eod. Cap. N. XII.*

X.

Inductio, conſenſus ſive expreſſus, ſive tacitus ad hoc, ut uxor, filia, fœmina turpiter cum aliis agat, quamvis nihil turpe contingat. Reſervantur reſpective quoad virum, Patrem, Matrem, & eos, qui in aliquam fœminam Patris, aut Matris vicem gerunt.

XI.

Perjurium in Judicio.

XII.

Negligentia Notarii, & eorum, qui teſtamentum ſcribunt, aut recipiunt ex jure, non denuntiantium Curiæ Noſtræ intra tres menſes a die teſtamenti publicati legata ad pias cauſſas, quoties ſunt ultra decem annos. *Hic caſus habet etiam adnexam excommunicationem latæ ſententiæ ex Cap. VIII. N. VIII. Par. V.*

Quæ ſint aliæ Cenſ. jure Diœceſ. latæ, quæ reſerv., quæ non, vid. Cap. V. N. V. huj. Par., Cap. II. N. XVII., Cap. ult. N. XVII. Par. IV. Præter. vid. Appen. pag. 114. §. Ed acciocchè.

De

De hiſce deinde Reſervationibus hæc cognoſci volumus.

1. Declaramus ipſis neque caſibus, neque cenſuris obnoxia eſſe peccata ante decimum quartum annum commiſſa.

2. Canonico Pœnitentiario facultatem impertimur, ut per ſe ipſe poſſit abſolvere a caſibus, atque cenſuris omnibus, quas Nobis ipſi reſervavimus (*).

3. Eandem facultatem impertimur Parochis omnibus, ipſis etiam Œconomis a Dominica quarta Adventus uſque ad totum diem Epiphaniæ Domini, a Dominica Palmarum uſque ad totam Dominicam in Albis, toto Pervigilio, ac Die feſto Sancti Georgii Patroni Principalis hujus Civitatis, & Diœceſis: inſuper ſinguli Parochi, atque Œconomi eadem polleant facultate toto Pervigilio, ac Die feſto Titularis Parochialis ſuæ Eccleſiæ.

4. Monemus Confeſſarios omnes, quoties facultatem tribuimus abſolvendi ab uno, aut a pluribus caſibus Nobis reſervatis, conceſſam ſimul eſſe facultatem abſolvendi a cenſuris reſervatis, quas illorum aliqui habent adnexas; excepta procuratione abortus fœtus animati, effectu ſecuto, quæ peculiari mentione indiget.

5. Item eoſdem monemus, ne hujuſmodi facultate utantur, quin pœnitenti pro cujuſque captu reſervati criminis gravitatem, fœditatemque ſignificaverint, ac juſtam illi, uti prudentia ſuppetet, ſatisfactionem injunxerint: item, ne quemquam abſolvant, qui in Noſtram Diœceſim venerit in fraudem reſervationis in ſua habitæ (1).

6. Advertant Confeſſarii, in facultate abſolvendi a copula cum conſanguineis conceſſam ſimul eſſe facultatem diſpenſandi (quatenus opus ſit) conjugatos ad jus petendi debitum (**).

Poſtquam de Sacramento Pœnitentiæ diſſeruimus, non abs re erit pauca quædam de Indulgentiis addere, unde Fideles ediſcant, qua etiam ratione ſatis divinæ juſtitiæ pro pœnis ſibi debitis faciant.

(*) *De muner., & Privil. Canon. Pœnit. aget. Par. IV. Cap. II. N. V.*

(1) *S. C. C. in Campſana 16. Sept. 1649. Clem. ead. Conſt.* Superna.

(**) *De Præcepto, quo urgentur Fideles, confitendi peccata ſua aget. Par. III. Cap. II. ſub initium.*

Qua cura, atque ſtudio debeat Parochus quibuſdam præſertim diebus adeſſe in Eccleſia audiendis Confeſſionibus promptus, vid. Par. IV. Cap. V. N. XXII.

CAPUT VII.

DE INDULGENTIIS.

Etsi in Pœnitentiæ Sacramento rite suscepto semper, culpa dimissa, simul etiam æternæ pœnæ supplicium apud Inferos constitutum condonetur; docet tamen Ecclesia Catholica, non semper a Deo peccatorum reliquias, & pœnam certo tempore definitam, quæ peccatis debetur, omnino remitti (1). Restat plerumque ingens pœnarum cumulus aut in hac vita vario satisfactionum genere Deo Patri per Jesum Christum oblato, aut in altera acerbissimo igne delendus. Verum oh eximiam Cœlestis Patris pietatem! perinde quasi parum esset, quod perduelles, ac perditos filios in suam iterum gratiam ipse reciperet, deleto æternæ damnationis chirographo, ut magis etiam ostenderet divitias gratiæ in bonitate, nostram iterum miseratus infirmitatem voluit nobis thesaurizare perficiens, ut unus posset pro alio satisfacere (2), & quodam pacto alter alterius onera portare videretur (3). Namque ex superabundantibus Christi meritis conflatus est in Ecclesia Dei infinitus satisfactionum Thesaurus, cui ex præclaris sanctissimorum hominum, præcipueque Beatæ Mariæ Virginis meritis accessiones factæ undique sunt; eædemque a multis pie quiescentibus fiunt in dies: atque hunc esse Thesaurum credimus, quem piissimus Pater *non in Sudario repositum*, *non in agro absconditum*, *sed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum*, *ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum* (4). Jamque Pontifices Maximi, ut hanc potestatem ratione, ac lege exercerent, Indulgentias, quo nomine satisfactiones istæ jamdudum cœptæ sunt appellari, sic misericorditer elargiri cœperunt, ut definitis quibusdam operibus a Fidelibus præstitis, hi tantum Deo satisfacerent, vel quantum omnem cum divina justitia rationem æquarent, vel quantum solummodo æquassent, si canonicas pœnitentias per certum dierum, sive annorum numerum exegissent. Atque harum Indulgentiarum usum ab antiquissimis usque temporibus ita retinuit

(1) *Vid. Trid. Sess. XIV. Cap. VIII.*, *& Can. XII. Catech. Rom. Part. II. De Sacram. Pœnit. n.* 65. (2) *D. Thom. in* 4. *Dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. (3) *Vid. Catech. Rom. De Sacr. Pœnit. n.* 76. (4) *Clemens VI. in Extravag. II. inter commun. De Pœnit.*, *& Remiss. Vid. Bened. XIV. Const.* Apostolica §. 13., *de qua Cap. super.*

tinuit Ecclesia Catholica, ut Tridentinum Concilium eos anathemate damnet, qui illas *aut inutiles esse asserunt*, *vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant* (1).

I. Quare nosse Parochi curent Indulgentias, tum quæ possunt acquiri quovis die, tum quæ certis diebus, ac locis ligatæ sunt: eas præsertim teneant, quæ sunt tributæ docentibus Doctrinam Christianam, quæ Sodalitatibus, quæ comitantibus Divinam Eucharistiam, quæ audientibus Verbum Dei. Idcirco communiores in Appendice edi jubebimus (2).

II. Studeant Ecclesiarum Rectores, ne iis diebus, quibus fit Commemoratio Tituli Parochialis Ecclesiæ, aliorumque Sanctorum, qui coli præcipue solent in populo, desit copia alicujus amplioris Indulgentiæ. Quamobrem curent aut primum concedendas, aut, quæ sunt, amplificandas, aut, quæ brevi cessaturæ, confirmandas, seu prorogandas. Meminerint Parochi, quod a BENEDICTO XIV. (3) ipsis in virtute sanctæ obedientiæ præceptum est, ut singulis Feriis sextis totius anni hora tertia post meridiem publicum edi signum jubeant, quo Passionis, & Agoniæ Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi memoria in omnium Christi Fidelium animis excitetur, ac foveatur: atque Sanctissimus Pontifex iis omnibus, qui *flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non salutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta* relaxat.

III. Nullæ tamen primo evulgentur in Ecclesiis sive Sæcularium, sive Regularium, quin Nos ipsi concesserimus (4). Duos in hac Nostra Synodali Actione Canonicos juxta Tridentini Concilii mentem constituemus, ad quos Litteræ Indulgentiarum, sive scriptæ, sive typis impressæ perferantur (5). Quumque ab illis subscriptæ fuerint, atque a Nobis, vel etiam a Nostro Vicario Generali probatæ, tum demum Indulgentias, quæ, & quatenus concessæ fuerunt, licebit publice enuntiare. Qua in re siqui peccent, gravissimis plectentur pœnis.

---

(1) *Trid. Sess. XXV. Decr. De Indulg.* (2) *Vid. Append. pag. 79. N. XVIII.* (3) Ad Passionis, & Agoniæ *Bull. Tom. I. N. IX.* (4) *Vide Sess. XXI. Cap. IX. De Ref. S. C. Immun.* 12. *Junii* 1703. *Vid. Fagnan. in Cap.* Grave *De Officio Ordinarii n.* 45., *Barbosa De Parochis Cap.* 16. *n.* 19. (5) *Trid. ibid.*

IV. Omnes autem advertant harum concessionum initium non peti a die, quo alicubi Indulgentia publice proponitur, sed quo fuerunt concessionis Litteræ datæ. Præterea Indulgentiam, quæ certo die acquirenda offertur, non posse per se, ac nisi aperte in Litteris Concedentis significetur, acquiri die alio, etiamsi Festivitas, ob quam concessa fuit, in hunc transferatur (1).

V. Solet Apostolicis Litteris hæc clausula apponi: *volumus autem, ut, si alias Christi Fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes Litteræ nullæ sint*: at, nequis ob hanc clausulam perperam erret, expendat Decretum sacræ Congregationis hac super re a Sanctissimo probatum, quod in calce Synodi legendum apponimus. Indidem quisquis intelliget nova concessione neque tolli Altaris Privilegium pro Defunctis, neque Indulta, quibus donantur, & gaudent aut quidam hominum cœtus, aut qui pia quædam opera exercent in ipsa Ecclesia, sive ad ipsum Altare. Scilicet illæ tantum ex ea clausula Indulgentiæ sublatæ habeantur, quæ concessæ sunt Fidelibus universim in ipsa, quam Apostolicæ Litteræ memorant, Ecclesia, aut ad certum Altare ipsius orantibus (2).

VI. Posse Indulgentias pro iis etiam acquiri, qui in Christi charitate defuncti Purgatorii igne expiantur, & ex Ecclesiæ consuetudine, & ex Pontificum Decretis (3) certissimum est: quamvis illis *non tanquam ex potestate judiciaria* (4) (uti Fidelibus vivis), *sed modo tantum suffragii* prosint. Verum non eædem sunt Indulgentiæ pro vivis, & pro Defunctis; sed quæ pro illis concessæ directe sunt, hisce adjicere, & vicissim, inane consilium foret: eæ tamen ita pro vivis quandoque conceduntur, ut etiam in Defunctorum beneficium impendi queant. Hoc ex Apostolicis Litteris cognoscendum.

VII. Sæpe ad Indulgentiam acquirendam postulant Pontifices sacramentalem Confessionem ab iis etiam, qui nulla lethali culpa gravari animum sentiunt: potest tamen Confessio die, qui Indulgentiam præit, omnino fieri (5): immo vero declaratum est, Confessionem (præterquam pro Indulgentia instar Jubilæi) necessariam illis

non

(1) *S. C. R.* 3. *Sept.* 1679., & 10. *Junii* 1690. (2) *Ex Decr. S. C. Indulg.* 23. *Junii* 1676. *approbat. ab Innoc. XI.* 16. *Martii* 1677. *Vid. Append. pag.* 45. §. Cum a sacra. (3) *Leo X. Const.* Exurge Domine. (4) *Lambert. Inst. LVI. n.* 15. *Const. ead. ibid.* (5) *Ex Decr. S. C. Indulg.* 31. *Mart.* 1759. *approbat. a Clem. XIII.* 19. *Martii* 1759.

non esse, qui *frequenti peccatorum Confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam Confessionem commissæ sibi conscii sint* (1). Utraque Declaratio in promptu cuique erit in Appendice (2).

VIII. Ne vero populus unquam censeat, cœlestes hosce Thesauros ad quæstum veluti exponi, quum tantum divina largitate ad consequendam citius æternam felicitatem distribuantur, volumus omnino, atque præcipimus, ut omnes absint importunæ eleemosynarum exactiones, ut omnis illarum publicatio & a Parochis, & ab iis, ad quos pertinent, gratis omnino fiat, ut ipsæ concessionis Litteræ nunquam eo exponantur loco, aut affigantur, ubi præsto sit capsula, aut pelvis ad eleemosynam colligendam (3). Siquid autem ex Fidelium pietate sponte obferatur, totum in pios usus erogandum. Tandem diligentissime caveatur, nequid unquam fiat, quod ex Indulgentiarum publicatione, atque usu vel minimum quæstum redoleat.

IX. Item, ne forte sibi quis stulte persuadeat, supervacaneum esse alias Deo satisfactiones offerre, quum ex Indulgentiarum beneficio tantopere divinæ justitiæ satisfieri possit, popularis hic error, sicubi unquam irreperet, plane corrigendus. Juvat quammaxime tolerare jejunia, stipem egenis largiri, instare orationi; nam præter vim, quam hæc opera habent, satisfaciendi, maximo sunt ad ceteras virtutes Christiano homini necessarias adjumento: præterea cuinam hominum exploratum est, eo sibi mortis genere esse occumbendum, quo plenariæ Indulgentiæ præsidio juvari queat? Immo vero magnopere metuendum, ne, quum satis Deo dare homo potuerit, nolueritque, hanc negligentiæ pœnam justo Dei judicio subeat, ut, quum denique velit, minime possit. Deinde licet magno quis studio Indulgentias sibi lucrandas proponat, utrum tamen lucratus vere sit, ecquis in terris constitutus affirmet, nisi ab ipso Deo certior fiat? quique est Indulgentiarum studiosus, hoc ipse assequi iteratis conatibus, multoque usu poterit, ut in spem quotidie majorem veniat, alicujus saltem Indulgentiæ fructum animæ suæ inhæsisse.

X. Est Nobis Apostolicæ Sedis benignitate concessum, ut quovis Quadragesimæ die, & aliis per annum habeantur Indulgentiæ, quæ Stationum dicuntur, in iis Ecclesiis, quas Nos ipsi designaremus,

(1) *Clemens XIII. in Decr. edit. 9. Decemb. 1763.* (2) *Vid. Append. pag. 83. N. XIX., & XX.* (3) *Trid. Sess. XXI. Cap. IX. De Ref. Pius V. Const.* Quam plenum *IC. Synod. omnes.*

mus; uti jam factum est in Civitate, easque Ecclesias in Kalendario indicari jubebimus. Ubi Stationes habentur, signum aliquod optamus tum foris poni, quo transeuntes moneantur, tum intus, quo orantes ad pietatem facilius incendi queant. In tota Diœcesi propriam Parochialem Ecclesiam visitantes easdem, quæ Stationum dicuntur, Indulgentias possunt acquirere (1). Insuper per idem Quadragesimæ tempus, immo etiam per aliud acquiri possunt plenariæ Indulgentiæ orantibus, ubi ad Quadraginta horas Eucharisticum Sacramentum publice exponitur. Est etiam Nobis ejusdem Sedis Apostolicæ benignitate concessa facultas impertiendi dilectissimo Nostro gregi bis in anno Pontificiam Benedictionem, die nimirum solemni Paschatis, alteroque a Nobis eligendo. Utrumque diem Edicto præveniemus.

XI. Ea autem præcipua piæ Matris Ecclesiæ cura est, ut Filii sui, quemadmodum pluribus aliis sub vitæ exitum præsidiis, sic etiam Indulgentiis ita juventur, ut, si his rite acquisitis decedant, animam corpore exutam nihil sit, quod remoretur, quominus statim intret in gaudium Domini sui. Jamque Sanctissimus Dominus Noster PIUS VI. Nos ea facultate donavit, ut aut Nos ipsi, aut alii a Nobis substituti modum servantes, & formulam in Litteris BENEDICTI XIV. (2) præscriptam adhibentes impertiri possimus Apostolicam Benedictionem cum plenaria peccatorum omnium Indulgentia, & remissione omnibus utriusque sexus Fidelibus in articulo mortis constitutis, vere pœnitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, vel, quatenus id facere nequiverint, si saltem contriti Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, & mortem, tanquam peccati stipendium, de manu Domini patienti, atque alacri animo susceperint. Nos ipsi tempore moniti nemini deerimus supremum hoc pietatis munus persolvere: verum quoniam neque omnibus, neque ubique præsentes adesse possumus, alios quosdam ad id jam designavimus peculiaribus Litteris, quas iterum confirmamus, utque facilius cuique pateant, in Appendice appositas volumus (3). Quotquot autem hujusmodi pollent facultate, in eo omnem collocent curam, ut in moribundi anima illos affectus pœniten-

(1) *Quid sibi Indulgentiarum in hujusmodi Stationibus obeundis possint Christi Fideles acquirere, constat ex Decret. S. C. Indulg., sacrisque Reliq. præp. edit. in Append. pag.* 84. *N. XXI.* (2) *Incip.* Pia Mater *N. XXXIV. Bull. Tom. II. Formula præsc. ab eod. SS. Pont. legit. in Append. pag.* 87. *N. XXIII.* (3) *Append. pag.* 86. *N. XXII.*

nitentiæ, charitatis, obsequii in Deum, qui mortem in pœnam exigit, quam possunt vehementissime excitent, unde ad Indulgentiam assequendam rite se comparent.

XII. Hæc omnia, quæ sumus toto hoc Capite persecuti, Parochi suos sæpe populos doceant, eosque cœlestium horum munerum cupiditate tum sibi viventibus, tum aliis jam in Domino functis obtinendorum inflamment. Identidem id faciant, tum vero magis, quum dies appropinquat novam aliquam Indulgentiam, aut insigniorem, sive uberiorem afferens. Natura Indulgentiarum, & virtus est aperienda, & quænam in singulis opera sint necessaria, proponendum. Namque multos fore, qui ex hoc Thesauro optent proficere, non dubitamus: at periculum est, ne, quæ præscribuntur, fideliter plerique exequantur. Quidam enim non illa norunt omnia: quidam in alia permutari facile posse ducunt, complures eam non afferunt animi munditiem, quæ necessaria semper est, quamque semper, atque præcipue Pontifices meminerunt. Quare hæc omnia Catechistæ, Concionatores, Confessarii, Parochi urgeant, sed rudibus præsertim actiones præscriptas enumerent, distinctimque explicent: præcipue vero peccatorum odium, detestationem, fugam doceant, & Concedentis nomine præcipiant, immo excitare conentur. Tandem gratum in Deum animum studeant inducere, qui infinita bonitatis suæ largitate voluit, ut Christi, suæque Matris, & Sanctorum abundantia nostræ sit inopiæ supplementum.

CAPUT VIII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Siquando sævissimus humani generis hostis suas in homines vires intendit, & exerit, tum maxime est, quum breve sibi ad singulos decipiendos, devorandosque superesse tempus intelligit: *descendit Diabolus ad vos* (sic nempe scriptum divinitus est (1)) *habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet*. Est igitur nobis cum hoste vaferrimo, atque infensissimo colluctandum acerrime, eoque tempore, quo sive ab istius furore, sive a corporis, animique nostri viribus tantopere debilitatis, sive ab imminentis severissimi Judicii metu, nullum in vita difficilius habuimus: ea vero

(1) *Apoc. Cap.* 12. 12.

ro animum vehementissime angit, atque sollicitat cogitatio; ne, si vel uno temporis puncto victas demus manus, actum de nobis perpetuo sit, & qui totum vitæ cursum tenuerimus ad æternam beatitatem, uno voluntario lapsu præcipites in æternum cruciatum detrudamur. Tales igitur, tantasque animæ ærumnas, hasce temporis angustias, acerbitatesque quum clementissimus Redemptor noster optime providisset, præter alia, quæ toti sunt vitæ communia, illud hujus temporis proprium remedium protulit, quod est extremæ Unctionis Sacramentum, suæque Ecclesiæ Filiis suis impertiendum reliquit, ut ad supremam luctam validius instruerentur, nova remissionis peccatorum spe erigerentur, ipsam denique valetudinem corporis, quatenus non esset animæ nocitura, consequerentur. Quod si beneficii magnitudinem auget ipsius utendi necessitas, nemo non videt, quonam in amantissimum Redemptorem nostrum animo esse debeamus, quaque religione tale remedium tum parandum, tum suscipiendum (1).

I. Materiam hujus Sacramenti semper intellexit Ecclesia esse Oleum ab Episcopo benedictum (2). Hoc custodiendum religiosissime. Itaque ponatur in vase, quod argenteum sit, aut saltem stanneum, hæc verba præferens: *Oleum Infirmorum*: parva Crux in vasis operculo emineat. At ipsum decenti capsula contineatur; hæc intrinsecus sit serico violaceo subsuta, extrinsecus ad custodiam corio cooperta: Hæc ipsa serico ejusdem coloris sacculo similibus item sericis funiculis obstricto custodienda (3).

II. Non tamen in aperto sacculus iste relinquendus, sed deponatur in cavo prope Altare majus, vel illud, in quo posita est Divina Eucharistia a latere Evangelii, ut ipsum sit (quemadmodum Prædecessor Noster Cardinalis de Verme significaverat (4)) particeps luminis ante illam perpetuo ardentis. Cavum ad custodiam foribus obstruatur, & hæ clave penes Ecclesiæ Rectorem, aliumve fidelem virum habenda muniantur. Quamquam neque exterior absit ornatus: nam fores deceret piam aliquam Redemptoris Effigem referre; ast certe legatur saltem inscriptio: *Oleum Infirmorum*.

III. Quum autem ex Ecclesiæ præcepto singulis annis sacra sint Olea renovanda (5), caveant quicumque ea asservandi jus habent, ne

(1) *Ex Trid. Sess. XIV. De Inst. Sacr. extrem. Unct. Cap. I., & II. Eugen. IV. in Decr. Union.* (2) *Trid. ibid. Cap. I. Vid. Bened. XIV. De Synod. Lib. VIII. Cap. I. Catech. Rom. de hoc Sacr. n.* 5. (3) *Vid. Barussald. in Rit. de Sacr. extr. Unct. n.* 44, *& seqq.* (4) *Syn. de Verme pag.* 80. §. Splendet. (5) *Cap.* Litteris 18. *De Consecr. Dist.* 3.

ne vetere utantur (1); insuper ne aliis utantur, quam quæ per Nos fuerint stato tempore benedicta (2). Nam, si id facerent, præter gravem culpam, non possent a Nobis impunes abire. Quamobrem Feria V. in Cœna Domini in Nostra Metropolitana ea petituri adsint Parochi Urbani, itemque, si possint, ex Diœcesi Vicarii Foranei, aut aliquem ad sumendum sacrum istud Depositum mittant: at omnino ille sit Clericus, & majoribus quidem initiatus Ordinibus, & cui religio in eo transferendo fuerit serio commendata. Nam neque reprehensionem, immo vero ne pœnas quidem effugeret, qui ad id laicum hominem, nedum qui humilem, ac sordidum mitteret, qui viliori cuique sarcinæ sanctum Oleum addere minime dubitaret. Distincte Metropolitanæ Nostræ Sacristis interdicimus, ne Olea sancta præbeant laico homini, cujuscumque nomine ea petant.

IV. Item hæc sancta Olea & apte, & decenter componi volumus, ut alio transferantur. Quare non erit Nostris curis indignum hæc pariter, sicuti alia complura, minutim persequi. Singulæ Ecclesiæ capsulam sibi habeant affabre elaboratam, tribus intus cavis distinctam violaceo panno contectis: ibi hujusmodi vasa coriaceo singula cortice inclusa, quæque propriam præferant inscriptionem, collocentur. Extrinsecus sit capsula corio & ipsa venuste obducta, totaque claudatur, atque sera obfirmetur.

V. Acceptis Oleis recens benedictis, quidquid ex veteribus superest, quamprimum comburendum: nempe aut in lampade, quæ ante Divinam Eucharistiam collucet, ad ardendum ponatur (3), aut, sicuti mos obtinuit apud nos, tanta, quanta opus sit, gossipii massa sacro illo liquore imbuatur, idque iterum, atque iterum, donec vasa probe extergantur; gossipium autem flammis vorandum detur, & cineres in Sacrarium dejiciantur.

VI. Atque ex his facile quisque conjiciet, quam graviter laturi simus, si sacrosancta extremæ Unctionis materia in domibus Sæcularibus relinquatur, ac si Parochus etiam, aut Capellanus eandem retineant in suis. Ecquid enim caussæ esse plerumque potest, quare id faciant, præter abjectissimum exiguæ in ea collocanda, iterumve sumenda molestiæ timorem? Sacra enim Olea sunt in Ecclesiis religiose servanda (4).

O 2 VII.

(1) *Cap.* Siquis 122. *De Consecr. Dist.* 4. (2) *Cap.* Presbyteri 123. *ibid.* *Clemens VIII. Const.* Exponi Nobis *LVII.* (3) *S. Car. Conc. Prov. IV. Par. II.* Quæ ad Sacrament. pert. § Parochus. (4) *Idem Conc. Prov. III.* Quæ ad Sacrament. pertin. §. Sancti, & §. Sacrum. *Vid. eund. Conc. IV.* Quæ pertin. ad extrem. Unct. §. Quibus.

VII. De iis, quibus hoc Sacramentum conferri debeat, docet Concilium Tridentinum (1) esse *hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*: unde certo edocemur, nemini conferendum corpore non ægrotanti, in exitu licet vitæ sit constitutus: cujusmodi sunt ultimo supplicio afficiendi, dimicationem, vel navigationem summo cum vitæ periculo inituri, fœminæ etiam pariturae, nisi alia insuper iisdem accesserit peculiaris, & lethalis corporis ægritudo. Fas tamen senes inungere, licet non ægrotent, si præ senio deficere, atque in dies morituri videantur (2).

VIII. At sæpe gravissime ad mortem ægrotant, qui ob rationis defectum peccare nunquam potuerunt: scilicet, præter perpetuo amentes, pueri septennio suæ ætatis, aut circiter minores. Hi igitur omnes, quum potioribus hujus Sacramenti fructibus perfrui nequeant, ne ipsius quidem participes fiant. Ceterum si pueruli sint doli capaces, propatereaque Sacramento Pœnitentiæ expiandi, & hi sacro Oleo omnino liniendi, etsi nondum ad Eucharisticum Epulum fuerint evocati. Item mente capti inungendi, non solum si eo tempore mens eis sit integra, sed etiam si adhuc sit alienata, modo aliquo sanæ mentis intervallo illud se desiderasse significaverint, aut eorum conjici desiderium prudenter queat, neque in peccato mortali aperte insanierint. Insuper & subito morbo correpti, ob quem usu sensuum destituuntur, siquod antea præbuerint Pœnitentiæ salutaris indicium, aut aliquod hujus Sacramenti desiderium prætulerint, aut saltem non imprudenter existimetur ex anteactæ vitæ ratione, eos fuisse postulaturos. His itaque omnibus, quum legitime extrema Unctio adhiberi possit, ut etiam reipsa adhibeatur, præcipimus (3).

IX. Siqui vero hoc Sacramento deprehendantur palam indigni, hi, non secus ac de arcendis ab Eucharistia statutum est (4), eodem privandi (5).

X. Sed generatim, ut sedulo extremum hoc Fidelibus præsidium suppeditetur, cum optamus, tum præcipimus: quumque Romanum Rituale jubeat, adhiberi hoc Sacramentum periculose ægrotantibus, *& eo quidem tempore, si fieri possit, quum integra illis adhuc mens, & ratio vigent*, servent id Parochi diligenter. Etenim, uti e Catechis-

(1) *Sess. XIV. De Ministr. hujus Sacr. Cap. III.* (2) *Rit. Rom. De Sacr. extr. Unct.* §. Debet, & Non ministretur. *Catechis. Rom. de hoc Sacr. n. 9.* (3) *Rit. Rom. ibid.* §. Infirmis, & *seq.* Sed si infirmus. *Plura Bened. XIV. De Synod. Lib. VIII. tot. Cap. VI. Catech. ibid.* (4) *Hac Part. Cap. IV. N. XIII.* (5) *Rit. ibid.* §. Impœnitentibus.

techismi Romani doctrina (1) notum ipsis esse debet, ii *gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, quum jam omni salutis spe amissa, vita, & sensibus carere incipiat*. Idcirco sæpe invisant ægrotum, &, quoad per tempus licet, extremam Unctionem commemorent, ipsam commendent, commoda ejusdem exponant, unde eam sibi administrari cupiat, & roget. Nostrum enim est curare, ut Sacramenta, etsi per se profutura, uberiorem adhuc ex operantis pietate fructum afferant: quum nempe ægrotus Sacerdotis precibus suas etiam valeat adjungere, atque pios actus elicere.

XI. Hæc apud singulos infirmos, ubi opus sit, & quidem propter temporis angustias, atque animi, corporisque ægritudines pauca, & ea summatim: verum non est extremæ Unctionis doctrina ad tam difficilem locum transferenda, sed populo, dum adhuc valet corporis viribus, inter ceteros Christianæ institutionis articulos distincte aperienda, ejusdemque desiderium ita excitandum, ut, quandocumque illius suscipiendæ necessitas urgeat, sponte ipsam ægrotans petat, aut certe non multis tunc opus sit, ut ad eam se comparet (2).

XII. Itaque etiam hujus Sacramenti naturam, munera, finem totamque rationem Christiano populo Parochi frequenter exponant; ac præsertim, quo facilius ad illud suscipiendum alliciantur Fideles, dum adhuc mente, ac sensibus vigent, nobiliores ejusdem effectus commemorent, quorum nequit ægrotus particeps fieri, nisi quosdam ipse vere atque ex animo actus eliciat. Quidnam de hisce effectibus tenendum, aperte Tridentinum nos docet (3). Norint Parochi, quæ in hanc rem tum Catechismus Romanus (4), tum passim Doctores (5), tum magnus ille Mediolanensis Antistes tradiderat. *Prima igitur (6) utilitas, & effectus hujus Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit, tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ, quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, sive mortalia, sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent: potest enim fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat; in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri posset eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnatus*.

(1) *De hoc Sacr. n.* 9. (2) *Catech. Rom. ibid. n.* 1. (3) *Trid. Sess. XIV. de extr. Unct. Cap. I., & II.* (4) *Catech. Rom. de hoc Sacr. n.* 14. (5) *D. Thom. Lib.* 4. *contra Gent. Cap.* 72., *& in supplem.* 3. *part. quæst.* 30. *art.* 1. (6) *D. Car. Act. Eccl. Med. Par. IV. De Sacr. extr. Unct.* §. Prima. *Plura de hisce effect. Bened. XIV. De Syn. Lib. VIII. Cap. VII. n.* 3.

XIII. Error est multorum existimare, Unctionem hanc ideo dici extremam, quia de suscepturi vita actum jam est: quare quum administraturus adest Sacerdos, desperationi se quidam, & lacrymis dedunt, perinde quasi perniciem domui illi, luctumque attulisset. Atqui perturbationes hujusmodi vix ullum unquam inter Christianos locum haberent, si, quod facillimum est, intelligerent Sacramentum istud sic appellari, quia Unctionum, quarum est in Ecclesia usus, hæc postremo loco fieri solet, quamquam nonnulli, ea suscepta, diu vixerint; de suscipientis vita desperandum ita non esse, ut Parochis sit gravissime præceptum, ne hoc Sacramentum ad supremos usque hominis anhelitus differant; vim Sacramenti eam esse, ut non solum animæ salutem, sed etiam, si expediat, ipsius corporis efficiat, & revera interdum effecerit. Quare etiam hujus impetrandæ fiduciam excitare par est; quandoquidem divina erga homines pietas ea semper nobiscum conditione certat, ut, sin minus quod optamus impertiat, quod nobis utilissimum est, quodque longe carissimum debet esse, perficiat. Hæc cum aliis, quæ paulo supra commemoravimus, vivide, atque perspicue exponenda (1).

XIV. Ad pervicaciam nihilominus, impietatemque quorumdam perfringendam, ne prætermittant Parochi illud publice denuntiare, quod in hanc rem a Conciliis, Summisque Pontificibus traditum est, nimirum tanti Sacramenti contemptum absque ingenti scelere, & Spiritus Sancti injuria esse non posse (2): ad hæc Parochus profiteatur, illud sine gravi culpa negligi, & prætermitti non posse, si inde aliis offensio, & scandalum offeratur. Tandem hujusmodi contemptorem habendum, qui, si de gravi periculo vitæ factus fuerit certior, extremam Unctionem sciens, & volens petere negligit, aut, quod horribilius esset, eam offerentem respuit, aut rejicit (3). Fuit autem in Synodo Coloniensi (4) hujusce contemptus pœna constituta, ut corpus hujusmodi hominum turpiter privetur Sepultura Ecclesiastica.

XV. Jam Ministrum extremæ Unctionis habemus ex Apostolo esse Sacerdotem (5); neque amplius dubitandum, an plures requirantur Presbyteri: *Nos itaque tibi taliter duximus respondendum, quod Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam solus potest infirmum ungere*

(1) *Bened. XIV. ibid. n. 2. Catech. Rom. ibid. n. 2. 12. 16.* (2) *Trid. Sess. ead. De Ministro, & tempor. Cap. III.* (3) *Bened. XIV. Lib. VIII. Cap. VII. n. 4.* (4) *Syn. Colon. II. anno 1549. Cap. 38. Tom. IX. apud Bened. XIV. ibid.* (5) *Trid. ibid.*

gere (1). Attamen unus Parochus Minister est ordinarius, nec licet Sacerdotibus aliis tale Sacramentum ministrare, nisi aut in summa indigentis necessitate, quum Parochus desit, aut quum Parochus jusserit, vel permiserit (2). Si Sacerdotes Sæculares extra hujusmodi casus ministrent, pœnas incurrent Nostro arbitrio statuendas (3): & Parochos quidem, quum nominamus, facere non possumus, quin eis iterum commemoremus, ut ipsi omnino, quoad possunt, supremum hunc ovibus suis laborem impendant, nec facile in alium transferant (4).

XVI. Legitimus itaque Minister ad infirmum iturus, sacculum, quo sancti Olei vas continetur, per funiculos collo sibi impositos pendere ante pectus jubeat; Clericum, si possit, quod quidem curare debet, sibi socium adsciscat, qui Ritualem Librum portet, vas Aquæ lustralis, Crucem sine hasta, ceteraque (Oleo excepto) in Sacramenti administratione usui futura. Verum siquando hoc Oleum sit cum Viatico deferendum, ne ipse, si fieri possit, utrumque deferat; at Sacerdos Eucharistiam, & Clericus majore aliquo Ordine insignitus Oleum Infirmorum. Quum primum Sacerdos fuerit infirmi domum ingressus, vas Olei sancti reverenter expromat, ponatque in mensa candido linteo instructa; vestem talarem, nisi induerit, induat, tum Superpelliceum, atque Stolam, sine quibus Oleo sancto ad Sacramentum uti, nisi angustiæ temporis omnino prohibeant, nefas est: infirmum, siquid sibi velit, prius audiat, tum ipsum, postquam ad contritionis actus excitaverit, ungere aggrediatur. (5).

XVII. Rem totam peragat omni cum pietate, ac religione. Eas omnes liniat corporis partes, eo ritu, iis formulis, de quibus luculenter, atque distincte in Rituali; fœminas tamen in renibus minime; immo neque in maribus, quando infirmus commode moveri non potest: Sacerdotes ungat in parte manuum exteriore (6). Si mors interim immineat, neque futurum singulis unctionibus peragendis tempus provideatur, una corporis pars seligatur ungenda, sed præcipua, ut caput, formaque aptetur peccatis sensuum corporis universis. At siquis extra veram necessitatem id ageret, non esset a gravi culpa excusandus (7).

XVIII.

---

(1) *Cap.* Quæsivit 14. *De Verb. Signif.* (2) *Bened. XIV. ibid. Cap. IV. n.* 7. (3) *Quid de Regul.*, *vid. Par. IV. Cap. VII. N. XI.* (4) *Vid. Cap. I. N. I. hujus Partis.* (5) *Rit. Rom. De Sacram. extr. Unct.* §. Si autem, & *De ord. ministr. hoc Sacram.* §. 1., & *seqq.* (6) *Rit. Rom. ibid.* §. Quinque, & *seqq.* (7) *Vid. Bened. XIV. ibid. Cap. II.*, & *Cap. III.*

XVIII. Siqui carent usu alicujus sensus, aut tota etiam corporis parte, quæ ungenda præscribitur, nulla idcirco e sacris istis unctionibus prætermitti potest. Quare capti oculis, vel auribus liniendi sunt in utroque oculo, vel oculorum loco, ac in utraque aure; & qui carent brachio, vel crure, iis in propiore parte unctio adhibenda (1).

XIX. Siquis prudenter dubitet, an ungendus spiret, nec ne, vel an puer satis unquam fuerit rationis particeps, istos inungat conditione interposita.

XX. Dubitatio interdum incidit, an Sacramentum eidem sit iterandum. Certe non licet in eodem mortis periculo: sed si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, quum in aliud simile vitæ discrimen inciderint (2). Immo vero, si vis morbi ita decedat, ut periculum illud cessasse existimetur, ubi ægroto, antequam convalescat, periculum rursus incesserit, non dubium, quin juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam (3) illi rursus hoc Sacramentum ministrari queat. De periculo quidem sententiam ferre Medicorum est: si tamen hi desint, aut neque ipsis satis aperta res sit, eo animo esse Ministrum jubemus, ut in partem laboranti utiliorem inclinet, neque ad aliam difficiliter unctionem veniat (4).

XXI. Illud etiam animadvertere præstat, nullum esse aliud Sacramentum, in quo tot Ecclesia preces adhibeat; porro ipsæ formulæ unctionum (quod est unicum in Latinæ Ecclesiæ formis exemplum) totidem sunt precationes. Nimirum ab Ecclesia admonemur, esse orationi hoc maxime morientis tempore instandum (5). Quod quum optime quidam intelligant, quos maxime possunt, ac Sacerdotes præcipue, quum extrema Unctio cuipiam administratur, congregare solent, ut tanti Mysterii effecta, multiplicatis intercessoribus, uberiora descendant. Raro tamen in medio populo id fieri posse confidimus, quod in Regularium Familiis moribundi feliciter assequuntur. Quare communis est solum pietas excitanda, convocandi consanguinei, & quicumque familiares; quos inter Clericus in primis, & siquos secum pios homines Minister aliunde adducere potuit; omnes supplices orent, neque precibus cessent, quin perfectum fuerit Sacramentum.

XXII.

(1) *Rit. ibid.* §. Dum oculos, *&* Siquis. (2) *Conc. Trid. ibid. Cap. III. Rit. De hoc Sacram.* §. In eadem. (3) *Bened. XIV. ibid. Cap. VIII. n.* 4. (4) *Idem Bened. ibid.* (5) *Catech. Rom. ibid. n.* 7.

XXII. At Parochus, quum anima est e corpore egressura, in mentem sibi revocet, suos labores, studium, operam, curam, diligentiam huc denique omnem spectasse, ut ovem sibi creditam æterno Pastori redderet, quam ad Paradisi semper amœna virentia deduceret, ibique eam suas inter oves agnosceret. Quare sit ei laboranti præsto, eamque, quibus maxime potest, præsidiis juvet: si veluti cursu defatigatam languescere, & confici videat, animum addat, atque in spem æternæ gloriæ erigat, ac suavissima Jesu Christi, & Mariæ Matris Nomina ejus auribus frequenter ingeminet. Hæc Parochus, quantum fieri potest, ipse per se. Quamquam vero vehementer optamus, in hoc etiam Clericorum, & Sacerdotum studium versari, ut morientes juvent quacumque ipsi ratione valeant; attamen probare non possumus, ut Parochus patiatur Sacerdotes nondum Confessionibus audiendis probatos moribundis assistere. Adsint Parochi, atque etiam Confessarii: neque facile inventum iri quemquam ex nostris credimus, qui, administratis properato Sacramentis, morientem tranquille deserant, nihil de illo deinceps cogitaturi, nisi quum de cadavere sepeliendo nuntium acceperint. Anne hi digni habendi essent, quibus cura animarum crederetur, aut qui diutius relinquerentur impunes? Verum ut caussam id suspicandi minime habemus, ita hujusmodi dolore angi superfluum est.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Est jam ab antiquis usque ad hæc nostra tempora pervulgatum, eorum, qui inter Clericos adsciscì petunt, accuratissimum habendum esse delectum: nullum debere ordinari, *qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis* (1): *melius profecto* esse *pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri* (2). Jamque ab ipso sui Pontificatus exordio SS. Dominus Noster PIUS Papa VI. denuntiavit, *præcipuum Ecclesiæ bonum ex eo derivari, ut nemo, nisi per omnia probatus, Clericali adscribatur Militiæ*: hinc Episcopis omnibus accuratissime perficien-

P

(1) *Trid. Sess. XXIII. Cap. XVI. De Ref.* (2) *Bened. XIV. Const.* Ubi primum II. §. 1. *Bull. Tom. I.*

ficiendum, *ut qui sanctitate morum non præstant, qui docti in Lege Domini non sunt, qui demum aut nullam, aut tenuissimam de se, suaque industria præbent expectationem, illis ad Ecclesiasticam Militiam nullus pateat aditus* (1). Quum enim Sacerdotes novi Testamenti tantum divinæ potestatis participent, quantum neque homines in terris, neque Angeli in Cœlis donati unquam fuere; hinc sane fit, ut ad tam præclarum potestatis, honorisque gradum suscipiendum, tuendumque non alii sint accensendi, quam quos spectabilis morum integritas cum doctrina conjuncta, sive, uti ajebat Hieronymus ad Paulinum, *docta justitia* commendet: *sanctaque rusticitas solum sibi prodest; & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat* (2). Nos itaque quum Episcopalis oneris magnitudinem, gravitatemque cogitamus, tanto impensius a Deo Optimo Maximo petimus, ne contra id, quod per Apostolum scriptum est (3), manus cito cuiquam imponere adducamur; tum Fratrum Nostrorum auxilium reposcimus, quorum operam cum in reliquis Pastoralibus curis subeundis, tum in hac maxime necessariam & sentimus, & profitemur. Interim ut, Nostra in tanti momenti negotio studia quænam sint, cognoscatur, ea aperire, ac certis legibus definire instituimus.

I. Quicumque Ecclesiasticæ Militiæ nomen dare cogitant, multo autem magis qui Ordinum gradus conscendere, serio totos se se, nec semel, nec indiligenter explorent, an jure aliquo, a Sanctuario prohibeantur; tum qua mente ad hoc vitæ genus adspirent; an sæcularis judicii fugiendi caussa; an Ecclesiastici sive honoris, sive proventus cupiditate, an obsequio magis erga Majores, aut consanguineorum consiliis, quam sponte prorsus sua; deinde, num eam pietatem, charitatemque se habituros, Deo adjuvante, confidant, quibus prudentes aliquando, ac fideles Mysteriorum Christi dispensatores inveniantur. Hæc secum ipsi cogitent: nam siquod obsit impedimentum, aut continuo tollendum, aut omnis de Ordinum susceptione cogitatio abjicienda; sin autem terrena aliqua caussa se impelli sentiant, aut corrigenda, aut ab hujusmodi proposito non secus recedendum. Neque enim hi a Deo vocantur, esletque portenti simile, eos in Ecclesiastica familia vere proficere.

II. Immo provideant, an, quum de sacro Ordine agetur, iis futuri sint præsidiis, rebusque omnibus præditi, quæ erunt necessariæ, unde

(1) *SS. D. N. Pius VI. in sua Epist. Encycl. Ad univers. Episc. 25. Decemb. MDCCLXXV.* (2) *1. ad Timoth. 5. 22.* (3) *Hier. ibid.*

unde prudenter confidant, se a sanctioris vitæ instituto deflexuros non esse. Quamobrem multo opus est consilio, quod est Spiritus Sancti donum, quodque obtinebitur tum implorata assidue ejusdem Divini Spiritus ope, tum rogata sapientiorum, ac præcipue Confessarii sententia. Nos certe monemur, neque prima Tonsura ullos initiandos, nisi probabilis conjectura sit, eos, *ut fidelem Deo cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse* (1).

III. Quum denique constituerit quispiam, totum se Altari dedere, postulare a Nobis ei licebit, ut eum in hujusmodi Cœtum cooptemus; quumque idoneum judicaverimus, scripto assentiemur. Ceterum neminem fore speramus, qui hisce insignibus, quibus sacer Cœtus distinguitur, Nobis non consciis, ac non annuentibus, audeat se ipsum induere.

IV. Qui autem Tonsuram, aut aliquem Ordinem optant, promulgato Edicto Ordinationis habendæ, atque obtenta a Nobis examinis subeundi facultate, legitima sibi colligant testimonia earum rerum omnium, quæ in hac præsertim Synodo exigimus, ad normam Instructionis Appendici inserendæ (2).

V. At ii, qui de Ordinandorum moribus sunt judicium laturi, advertant, satis non esse ad pietatem, quam poscimus, ut nihil mali se de his scire testentur; certi nempe esse volumus, utrum veræ pietatis jecerint fundamenta, pravos animi motus coercendo, virtutum actus exercendo; utrum tale sit eorum ingenium, atque indoles, ut sperare liceat, eos idoneos aliquando Ecclesiæ Ministros evasuros. Nam, ut monet Ambrosius (3), *merita debent præire bonorum operum, ut digni habeantur ad Ordinationem*; utque docebat Bernardus (4), *viros probatos oportet deligi, non probandos*. Quare siqui litigiosi sint, pertinaces, acerbi, fœminarum colloquiis indulgentes, choreis, ludis assidue, aut venationibus dediti, non ii sunt, ut de illa morum probitate, quam in Ordinandis exigimus, testimonium ferre quisquam possit. Ipsi etiam Ludi Magistri, quum de Ordinandorum ingenio, studio, assiduitate, profectu fidem facturi sunt, serio secum ipsi cogitent, se se non levis momenti rem agere, neque posse sine gravi conscientiæ convicio veritati deficere.

VI. Parochus uno ante Ordinationem mense nomina eorum, qui sunt ad singulos majores Ordines assumendi, quos habet in sua

(1) *Trid. Sess. XXIII. Cap. IV. De Ref. Con. Rom. Tit. VI. Cap. I.* (2) *Vid. Append. pag. 89. N. XXIV.* (3) *S. Ambros. in 1. ad Timot. 5.* (4) *S. Bern. Lib. 4. De Consid. Cap. 4.*

Parochia subjectos, frequenti populo denuntiet; jubeatque omnes, proposito gravis piaculi metu, ad se, vel ad Nos quantocius deferre, siquem eorum, quos nominari audierint, norint Ecclesiæ juribus prohiberi, ne ad Ordines evehantur. Interea idem Parochus de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat (1): scire tandem curet, utrum qui Ordinibus initiari petunt, ea omnia observarint, quæ sunt a Nobis statuta de vita, & honestate Clericorum (2). Omnes autem monemus, quorum fides reposcenda, ne plus tribuant gratiæ, amicitiæ, obsequio, quam conscientiæ, veritati, utilitati Ecclesiæ, immo vero communi. Siqui tamen vereantur aperte quod sentiunt exponere, facile eis erit, sive coram, sive per litteras Nos, vel Curiam Nostram de tota re tempestive monere, Nobisque eam curam fidenter credere, ne, dum rationibus Sanctuarii prospicimus, ullum eorum dignitas, atque securitas capiat detrimentum.

VII. Etsi de iis, quæ ad scientias, ac litteras spectant, probatissima testimonia debeant Nobis afferri, examen etiam Nos ipsi instituemus; quod si Ordinandi vitio male cedere deprehendamus, nulla ratione habita testimoniorum, ab Ordinatione repelletur. Qui primam Tonsuram petent, specimen dabunt, num legendo, & scribendo profecerint (3). Hæc facient apud Nos ipsi pueruli: nam qui ex ephœbis excesserint, quum eos in aliis par sit studiis progredi, quomodo in his etiam se habeant, explorabimus.

VIII. At quum assensus quæretur ad Ordines, præterquam quod singulorum, quos sibi quisque conferri petierit, rationem reddere debebit, eorumque naturam, caussam, fines, onera, ac rite exercendorum modum tradere; de aliis insuper studiis, quibus operam per aliquod tempus dederit, exquiretur. De his nempe præsertim: ab iis, qui minores Ordines petunt, latinæ linguæ peritiam exigemus (4), & sane, nisi experimento facto eam se intelligere prætulerint, repellentur. Qui vero primum ad majores Ordines veniet, præterquam quod opus est, ut in Grammatices, ac Rhetorices præceptis fuerit ad aliquot annos ordinate, & cum fructu exercitatus, omnino volumus, ut deinde Philosophia, (ac Dialectica saltem per annum) audita, etiam Morali Theologiæ operam navaverit ad minus per annum, Diaconus per duos, Presbyter per tres, integrum, eundemque novum percurrendo tractatum in singulos annos; cujus argu-

(1) *Trid. Seff. XXIII. Cap. V. De Ref.* (2) *Par. IV. Cap. I.* (3) *Trid. Seff. ead. Cap. IV.* (4) *Trid. Seff. ead. Cap. XI.*

argumentum paratus quisque sit Nobis, ut libuerit, reposcentibus exhibere. Unde ii tantum ad Sacerdotium assumentur, quos *saltem Theologiæ Moralis competenter peritos* noverimus (1). Sed hæc omnia pluribus aperiet Edictum Nostrum de studiis edendum in Appendice, quod Synodali hac sanctione firmamus (2).

IX. Qui ab examine, a concordi aliorum de ipsis suffragio, atque a reliquis rebus videbuntur idonei, eos in Christo complexi suo tempore initiabimus. Interea qui sacros Ordines postulant per decem continuos dies Exercitiis spiritualibus vacent (3): iisdem vacent, qui postulant Ordines minores. Omnes Deum enixe orent, ut notam faciat eis viam, in qua ambulent, utque animus religiosa meditatione poliatur, unde magis, magisque Deo placere possint. Insuper illud sibi proponant, ut piaculari Confessione, quæ solet eo tempore esse ferventior, quæque in illis, qui proxime sunt consecrandi Sacerdotio, opportunum esset, ut totum anteactæ vitæ tempus comprehenderet, instituant vitæ adhuc perfectioris initium, atque sanctius cum Deo fœdus ineant (4).

X. Illud præterea non levem a Nobis curam postulat, quod spectat ad honestam Clericorum sustentationem. Atque Sanctissimus Pontifex fel. rec. CLEMENS XIII. omnes Episcopos, & singulos vehementer hortatur, ac monet, ut cautiores hac in re, oculatioresque se præbeant, nequa collusio, aut fraus forte subrepat (5). Et quidem Paupertatis titulo Subdiaconatus Ordine consecrantur soli Regulares Professi, quibus mendicare gloriosum est. At Clerici Sæculares, nequid unquam ad vitam alendam in Ecclesiasticæ Hierarchiæ dedecus agere cogantur, alio indigent titulo. Triplex hic est, nempe aut Beneficium, aut Ecclesiastica Pensio, aut Patrimonium rite constitutum (6).

XI. Ast æqualis esse non potest ea summa, quæ ad id sufficere censeatur. Nos vero in tota Nostra Diœcesi, quod pridem constitutum invenimus, probamus, ac volumus, esse annuum censum sex saltem, & triginta scutorum ejus pretii, cujus hodie usus apud Nos est (7); quæ certo, integre, ac libere in ejus potestatem eefferint, qui erit Subdiaconatu initiandus. XII.

(1) *Conc. Rom. Tit. VI. Cap. III.* (2) *Vid. Append. pag.* 90. *N. XXV.* (3) *Ex Epist. Encycl. Innoc. XI.* 9. *Octob.* 1682.: *extat in hanc rem alia Epistola S. C. C.* 1. *Febr.* 1710.: *Vide Append. pag.* 138. *N. II.*, & *pag.* 168. *N. X.* (4) *Vid. S. Car. Conc. Prov. IV. Par. II. Tit.* quæ pert. ad Sacr. Ord. §. Subdiaconatum. (5) *Epist. Encycl.* 17. *Sept. MDCCLIX. Vid. Append. pag.* 138. §. Verum. (6) *Trid. Sess. XXI. Cap. II. De Ref. Clem. XIII. ibid.* (7) *Synod. Cresc. pag.* 83. §. Cum vero.

XII. Qui Beneficii titulum proferunt, tum de pacifica ejuſdem poſſeſſione Curiam Noſtram doceant neceſſe eſt (1), tum de annuo cenſu, qui memoratam ſummam, detractis quibuſvis ſeu publicis, ſeu privatis oneribus, conſtituat. Quam ſummam monemus ſufficere, ſi Beneficium in Noſtra Diœceſi ſitum ſit, aut, ſi in aliena, niſi tamen illud continuam reſidentiam requirat: ſi enim in aliena Diœceſi ſitum eſt, & hujuſmodi reſidentiam requirit, ſervanda eſt ſumma præſcripta in Diœceſi, in qua tale eſt Beneficium, ſive quam fert loci illius conſuetudo (2). Utrum onus Miſſarum, quod ipſi Beneficio interdum impoſitum eſt, detrahendum ſit, an non, jam ſacra Congregatio Concilii totam hanc rem Ordinariorum conſcientiæ, atque arbitrio reliquit (3). Quare pro peculiaribus rerum adjunctis, quid agendum ſit, Noſtrum erit conſtituere.

XIII. Quod ſi Eccleſiaſticus fundus ſit nimis tenuis, ut ad Ordinandum pervenire neceſſaria ſumma non poſſit, hanc juſtis ex cauſſis impleri alterius generis reditibus non recuſabimus, modo cetera adſint, quæ requiruntur, ut titulo Patrimonii ordinari aliquis poſſit (4): caveat tamen Ordinandus, ne tum Nobis ſe ſe ad ſolius Beneficii titulum exhibeat.

XIV. Hæc quoad titulum Beneficii. At Penſione etiam, ac Patrimonio conſtitui titulum ad Ordinationem permittit Eccleſia; quum tamen hujuſmodi tituli *diſpenſative* concedantur, jubemur, hoſce obtinentes (5) aſſumendos non eſſe, niſi pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum. Hinc ſiquis Eccleſiaſticum Beneficium poſſideat, quod annuum fructum ferat a Nobis ſtatutum, etiamſi pingue in promptu habeat Patrimonium, non hujus, ſed Beneficii erit titulo promovendus (6). Quum vero Patrimonii conſtitutio fraudibus non parum obnoxia eſſe poſſit, nonnulla Deceſſoris Noſtri Creſcentii veſtigiis inhærentes (7) declaremus, atque ſanciamus neceſſe eſt. Ac primo Patrimonium ſit in certis, iiſdemque immotis, atque fructiferis bonis conſtitutum, nullo, aut ære alieno, aut alio quovis jure, ſive, ut ajunt, hypotheca gravatis, neque evictionis peri-

(1) *Trid. ibid.* (2) *S. C. C. in Alatrina 9. Jul.* 1701., *& alibi. Conc. Rom. Tit. VI. Cap. IV. Bened. XIV. De Syn. Lib. XII. Cap. IX. n.* 2. *Innoc. XIII. Conſt.* Apoſtolici Miniſterii §. 7. (3) *S. C. C. in Arimin.* 17. *Jul.* 1723., *in Firmana Capellaniæ* 14. *Januar.* 1708. *Vid. Bened. XIV. ibid. n.* 6. (4) *S. C. C. in Signina* 18. *Sept.* 1683., *& in Civit. Pleb.* 10. *Jun.* 1684. (5) *Ibid. Trid.* (6) *S. C. C. in Sorana* 26. *Januar.* 1669., *& in Camerinenſ.* 4. *Aug.* 1685. (7) *Quæ ab hoc ſanciuntur ad N. XXI. pleraque ex Syn. Creſc. pag.* 83. §. Cum vero, *& ſeqq.*

periculo, aut alio hujusmodi vitio infectis; sed libera sint, libere actu possideantur ab eo, qui Patrimonium constituit, dentque annuum censum jam definitum: quæ omnia in Curia Nostra volumus authentice recognosci. Volumus præterea, ut in hisce recognoscendis constet omnino, nihil ratione Patrimonii constituendi minui, aut lædi legitimam portionem, quæ ceteris filiis, siquos constituens habet, debetur: est enim ab Ecclesiæ mente prorsus alienum, ut vel minimum alieno juri detrimentum inferatur. Quicumque autem sint, qui de fundis æstimant, eos severe monemus, ut rem tanti æstiment, quantum & certa scientia, & summa exigit fides. Siquid enim subsit fraudis, ac doli, præter gravissimam, quam ipsi coram Deo contrahunt, culpam, cogentur suppeditare ex suis fortunis quidquid ad censum Ordinando debitum deesse comperietur.

XV. Immo vero, ut fundi, ac fructuum tum libertas, tum securitas in lucem prodeant, Parochus, tum ille, cui subjectus est Ordinandus, tum ille, in cujus Parochia est fundus in titulum erigendus, præter industriam, quam in hisce cognoscendis debent ipsi ponere, horum bonorum descriptionem, prout a Curia Nostra accipient, die festo inter Missarum Solemnia populo denuntient, moneantque, graviter quemque teneri aut Curiæ Nostræ, aut sibi deferre, siquid juris super bonis hujusmodi se habere contendat, aut alium habere sciat. Curent etiam iidem Parochi, ut eadem bonorum descriptio per tres dies saltem hæreat suarum Ecclesiarum valvis affixa.

XVI. Monemus deinde illos etiam, qui Patrimonium assignant, ne ullum ab Ordinando pactum exigant, se fructus hujusmodi totos, vel ex parte percepturos, caveantque admittere, etiamsi Ordinandus id sponte sua promittat, immo juret: nihil enim aut promissio, aut jusjurandum retardaret, quominus Patrimonii Institutorem, atque alium quemvis promissi, vel jurisjurandi consiliatorem, vel fraudis adjutorem ad erogandos eidem fructus adigeremus, aliterque puniremus.

XVII. Ipsos denique Ordinandos monemus, ne hac in re imponi sibi patiantur, neve consentiant Patrimonium sibi constitui falsum, fictum, fiduciarium, aut deficiens. Etenim si fraudis conscii Episcopum deceperint, & ad sacros Ordines suscipiendos accesserint, jam suspensionis sententia lata in eos pridem est, quæ irrogatam Deo, & Ecclesiæ injuriam ulciscitur, uti sacri Canones statuunt (1), quos Triden-

(1) *Cap.* Neminem 1., & Sanctorum 2. *Dist.* 70., & *alibi*.

Tridentinum Concilium innovavit (1). Neque tum possent suscepti Ordinis munera exercere; quod si facerent, canonica insuper irregularitate devincerentur.

XVIII. Item nequid non cavisse videamur, præcipimus, ut & qui Patrimonium constituunt, & qui illud accipiunt, apud Cancellarium Nostrum jurent, nihil in eo constituendo, nihil in accipiendo subesse simulatum, illiusque fructus in potestatem Ordinandi fore statim, ac tuto derivandos.

XIX. Instrumentum Patrimonii non ab alio habendum, quam a Cancellario Nostro: quod nisi fiat, irritum sit. Ipse vero Cancellarius ne ante conficiat, quam ex Vicarii Generalis Decreto fuerit declaratum, bona, quæ obferuntur, ea penitus esse, prout a Nobis statutum hactenus est. Hinc Cancellarius ipse in Instrumento testetur, hæc omnia diligenter fuisse recognita, atque servata: testetur etiam de juramento a Partibus, & Testibus præstito, tum de Proclamationibus habitis, atque etiam fundi descriptione Ecclesiarum valvis affixa, si habita fuerit.

XX. Quum denique caverimus, ne Clerico in Sacris constituto desit ratio aliqua vitæ non illiberaliter sustentandæ, noverit ipse, quid in hanc rem Synodus Tridentina (2), & sacra Congregatio statuerint: nempe integrum amplius non esse Ordinato Patrimonium ab se abdicare vendendo, sive alteri resignando concedere, etiamsi sufficiens fuerit Beneficium consecutus (3). Hi videlicet actus, ubi Episcopi auctoritas non accesserit, jure ipso in irritum incidunt. Item neque fas sine licentia Episcopi Patrimonium permutare cum aliis bonis etsi ipsius reditus (4); neque illud in emphytheusim concedere (5), etiamsi sibi, quoad vixerit, annuum canonem reservet Patrimonii reditibus omnino parem. Tandem neque suum in fidejussione obligare Patrimonium quisquam potest: quumque Patrimonium hac ratione devinctum fuisset in controversiam adductum, statutum est, in illa tantum bona exerceri jus posse, quæ post honestam vitæ sustentationem, Judicis Ecclesiastici arbitrio, Ordinato supersunt: quamquam possit creditor accipere *in solutum*, ac vendere jus in hujusmodi Patrimonium, quod post Ordinati mortem ad hæredes transferri deberet (6).

XXI.

(1) *Trid. Seff. XXI. Cap. II. S. C. C. ap. Rigant. ad Reg. Cancell. 24. Vid. Lambert. Inst. XXVI. n. 16., ubi plura in hanc rem.* (2) *Trid. ibid.* (3) *S. C. C. 16. Ap. 1622.* (4) *S. C. C. 10. Octob. 1670.* (5) *S. C. C. 20. Julii 1641., 24. Febr. 1652.* (6) *S. C. C. 5. Febr. 1604, & 15. Martii 1642. Plura in hanc rem Lamber. Inst. ead. a n. 27.*

XXI. Siquis idcirco Nobiscum agere velit, de Beneficio resignando, quodcumque illud sit, suum erit duo efficere: primum, docere, utrum fuerit inter Subdiaconos eo titulo cooptatus; deinde argumentis omnino certis Nobis ostendere, quidquid ad vitam non indecore alendam necessarium est, sibi deinceps certo futurum (1).

XXII. Jam de sacro Ministro, a quo peti Ordinatio & valide, & licite potest: cognitum cuique est, atque perspectum, talem esse proprium Episcopum: *unusquisque a proprio Episcopo ordinetur* (2). Id ipsum servandum ab iis etiam, qui Clericalem Tonsuram sibi expetunt: qua vero ratione possit quis esse Episcopi subditus, satis Nos sacri Canones docent (3). Nullus igitur Ecclesiasticæ Nostræ Ditioni subjectus ad alium Episcopum se conferet, ut initietur, nisi Dimissoriales eidem fuerimus Litteras largiti, neque sane elargiemur, nisi postea quam ipsum examine tentatum probaverimus, eaque omnia apud Nos ipse præstiterit, quæ ceteri solent (*)

XXIII. Ipsi vero, quas ab Episcopo ordinante Litteras Ordinationis testes acceperint, intra mensem Cancellariæ Nostræ recognoscendas, inque Librum referendas penitus exhibeant. Quod siquis facere omittat, aut differat, pœna multandus (4).

XXIV. Quare Clericis Sæcularibus alienæ Diœcesis denuntiamus, nullum Nos ipsis Ordinem conferre posse, quin prius apud Nos legitime constiterit, eosdem a suis Episcopis fuisse, ut ab alieno initiarentur, dimissos, & nihil in ipsis desiderari, quod sit iis necessarium, qui Ordines petunt (5).

XXV. Quum solemnis aderit Ordinationis dies, stato tempore conveniant omnes, ut ad suos quisque gradus conscendat; talarem vestem, ac reliquas, quæ sunt suscipiendi Ordinis propriæ, induant: at gravitatem, modestiam, religionem maxime præferant. Initiabuntur, ubi Nos designaverimus; neque inde abscedent, quousque fuerint omnes Functionis partes absolutæ.

XXVI. Reportent singuli suscepti Ordinis, immo etiam primæ Tonsuræ testimonium a Cancellario Nostro propriis sumptibus: hoc

(1) *Trid. ibid. Lambert. ibid.* (2) *Trid. Seff. XXIII. Cap. VIII. De Ref.* (3) *Constat nempe ex Cap.* Cum nullus 3. *De temp. Ordination. in 6.*, *& ex Trid. ibid.*, *& Cap. IX.*, *& Seff. XIV. Cap. II. De Ref.*; *distinctim, quomodo possit quis esse in hunc effectum subditus ratione originis, domicilii, Beneficii, triennalis cum Episcopo familiaritatis, constat ex Const. Innocen. XII.* Speculatores *LIV. a* §. *6. ad 13.* (*) *De Regul. Ordinat. Par. IV. Cap. VII. N. II., & III.* (4) *Plur. Synod.* (5) *Trid. Seff. XXIII. Cap. VIII. De Ref.*

apud ſe retineant; neque ad alios promoveri Ordines poterunt, niſi Litteras haſce exhibuerint, quæ de Ordine ſuſcepto teſtentur (1). Ipſe autem Cancellarius ſingulorum Initiatorum & nomen, & Ordinem, & tempus, quo hæc geſta ſunt, in peculiarem librum referat, quem ſervet diligenter.

XXVII. Poſteaquam vero fuerint aliquo Ordine inſigniti, ſervitio alicujus Eccleſiæ adjicientur, ubi Ordinem nuper ſuſceptum exerceant (2). Qui fuerint ſacro Ordine inſigniti, hos omnes, ſi in Civitate commorentur, jubemus miniſtrare in Noſtra Eccleſia Cathedrali; Clerici reliqui, in ſua quiſque Parochia, inibunt Ordinum ſuorum Functiones: quamquam ſi Parochi alicujus etiam in Majoribus conſtituti opera ſe indigere Nobis ſignificaverint, poſtulata lubentes facturi ſumus. Omnia autem ab omnibus Clericis vere pio, ac liberali in Deum, atque Eccleſiam animo peragenda, ut nullo unquam humano metu, aut viliore aliqua cupiditate ad id adduci videantur. Nam ſi negligentes ſe ſe in hiſce muneribus præferant, ſi inertes, ſi incompoſitos, Nos certo zelo Domus Dei in ipſos zelabimus (3).

XXVIII. Qui novi creantur Sacerdotes ne ſacrificare audeant, quin ſuæ in ſacroſancta Actione peritiæ ſpecimen dederint Noſtro Cæremoniarum Magiſtro: quos ipſe probaverit ſuo teſtimonio communiat, eoſdemque ad Nos poteſtatem ſacrificandi libentiſſime facturos deferat.

XXIX. At quo die primum Omnipotenti Deo litaverint, non debet omnino a tanta Rei geſtæ jucunditate abeſſe intimus quidam, ac verecundus terror, quem recentiſſima illius recordatio credentibus conciliat. Hac de cauſſa (etſi lætitiam comiter domeſticis communicare æquum ſit), eum diem convivio opipare inſtructo, multiſque convivis adhibitis effuſius abſumere non parum importunum, neque ejuſdem diei ſanctitati conveniens cenſendum eſt.

XXX. Hæc a Nobis ſtatuta, ut de probabili cujuſque ad Ordines initiandi habilitate Nobis conſtet. Sed quantumcumque ſtudium, ac laborem in hiſce rebus conſtituendis, exigendiſque impendamus, non ſatis tamen adhuc Nobismetipſis facere videmur: Non enim ita Ordinatorum numerus Nos levare poteſt, ut timendum Nobis non ſit, ne homines ſacris vere idoneos Miniſteriis elegerimus. Quamobrem quum

(1) *Synod. Creſc. pag.* 166. §. Clerici. (2) *Trid. Seſſ. XXIII. Cap. XVI. De Ref. Conc. Rom. Tit. VI. Cap. II.* (3) *S. Car. Conc. Prov. V. Par. III. De initian. Ord. Sacr.* §. Quicumque Clericus.

quum ea ſancire, atque perficere ſtuduerimus, quæ opportuna cenſuimus, ut optimi apud Nos Clerici renuntientur, hoc unum reliquum eſt, ut ſupplices ad Deum confugiamus, ut in re tam gravi, tamque difficili conatus ipſe Noſtros dirigat, ac proſequatur, & quod imbecillitate humana peccamus, in Nobis potius, ſi vult, pleĉtat, modo ne permittat, ut in Eccleſiæ ſuæ dedecus, aut in malum ſui Gregis evadat. Parochi vero, quibus fidiſſimis in tota Noſtra adminiſtratione Adjutoribus utimur, divinam & ipſi Nobiſcum pietatem exorent, ut votis Noſtris benigne aſpiret; id ipſum populis ſuis inſinuent, ac vehementer commendent, tum maxime, quum eos de jejunio Ordinationi proximo commonefacient. Ad Dominum itaque tanquam bonum Patremfamilias omnes tanquam boni ejus famuli accedamus, ab eoque obſecremus, ut, quoniam meſſis multa eſt, multos etiam mittat Operarios ad Vineam excolendam aptiſſimos, qui fructum ei reddant uberrimum temporibus ſuis.

CAPUT X.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUod Matrimonii vinculum, etiam quatenus eſt naturæ officium, ſit honeſte, ſanĉteque ineundum, facile Chriſtianus quiſque aſſentietur, ſi paululum ipſe conſideret, quomodo fuerit Matrimonium a Deo, quum Mundum conderet (1), primitus inſtitutum, deinde quinam ſanctiſſimi Viri fuerint invicem hac lege conjuncti, tandem quomodo Nuptiarum celebritatem ipſe Dei Filius cum præſentia ſua, tum primo, quod fecit, Signorum ſuorum honeſtandam cenſuerit (2). Verum quanta deinde ſanctitate, atque præſtantia auctum, cumulatumque fuiſſe credendum eſt, quum Divinus idem Eccleſiæ Inſtitutor, ac Parens illud ad Sacramenti dignitatem evexit (3)? Quod enim homines antea conjunctionem maris, ac fœminæ appeterent ad ſibi ipſis ſimiles multiplicandos, ad habendos vitæ adjutores, ac denique nominis, & fortunarum hæredes, nunc Chriſti Redemptoris Sanguine, ac Morte effectum eſt, ut ipſi uberiore, quæ tota Sacramenti propria eſt, gratia donarentur (4), eodemque conjugio uterentur ad procreandos, & alendos, inque vera Fide inſtituendos Dei cultores; ſicque naturalis prolis acquirendæ appeti-

 tus

(1) 1. *Geneſ.* 27. 28., & 2. *Geneſ.* 18. (2) *Joan.* 2. 1. 9. (3) *Trid. Seſſ. XXIV. Doctr. De Sacr. Matr.*, & *Can. I.* (4) *Ibid.*

tus fieret, si vellent, vehementior Christiani Nominis amplificandi voluntas, atque studium. Verum quemadmodum sæpe contingit nihil esse tam religiosum, tam sanctum, quod non aut hominum socordia vitiet, aut perversitas violet, ita Matrimonii Sacramentum vel sine laude, atque merito, vel etiam cum periculo, & crimine proclive est homini celebrari. Quamobrem ut Matrimonium ea, qua decet, animi reverentia, ac pietate & agatur, & ineatur, hæc ex sacrorum Canonum fonte, & Prædecessorum Nostrorum Decretis subjicimus.

I. Ac primo quum difficile sit, bono peragi exitu quæ malo sunt inchoata principio, urgeant gravissime Parochi male auspicatum eorum esse conjugium, longa quod series gravissimorum scelerum præit. Quare eos insectentur, qui parentibus, sive iis, quorum curæ sunt traditi, penitus nesciis, aut jure invitis, dant Matrimonii celebrandi fidem, unde frequenter familiarum perturbationes, controversiæ, dissidia: & quoniam neque perversi homines desunt, qui in filiisfamilias hujusmodi Sponsalia promovere, iisdemque testes esse, apochas scribere, aut scriptas deferre non erubescunt, hi, quicumque sint, etiamsi Notarii, sive contrahentium affines, consanguinei, aut etiam parentes, quomodocumque suam ad id operam, consilium, favorem præbere audeant, sciant, gravissimis a Nobis pœnis multandos fore. Parochis vero hujusmodi Matrimonia, Nobis inconsultis, publice denuntiare sit penitus interdictum.

II. Multo etiam sæpius (nam frequentior est caussa) in eos urgeant, qui pluribus ante mensibus, atque etiam annis, quam possint Nuptias inire, Sponsam sibi deligunt, eamque ferme quotidie adeunt, ac, quibus possunt, officiis colunt. Compertum est enim, totum istius temporis spatium adolescentibus præsertim esse periculi plenum. Quare pravam hanc consuetudinem, sicubi est, Parochi sapienter quidem, sed omni vi extirpare contendant: & siquid ipsi per se nequeant perficere, Nostram opem invocent.

III. Etsi Sponsalia clam facta valida sint, & veram obligationem inducant, tum etiam illud impedimenti genus, quod a publica honestate Canones petunt, quum de illis nihil Tridentinum Concilium innovaverit (1); insinuandum tamen semper est, ut excipiantur a Parocho coram duobus testibus. Ast justis de caussis opportunius visum est partes nequaquam simul præsentes adesse: quare, abrogata quacumque in contrarium consuetudine, volumus, ut, quum

(1) *S. C. C. 1573. apud Lambert. Inst. XLVI.*

quum de ineundis Sponſalibus agitur, in poſterum Parochus excipiat non conjunctim, at ſeorſum partium conſenſum, coram duobus, vel tribus teſtibus, totamque hanc rem Parochus ſcripto adnotet.

IV. Hæc de Sponſalibus: id porro repoſcimus, atque præcipimus, nempe, ut futurum Matrimonium non ante publice proclametur, quam Parochus a Sponſis petierit, an ſe denuntiari publice velint: inveſtigandum enim eſt ſedulo, num ſponte, & libere uterque in tale Matrimonium conſentiat: quod faciendum cum Sponſo, & Sponſa, *ſeorſim*, *caute*, *&*, *ut dicitur*, *ad aurem* (1), iis remotis, quorum præſentia effici poſſet, ne puellæ præſertim minus aperte animum proderent ſuum (2).

V. Et alia Parochus ſciſcitetur a Sponſis neceſſe eſt, niſi aliqua aliunde certo noverit. Pleraque omnia hoc indiculo complectimur: 1. quanam ipſi ætate ſint: nam ſi mares annum decimumquartum, fœminæ duodecimum non evaſerint, Nuptiis ineundis ſunt impares: 2. an inter ipſos ullum, & cujus generis impedimentum intercedat; ac præſertim an voto aliquo caſtitatis, vel Religionis obſtringantur: 3. an fidem alicui dederint Matrimonii cum ipſo contrahendi: 4. an præcepto Euchariſtiæ ſumendæ eo anno paruerint: 5. an utriuſque parentes ejuſmodi contractui aſſentiantur: *6.* an in Catholicæ Fidei Rudimentis, inque Chriſtianorum conjugum officiis ſint ſatis instructi (3): 7. an in Noſtra Diœceſi ſint perpetuo demorati, an alibi, & quamdiu: 8. ſiquis ex viduitate novas ſibi Nuptias paret, rogandus etiam prudenter, ut pateat, num aliquod ſubſit impedimentum, quod dici criminis ſolet. Quod ſi Parochi nihil exiſtere, quod Denuntiationibus publice, & de more faciendis obſtet, tuto animadverterint, haſce proponent, ex quibus aliquod, ſi forte adhuc lateat, vinculum ſive impedimentum detegatur (4). Si Sponſi ſint diverſæ Parochiæ, rem eandem Parochi, uti mos obtinet, explorent.

VI. Si contracturi vagi ſint, preregrini, exteri, vel eorum alter exter ſit, alienæ nempe Diœceſis; immo vero ſi Diœceſanus ipſe quatuor pluſquam menſes e noſtris abfuerit, ne fiant Proclamationes, niſi certum, atque legitimum liberi ſtatus teſtimonium in Curia Noſtra conſtiterit juxta Inſtructionem ſacræ Congregatio- nis

(1) *Vid. Rit. Rom. De Sacr. Matr.* §. Parochus. (2) *Bened. XIV. Conſt.* Nimiam licentiam *LXXXV.* §. 10. *Bull. Tom. I.* (3) *Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. VIII. Cap. XIV.* (4) *Rit. ibid.*

nis supremæ, & universalis Inquisitionis (1), quæ omnino servanda est, atque ab eadem Curia celebrandi Matrimonium facultatem obtinuerint. Quod idem servandum, si conjugum alter extra Diœcesim obierit, & superstes secundas Nuptias petat. Si vero conjugis obitus in altera Diœcesis Nostræ Parochia contigerit, satis erit, si scripto testetur id Parochus, sub cujus Parochia conjux decessit. At quum aliquis ex aliena Diœcesi apud nos contracturus venit, Parochi, præter status liberi testimonium, etiam Denuntiationes in illa Diœcesi habitas, atque authentice firmatas exigant (2).

VII. Præterea instent animarum Pastores, atque demandent, ut Sponsi festine Matrimonium ex ritu contrahant. Neque enim ferre possumus, ut illud diutius, quam ad duos menses a Sponsalibus initis protrahatur, nisi caussa a Nobis tantum, vel a Vicario Nostro Generali cognoscenda, atque probanda aliter faciendum expostulet (3). Quod si Sponsi Nuptiarum celebritatem fraude, negligentia, aut alia culpa distulerint, Nos, modo moniti in tempore simus, eos auctoritate Nostra injustæ moræ finem facere compellemus.

VIII. Insuper monendi rudiores præsertim nihil sibi a Sponsalibus, ut ut paulo solemnius initis, in alterius corpus licere: hinc siquid præpropere, juribus quibuscumque posthabitis, perque scelus operari aggrediantur, crimen fore a Nobis gravissime plectendum, neque in iis tantum, sed etiam aliis, qui, quum maxime debuissent, non prohibuerunt. At quum mutua Sponsorum consuetudo ante Matrimonium ratum habita semper fuerit res periculi plena, Pastoralem Nostram, & Parochorum Nostrorum debet curam acuere, ut, ad radicem arboris securi posita, omnis abusus origo stirpitus evellatur. Præcipimus itaque, ne in eadem uterque domo habitet, etiamsi antea fortasse habitare consueverit: deinde præcipimus, ut a frequentibus visitationibus prorsus abstineant, neque ambo unquam ita secreto conveniant, ut, quid agatur, sub aspectum aliorum facile cadere non possit. Præcipimus Sponsorum Parentibus, & iis omnibus, qui auctoritate in illos sunt præditi (uti Patrui, Tutores, & si qui sunt alii), ut etiam ipsi diligenter curent, nequid contra hæc Nostra præscripta a Sponsis habeatur. Parochis tandem præcipimus, ut, siquos deprehendant, qui Nostra hæc præcepta negligant, neque moniti resipiscant, rem totam Nobis, aut Vicario Nostro Generali tem-

(1) *Decr. S. C. supr., & univ. Inquis.* 21. *Aug. ann.* 1670. (3) *Rit. Rom. ibid.* §. Caveat. *Syn. Cresc. pag.* 88. §. Ne autem. (3) *Plur. Synod. præser. post Tuscul.* 1703. *sub Emo Ursini, postea Bened. XIII.*

tempestive denuntient (1). Sed jam de Proclamationibus.

IX. Hæ tres penitus sint, eædemque, ut jam dictum est, publicæ, ad populum, in Ecclesia, inter Missarum Solemnia, singulæ singulis festis diebus continuis (2). Si contracturi ex diversis Nostræ Dioecesis Parochiis essent, utrobique Denuntiationes agantur. Si alteruter autem, vel uterque Sponsus recens ab una, ubi diu habitaverat, in aliam Parochiam ibidem habitaturus migraverit, in utraque item, totidemque erit vicibus denuntiandum: neque proprius Parochus eos Matrimonio jungat, nisi legitimo alterius Parochi testimonio acceperit, nullum detectum fuisse obicem post trinam habitam Denuntiationem.

X. Siquando contingat, ut, nondum expletis Denuntiationibus, alter e Sponsis alio se conferat diu absfuturus, ille Parochum, hic vero Nos moneat, ut, quid agendum sit, deliberetur.

XI. Parochi ne unam quidem ex hisce Denuntiationibus aut prætermittere, aut etiam audeant interrumpere, nisi Nos ipsi in scriptis veniam fecerimus; sciantque omnes, gravissime moneri Episcopos, ut sint *difficiliores ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari* (3). Item Parochi inter denuntiandum semper commemorent populo, teneri quemlibet graviter aperire seu Parocho, seu Generali Nostro Vicario, siquo Sponsos impedimento devinciri intellexerit, quominus eas possint Nuptias inire; quamvis tale impedimentum occultum sit, neque aptum, ut in judiciis probetur; siquis detrectet id facere, non solum in Deum peccare, sed etiam pœnis obnoxium fieri; commemorent etiam, eam esse Denuntiationem ultimam, quæ revera ejusmodi est sive ex jure, sive ex Nostra permissione. Verum ne irritæ sint Denuntiationes hujusmodi, breviter, prudenterque instruendus populus, quænam sint impedimenta, quorum alia Matrimonium impediunt, alia etiam irritant.

XII. Qui tamen e contrario Matrimonium aliquod impediendum curaverit, falsa caussa per dolum objecta, hic Canonicam non effugiet ultionem (4); sintque eidem pœnæ subjecti, qui scienter verum reticent impedimentum.

XIII.

(1) *S. Car. Conc. Prov. VI.* quæ ad Matrim. pert. §. Magnam *Vid. Lambert. Inst. XLVI. n.* 17., *& seqq.* (2) *Trid. Sess. XXIV. De Ref. Matr. Cap. I. Rit. Rom. ibid.* §. Antequam *Bened. XIV. Const. ead.* §. 11. (3) *Bened. XIV. Const.* Satis vobis *XXXV. Bull. Tom.* 1. *Vid. Append. pag.* 102. §. 5. (4) *Cap.* Cum inhibitio 3. *De Clandest. Despons.* §. Sane.

XIII. Interea Parochi, ſiquod impedimentum certum, aut etiam dubium ſibi deferri audiant, aut ipſi detegant, continuo rem ad Nos deferant, neque Proclamationes proſequi audeant, ſed, quid agendum ſibi ſit, ex Litteris Noſtris expectent. Siquod poſt initas Nuptias prodeat impedimentum, Conjuges ſeparentur omnino, ſicque tamdiu maneant, donec fuerit diſpenſatum.

XIV. Sed Denuntiationibus ex præſcripto habitis, nulloque impedimento deprehenſo, Matrimonium quamprimum celebretur; quamquam non ipſo poſtremæ Denuntiationis die, ut, ſiquid adſit impedimenti, detegi poſſit: ſi tamen die, quo ultima fit Denuntiatio, claudantur Nuptiæ, facultatem petenti faciemus, ut ipſo die ultimo Denuntiationis Matrimonium ineatur, modo de hac ipſa re moneatur populus. Quod ſi Matrimonium ultra id tempus, quod paulo ſupra (1) præſcripſimus, celebrari ex Noſtra facultate contigerit, atque infra duos menſes poſt factas Denuntiationes non contrahatur, Denuntiationes repetantur (2), niſi aliter Nobis viſum fuerit.

XV. Moneat autem Parochus, ut ad ipſum Nuptiarum diem ſancte ſe comparent Sponſi: atque præſertim ſe ſe Pœnitentiæ Sacramento expient, & Euchariſtiæ reficiant (3), a Deo exorantes, ut ſit *honorabile* (4) *connubium in omnibus*, *& thorus immaculatus*. Immo vero, ſi ſaperent Sponſi, aliquos ante Nuptias dies totius anteactæ vitæ Confeſſionem peragerent, ut, ſiqua re impedirentur, quominus contraherent valide, opportune, ac ſine ſcandali periculo conſuli poſſet.

XVI. Licet ad Matrimonii valorem non interſit, Sponſine, an vero Sponſæ adfuerit Parochus (5); volumus tamen morem ſervari, ut ille nimirum, cui Sponſa ſubeſt, utrumque conjungat. Quis porro in Matrimoniis contrahendis proprius ſit Parochus, cujus præſentia requiritur, jam definitum pluries eſt (6); hoc unum commemoramus hoc loco, quod in hac ipſa Synodali Actione fuit unanimi Parochorum omnium conſenſione pactum, atque conventum, Noſtraque auctoritate firmatum, ut cum in Civitate, tum in Diœceſi puellarum, quæ famulantur, Matrimoniis is Parochus adſit, in cujus Parochia ſuum ipſæ famulatum exercent (7). At quemadmodum quæcumque ſua ſunt munera, ut ea per ſe, quantum fieri poteſt

(1) *N. VII.* (2) *Rit. Rom. De Sacr. Matrim.* §. Si vero. (3) *Rit. Rom. ibid.* §. Admoneantur. *Vid. Trid. Seſſ. XXIV. in Decr. de Ref. Matrim. Cap. I.* (4) *Ad Hebr.* 13. 4. (5) *Rit. Rom. ibid.* §. Eſt autem. (6) *Lamb. tota Inſt. XXXIII.* (7) *Vid. Convent. Part. IV. Cap. V. N. ult. huj. Syn.*

teſt, Parochus ipſe perficiat, tam ſæpe commendavimus, atque præcepimus, ita Matrimoniis per ſe ipſe aſſiſtat, nec eam curam alteri facile tradat: *munus* (habemus diſtincte ex Benedicto XIV.), *quod ad proprium Parochum jure ſpectat, intereſſendi Matrimoniis celebrandis per ſe ipſe Parochus, niſi legitima, graviſſimaque de cauſſa impeditus obire tenetur* (1): quo tempore brevem ad contrahentes, ſi tempus patiatur, habeat ſermonem, quo de obligationibus Chriſtiano connubio impoſitis moneantur ea vultus, verborumque gravitate, quam & rei, & loci dignitas exigit.

XVII. Namque *Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari decet* (2): ne unquam igitur in Oratoriis, ſive privata ea ſint, ſive etiam publica, multo minus in ædibus domeſticis, niſi Nos ipſi conceſſerimus, celebrentur; verum in Eccleſia, eaque ſit Parochialis ſponſæ (3). Item celebrentur matutinis horis, nunquam vero pomeridianis, aut veſpertinis: idque vel eo maxime, ut contrahentes Miſſam pro Sponſis, ſi ritus diei patitur, audiant, utque ſaltem nuptiali Benedictione muniantur, quæ primo nubentibus inter Miſſam impertienda, immo ex hujuſce Diœceſis conſuetudine etiamſi ſolum fœmina primo nubat. Quod ſi aliqui ex facultate Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis Matrimonio conjungantur privatim, aut ſub veſperas, adeant & ipſi Eccleſiam, ut ibi (neque alibi fieri poſſet) ſolemni Benedictione donentur, ante quam ne conjuges in eadem domo cohabitent, neque Matrimonium conſumment, nec etiam ſimul maneant, monendi a Parocho ſunt (4). Hæc de primis Nuptiis. At ſi forte Sponſa ſit vidua, a ſolemni Nuptiarum Benedictione abſtinendum (5): interſit quidem utraque pars, quod vehementer urgemus, Miſſæ Sacrificio; ſed Miſſa ſemper ſit ejus diei propria, nunquam votiva pro Sponſis, neque in illa addantur orationes pro Sponſis. Item ſi ex facultate a Nobis obtinenda, temporibus, quibus ſunt ſolemnitates Nuptiarum prohibitæ, Matrimonium celebrari contingat, a nuptiali Benedictione abſtinendum: ſi tum Miſſa celebretur, neque ea votiva pro ſponſis eſſe poteſt, neque orationes, ac Benedictiones in ea contentæ recitari poſſunt. Eſt quoque per hoſce dies prohibitum ſolemniter ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia, aut ſæ-

(1) *Eadem Conſt.* Nimiam licentiam §. 9. (2) *Rit. ibid.* §. Matrimonium. (3) *Vid. Synod. Creſc. pag.* 89. §. Abſolutis. *Synod. de Verme pag.* 82. §. Nos decet. *Plur. Synod. Vid. Monacel. T. I. Tit.* 2. *Form.* 2. *n.* 7. (4) *Seſſ. XXIV. Cap. I. De Ref. Matrim. Rit. Rom. ibid.* §. Moneat Parochus. (5) *Cap.* Capellanum 1., & *Cap.* Vir autem 3. *De Secundis Nuptiis*.

cularem quamcunque pompam agere (1).

XVIII. Siqui autem Canonicas ſanctiones nihili habentes coram Parocho inſcio, aut invito, nullis præhabitis denuntiationibus, neque obtenta a Curia Noſtra facultate Matrimonium contrahere per ſummum facinus auſi fuerint, hoſce certo multabimus pœna tum carceris, tum pecuniæ, aliiſque ad arbitrium: quas etiam pœnas ſubire cogentur teſtes, qui hujuſmodi Matrimonio ſcienter adſuerint, & quicumque hujuſmodi facti ſeu conſilio, ſeu opera participes, vel quomodocumque adjutores extiterint. Interim Conjuges ſimul habitare prohibentur, neque id ipſis conceditur, niſi poſtquam debita pœnitentia, uti Nobis videbitur, Deo, & Eccleſiæ ſatisfecerint (2). Si vero Parochus tales conjunctiones prohibere contempſerit, aut eis præſumpſerit intereſſe, hunc per trienium ab officio ſuſpendendum Canones monent, gravius etiam puniendum, ſi culpæ qualitas poſtulaverit (3).

XIX. Illud vehementer commendamus, ut, quando licet Sponſam ſolemniter traducere, nullæ cantiones habeantur, quæ Sacramenti dignitatem, majeſtatemque vel minimum poſſint offendere. Siqua ignea arma exploduntur, ne id fiat, niſi ultra quingentos ab Eccleſia paſſus. Quod vero conveniant quidam noctu, atque inconditis vocibus ante eorum obſtrepant fores, qui alteras nuptias recens inierunt, petulans hoc eſt, neque iis certe dignum gentibus, quæ Matrimonium, veluti rem ſanctiſſimam revereri ſummopere debent. Quare talis criminis reos cum bonæ memoriæ Predeceſſore Noſtro de Verme (4) ſubjicimus pœnæ carceris, aut aliis arbitrio.

XX. Statim ac fuerit celebratum Matrimonium, *Parochus manu ſua deſcribat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, & teſtium, & alia juxta formulam præſcriptam; idque licet alius Sacerdos, vel a ſe, vel ab Ordinario delegatus Matrimonium celebraverit* (5). Fiat id in Libro ab aliis diverſo, ſed una cum aliis diligenter obſervando: id iterum, atque iterum commendamus, ne Parochi negligentiam, ſi qua fuerit, ſive in illis deſcribendis, ſive in cuſtodiendis multare cogamur.

XXI. Conciliatis itaque, conjunctiſque cum honeſte, tum pie Chriſtianis Nuptiis, ne omnem Parochus exiſtimet, licere ſibi conju-
gum

(1) *Vid. Rit. ibid.* §. *eodem, & ſeqq. Lambert. tot. Inſt. LXXX. Synod. Creſc. ibid.* (2) *Synod. Creſc. pag.* 88. §. Sponſi. (3) *Cap.* Cum inhibitio 3. *De Clandeſt. Deſponſat.* §. Sane. (4) *Pag.* 87. §. Dedecet. (5) *Rit. Rom.* §. *ult. Tit. Ritus celebr. Matr. Sacr.*

gum cogitationem ſeponere, perinde quaſi tutiſſima jam in ſtatione navis fuerit collocata. Improvidum id quidem ſibi vulgus perſuadet, quod ærumnas imminere nunquam exiſtimat, niſi quum ſentit. Tanta nihilominus moles ſive hominum vitio, ſive naturali rerum humanarum conditione interdum in conjugatos incumbit, ut ſi paulo accuratius, quum de Nuptiis cogitant, proſpicerent, vix eſſet, qui recuſaret amplecti quod Apoſtolus ſe de omnibus velle ad Corinthios ſcribebat (1). Parochus tamen in Chriſto prudens ovium ſuarum caſus proſpiciens, pacem in primis, & charitatem, qua lites, injuriæ, & quodlibet animorum diſſidium arceatur, conjugibus ſæpe commendet, interque eos foveat, ſiquid eam ſuſtulerit, denuo excitet, ſiquid impediat, quantum maxime poteſt, tollat e medio. Eas proferat rationes, quæ ex Fidei Chriſtianæ fontibus petuntur: ſed etiam commemoret, eis, niſi charitate invicem certent, nullam ferme aliam ſupereſſe rationem, qua labores, & curas tolerare poſſe videantur.

XXII. Siquando offenſiones graviores inciderint, quibus præſertim efficiatur, ut Conjuges degant palam disjuncti, ſicque obfirmata partium diſcordia ſurdæ ſint aures cohortationibus, menteſque obcæcatæ, ut neque graviora hujus vitæ mala, neque longe graviſſima alterius perhorreſcant, Nos ipſos tempore moneri volumus: conabimur enim externis ſaltem juris remediis duritiem perfringere, atque occaſionem objicere, qua illi ad ſanitatem revocentur, nolintque in ſuam, & aliorum perniciem Sacramenti ſanctitatem, expreſſamque divinæ cum Eccleſia conjunctionis imaginem aperte, aut ſaltem impune violare.

XXIII. Præter charitatem inter Conjuges, illud etiam commendent, ut, ſi prolem ſuſcipiant, eam, ſicuti docuimus (2), diligentiſſime tueantur: tum, ut eandem pietate, atque artibus ſive liberalibus, ſive mechanicis, uti fert cujuſque conditio, imbuant; plurimam enim malitiam docuit otioſitas. Sæpe etiam prudenter, graviterque exponant eorum periculum, qui grandiuſculos pueros in maritali thoro cubare ſecum faciunt; jubeantque, conjuges etiam minuſculæ ætati haud plurimum fidere: item, ne pueros ſaltem poſt quinquennium cum fœminis, quocumque ſint invicem vinculo conjuncti, dormire ſinant (3). *Nec vero* (ait D. Carolus (4)) *paupertatis, anguſtæve habita-*

(1) 1. *ad Cor.* 7. 7. (2) *Hac ipſ. Par. Cap. II. N. XIII.* (3) *Syn. Creſc. pag.* 168. §. Ad puerorum. (4) *S. Car. Conc. Prov. VI. Tit. quæ ad Matrim. pertin.* §. Nec vero.

habitationis locus facile relinquatur, quominus ista impuritatum occasio omnis præcidatur, quum humi potius, atque adeo sub dio jacere satius esset.

XXIV. Efficiant Parochi, ut Conjuges gravissimam perhorrescant injuriam, quam & Christo, & Ecclesiæ inferunt, quoties peccant in corpus suum, utque individuam illam, quam hoc Sacramentum exhibet, Christi cum Ecclesia conjunctionem ipsi turpissima carnis suæ divisione deforment, inclamante Chrysostomo (1): *Matrimonium est Mysterium, seu Sacramentum, & rei magnæ typus, & si ipsum non reverearis, reverere id, cujus est typus.* Hinc Sacramenti contemptum, juris alieni læsionem, pœnasque declarent in adulteros tam graviter sancitas; maxime vero, si ter moniti minime resipiscunt, jam ab Ecclesia Christi, tanquam putrescentia membra, sunt rescindendi (2).

XXV. Atque hoc loco Parochos etiam monemus, ut, quum exteri homines, peregrini, atque vagi in suam veniant Parochiam, videanturque mares simul cum fœminis degere, inquirant, qua ratione id faciant, num Matrimonii, num consanguinitatis; neque sane acquiescant, quin rem, uti est, satis aperto compererint argumento. Quod si nequeant ipsi rem per se conficere, Nos monitos faciant.

XXVI. Quod viri uxorum suarum, aut Patres, Matres filiarum pudicitiam, tanquam lupi immaniter devorent, neque illius pretium facere perhorrescant, hoc lenocinii scelus tale, tantumque habent ipsæ Cæsareæ Leges, ut illud nefandum appellent, ipso jure infame declarent, ac supremo dignum supplicio (3). Neque sane nisi atrox, atque gravissimum haberi potest crimen eorum Patrum, Matrum, virorum, seu aliorum, quicumque sint, qui in aliquam fœminam Patris, aut Matris vicem gerunt, si eo impietatis, atque etiam inhumanitatis deveniant in filias, uxores, easque fœminas, ut earum libidinis nuntii, atque ministri fiant, easque ad turpes actus cum aliis habendos inducant, immo ut turpiter cum aliis agant, sive expresse, sive etiam tacite solum consentiant. Quare horum omnium criminum absolutionem, etiamsi nullo id fieret quæstu, etiamsi nihil turpe inde contingeret, Nostro reservamus judicio.

XXVII. Hæc omnia de Matrimonio publice & solemniter inito; eamque semper fuisse novimus piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut illud publice, & palam a Fidelibus celebretur: temporum tamen

(1) *Hom. 12. in Epist. ad Coloss.* (2) *Vid. Trid. Sess. XXIV. Cap. VIII. De Ref. Matr.* (3) *Auth. De Lenociniis* §. Sancimus.

tamen varietas, atque calamitas, sive hominum infirmitas, ab Ecclesiæ pietate postulavit, ut eam disciplinam temperaret interdum, & animarum quarumdam periculum antevertens, iisdem permitteret, occulto Matrimonio sociari, quod conscientiæ Matrimonium vocatur. Quibus autem, quomodo hujusmodi Matrimonia sint permittenda, quibus conditionibus celebranda, & quomodo proli consulendum, satis explicatum est, ac late patet in Constitutione BENEDICTI XIV., quam Appendici inseremus (*). Eam rite cognoscant Parochi, eandemque, siquando opus sit, quoad omnem sui partem, ad unguem observent.

(*) *Bened. XIV. Const.* Satis Nobis *XXXV. Bull. Tom. I. Vid. Append. pag.* 101. *N. XXVII.*

Quomodo se gerant Parochi, & Confessarii, quum debent confugere ad Card. Pœnitentiarium, & exequi, quæ ab illo præcipiuntur, præsertim in difficultatibus ad Matrimonium pertinentibus, traditur in Append. pag. 93. *N. XXVI.*

De Sacramentalibus Par. III. Cap. VI.





PARS TERTIA

DE QUIBUSDAM PRÆCEPTIS, ET FUNCTIONIBUS ECCLESIÆ.



PRæcepta novæ Dei Eccleſiæ tertia hac Noſtræ Synodi Parte urgenda ſuſcipimus, ac ſolemniores quaſdam ejuſdem Functiones: & Præcepta quidem hujuſmodi ſunt, ut hominum animos, atque etiam corpora Summo Deo rite ſubjiciant, & conjungant: Functiones vero mirificas tum ad ipſum ſupremi Numinis cultum, tum ad Religionis Myſteria declaranda, tum ad ceteram pietatem fovendam, alendamque afferunt utilitates. Utriuſque tamen generis non omnia capita perſequemur, ſed ea, quæ eſſe videbuntur ad explicandum utiliora, ac digniora. Atque e reliquis Chriſtianorum Functionibus tres ſolummodo ſeligimus, videlicet Benedictiones, Proceſſiones, & Funera: nam de aliis plurimis ibi agi oportet, ubi ſacræ eæ Nobis ſe ſe obſerunt res, quæ aliquo ritu ornandæ, atque perficiendæ ſunt.

CA-

CAPUT I.

DE DIEBUS FESTIS.

NUlla in orbe terrarum Natio inventa hactenus est, quæ quum se ab aliquo esse Numine intelligat, illud identidem revereri, atque colere non conspiciatur. Deus autem ipse populum, quem singulariter diligere instituerat, definita quoque olim tempora docuit, quibus id ipsum, quod a natura cuique inditum erat, certis legibus exerceret. Nos quavis bebdomada diem, qui Dominicus vocatur, estque ob maxima a Deo in humanum genus collata beneficia longe, quam apud Hebræos Sabbatum, solemnissimus, & paucos alios dies habemus, ut pro innumeris, quibus Deo nostro obstringimur, vinculis, infinitam illius majestatem festo honore, & cultu publico prosequamur. Jamque nullum aliud tempus, si Christiani saperent, in mediis ipsis negotiis, & curis vehementius exoptarent, quam diem illum, quo se se totos Deo, a quo sunt, in quo sunt, & ad quem redire necessario debent, studiosius variis Religionis exercitiis conjungerent. An autem hoc animo Christiana gens festos suos dies concelebret, ita plerumque dubitatur, ut sæpe magna voce querendum Pastoribus sit, iis potissimum diebus a pluribus vitio indulgeri, eosdemque in suam perniciem dehonestari.

I. Ergo diem communi Ecclesiæ more a dimidio noctis, quæ præcedit, ad dimidium ejus, quæ sequitur, statuentes, prohibitum cuique per se esse denuntiamus quodcumque opus servile die festo exercere: super iis autem, quæ vel pietas suaserit, vel humana necessitas exegerit, novimus Christi Fidelibus juxta sacros Canones consueta misericordia subveniendum (1). Verum an reipsa hujusmodi caussæ urgeant, ne quisque per se facile judicet, sed eos consulat, qui sapiens consilium dare queant, neque operari audeat, quin Ecclesiæ auctoritas intercesserit.

II. Namque petenda in Civitate facultas a Vicario Nostro Generali: in Diœcesi, si ad ipsum non pateat aditus, a Parochis. Hi auctoritatem habent a Nobis id concedendi, quibus, & quoties concedendum prudenter judicaverint. At ipsi necessitatem, quam proponi sibi audiunt, explorent, tum quoties juste possunt, benigne annuant, scriptumque permissum elargiantur: qui vero obtinuerint adhorta-

(1) *Conc. Rom. sub Bened. XIII. Tit. XI. Cap. II. Ex plur. Capit. De Feriis.*

hortatione monendi, quatenus ex eo, *quod illis utilitatis obvenerit Ecclesiis circumpositis, & Dei pauperibus aliquam in alterius veluti cultus repensum faciant portionem* (1). Siqui vero ad petendum se deferant irreligiosi homines, ficti, importuni, hosce coarguant, eosque Præcepti pondus sentire jubeant, rejiciantque: nam etiamsi facultatem extorquerent, protegerentur hi quidem in foro externo, verum Præcepti coram Deo violati rei penitus existerent.

III. Quare siqui per diem festum mechanicis artibus, vel aliis quibuscumque vetitis operibus vacare deprehensi fuerint, neque scriptum expromant, quo ejus rei faciendæ veniam impetraverint, necessitatis, quam ultro caussari quisque posset, nulla habebitur ratio, sed pœnas debitas luent: ac particulatim qui jumenta vehunt onusta, nisi forte ad prosequendum iter die non festo inchoatum, sex juliis statim multentur.

IV. Mercatores itaque, opifices, aliique ne ullo festo die officinas aperiant suas: & quamquam primo mane, atque post Vesperas semiapertæ tolerentur illæ, ubi pilos tonderi, atque mercari quivis possit seu quæ ad medicinam, seu quæ ad quotidianum victum fere sunt necessaria, tamen divinorum Officiorum horis omnino sint clausæ: quod severius etiam custodiendum quibusdam Ecclesiæ diebus, qui omnium maxime solemnes habentur, idest Natali Domini, Epiphania, Paschate, & Pentecoste. Sed quæ potissimum opera diebus festis exercere nefas sit, quæque permittere, seu tolerare ex Ecclesiæ benignitate censuerimus, pluribus significabit Edictum Nostrum in Appendice edendum (2), cui Synodicæ Sanctionis vim, ac robur adjicimus. Hoc porro a Parochis frequentiori populo inter Missarum solemnia statis in anno diebus proponendum, atque explicandum (3).

V. Mercatus die festo nusquam habeantur (4), sed vel omittantur, vel celebrentur alio die. Quum autem aliquibus diebus festis semel in anno, vel admodum raro haberi celebriores mercatus soleant, quas Nundinas dicimus, hasce ita permittimus, juxta mentem san. mem. BENEDICTI XIV., ut horis, quas Nos peculiari Edicto mandabimus, neque ullæ apertæ sint apothecæ, neque mercari cuiquam liceat (5).

VI. Debet etiam hisce diebus omnis judicialis strepitus conquiescere: itaque ne reus ad quæstionem vocetur, ne jusjurandum ex-

qui

(1) *Conc. Rom. ibid.* (2) *Vid. Append. pag.* 106. *N. I.* (3) *Vid. Ind. rer. public. int. Miss. Solemn. ad calc. Syn.* (4) *Bened. XIV. Encycl.* Ab eo tempore §. 22. *Bull. Tom. I. N. CXLIV.* (5) *ibid.* §. 25., & *seqq.*

quiratur, ne instrumenta, aliave acta publica a Tabellionibus, Caussidicis, aliisve Fori Actoribus conficiantur, ne Judex, etsi ab utroque litigante rogatus, jus dicat, sacri semper Canones vetuere; atque inania hæc per se, ac nulla esse jussere, nisi pietas, aut necessaria caussa ad ea etiam præstanda compelleret (1).

VII. Alia deinde spectacula, quæ frigidos, levesque multitudinis animos facile, cumque periculo occuparent, vel etiam ad male facta aperte perducerent, est Episcopalis Nostræ curæ, ut arceantur, vel ut aliquis saltem illis modus, præceptis, ac suppliciis in delinquentes, quotiescumque innotuerint, irrogatis imponatur. Ac 1. diebus festis venationes clamorosæ ne instituantur. 2. Circulatores a suis venditionibus, ac ludis abstineant. 3. Prope Templum ne quidpiam venale, licet pietatem præseferens, exponatur. 4. Ne ulli cantus edantur, maxime tempore Supplicationum, Catechismi, Concionis, Missæ, quæ Major in Metropolitana dicitur, Parochialis in Diœcesi, ac universim divinorum Officiorum. 5. Prohibemus districte, ne hisce præsertim horis pateant, nisi forte peregrinis, cauponæ, vel tabernæ, in quas tum neminem plane ad ludendum, vel compotandum recipi permittimus, quamvis id occlusis foribus, atque secreto fieret.

VIII. Jam vero tot prohibitis rebus, quæ Fidelium animos a Domini Dei sui cultu plurimum avertunt, Christianus meminerit (hujusmodi namque vocabulo hominem alloquitur, & admonet ipse Deus (2)), meminerit diem festum non esse sibi otiose, inaniterve insumendum, sed, quemadmodum divinæ Litteræ loquuntur, sanctificandum (3). Meminerit, quod SS. Pontifex BENEDICTUS XIV. tradiderat (4), *dies festi non ad id instituti sunt, ut Christianus populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliæque id genus licentiæ liberius vacet, sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, & assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in iis operibus, quæ veram pietatem continent, & ut Sanctos una cum Christo regnantes, tanquam Patronos, congruis officiis, & honoribus prosequantur.*

IX. Postquam igitur quisque sacrosancto Missæ Sacrificio pie interfuit, longe plurima illi superest diei pars, quam divinis obsequiis dedicet. Ea propter de hisce pietatis operibus exercendis unum-

S quem-

(1) *Cap.* Omnes dies 1., & Conquestus 5. *De Feriis*. (2) *Exod.* 20. 8. (3) *Ibid.* (4) *Const.* Nihil profecto *LX.* §. 1. *Bull. Tom. I.*

quemque monemus ex animo: jamque, benedicente Deo, nedum in Civitate, sed in Diœcesi etiam Parochorum pietate, atque cura defuturum non est, quo populi pluribus queant Missis interesse, Sacramenta recipere, sacras Conciones audire, Christianam Doctrinam seu tradere, seu discere, sacrum B. Mariæ Virginis Rosarium alternis recitare, cantui Vesperarum adesse, Actus Fidei, Spei, & Charitatis ante Divinam Eucharistiam, quod summæ utilitatis est, iterare, ordinatas supplicationes, & pompas, Ecclesiasticosque alios secundum tempora Ritus adire, & pie contemplari, aliis denique orandi rationibus diu, & abunde in Dei laudem, suamque ipsorum salutem detineri.

X. Porro in singulis domibus alte recinant opus est ipsi Patresfamilias magnum illud, *Memento ut diem festum sanctifices*; curentque subinde, ut primarium quidem omnibus opus sit Sacro interesse; at neque e suis familiaribus quemquam sive domi, sive foris sine aliquo religionis officio hunc diem præterire sinant.

XI. Solent non pauci, ne perdant dies suis aptos laboribus, heros, negotiorum socios, alios aliis de caussis per diem festum convenire, cumque iis, quid opus sibi est, diu, multumque agere. Hos graviter moneant Parochi, & ipsos moneant heros, ne terrenis rebus tractandis ita animis distrahantur, ut sacras Conciones, vel Catechismos audiendi tempus sibi invicem eripiant.

XII. Itaque de festis diebus sæpe agant quicumque ad populum dicunt, & maxime Parochi; hi nempe in eos invehantur, & vehementissime urgeant, qui festis diebus, audita Missa, otio se dedentes, illos in ludis, aleis, ebrietatibus, commessationibus transigunt non sine maxima animarum pernicie. Insuper Solemnitatum, quæ ab Ecclesia celebrantur, identidem originem, naturam, caussas dilucide exponant, ac divina, quæ tam sanctis diebus commemorantur, in homines beneficia, tum Deiparæ, Apostolorum, aliorumque Sanctorum egregia facta, virtutesque diserte concelebrent: neque sane fieri potest, quin repetita harum rerum commemoratione excitari se se Fideles sentiant, ut iis saltem diebus Deo, ac sibi impensius vacent, utque illustres nostræ Fidei Heroes una cum Christo regnantes, tanquam Patronos congruis officiis, & honoribus colant, ac venerentur.

XIII. Inter quos Heroes cum Christo jamdiu regnantes siqui nobis singulari benevolentia, atque honore afficiendi, duo illi prorsus sunt præclarissimi Martyres GEORGIUS, & MAURELIUS, quorum patrocinio Majores nostri Civitatem, totamque Diœcesim supplices tradidere,

didere, quosque optimos semper apud clementissimum Deum Patronos fuisse sumus experti: hosce igitur impensius coli quemadmodum justissimum est, ita & volumus, & commendamus. Ipse vero Natalis Divi GEORGII dies, qui nobis Principalis Patroni loco est, in quavis Parochia tum Civitatis, tum Diœcesis aliquo pietatis officio saltem privatim Pastoris cujusque cura præveniatur, isque, non secus atque alii, quos Ecclesia solemnissimos habet, ab omnibus celebretur: neque bonum se quisquam esse Civem existimet, qui non communes hosce, ac benevolentissimos Patres, atque Auspices sibi, suisque demereri studeat.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE, ET COMMUNIONE.

DIvinum quidem Præceptum est, quo Fideles rationis usu pollentes sæpius in vita urgentur, Eucharistica se se dape reficere (1). Neque alio sane jure, quam divino necessarium, & institutum est, ut iidem Fideles sua peccata confiteantur (2). At quum Scripturæ nullum tempus, quo Sacramentis istis Christiani uterentur, certum præfiniant, Ecclesia, cujus id auctoritati, ac judicio demandatum est, Præceptum ejusmodi, quod temporum pravitate latius percrebrescente in desuetudinem fere prolabebatur, explicare, & finibus saltem aliquibus circumscribere aggressa pluries est (3), ac tandem celeberrimo illo Lateranensis Concilii Canone (4), qui sic legitur: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem caussam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Quam Legem ratam habuit Tridentina Synodus (5), sancteque servandam statuit. Nos ita-

(1) *Joan. 6. 54 Luc. 22. 17., & seqq. 1. ad Cor. 11. 24. Trid. Sess. XIII. Cap. II. Sess. XXI. Cap. V.* (2) *Trid. Sess. XIV. Cap. V.* (3) *De Euchar. sumenda ter in anno Conc. Agathen. rel. in Cap.* Sæculares 19. *De Cons. Dist. 2., & Cap.* Etsi non frequentius 16. *ibid.* (4) *Cap.* Omnis utriusque 12. *De Pœnit., & Remiss.* (5) *Sess. XIII. Can. IX., & Sess. XIV. Cap. V., & Can. VIII.*

itaque quum de Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ adminiſtratione, atque uſu alibi egerimus, ita de utroque Sacramento agendum hoc loco ſumimus, ut quod potiſſimum præceptum de ipſis fuit, in tuto pro Noſtra virili parte collocetur.

I. Hoc itaque Præceptum ut magni omnibus ſit, utque ab omnibus obſervetur, Parochi præcipue ratione quacumque perficiant.

II. Opportunum proinde, ſi ſtata quædam ſibi tempora habeant, quibus illud gregibus ſuis in memoriam revocent, graviterque inculcent. Hæc duo maxime ſunto, inter Miſſarum nempe Solemnia (1). Ac nequid ad animos permovendos omittatur, pœnas etiam non languida oratione commemorent, quas ex tam ſanctæ Legis violatoribus ſumendas ex Lateranenſi Canone nuper audivimus.

III. Separatim de Præcepto confitendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ illud diſtincte tradant, quod a memorata Tridentina Synodo probatur, & commendatur, nempe in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum Fidelium fructu obſervari morem illum ſalutarem confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili Quadrageſimæ tempore (2).

IV. Ac verba illa Canonis *confiteatur proprio Sacerdoti* ne dubitationem, anxietatemve cuiquam injiciant, docendum publice, ſatis quemque Præcepto facere, cuicumque Sacerdoti confiteatur, quem loci, in quo Confeſſio peragitur, Epiſcopus probaverit (3). Monendi tamen Fideles, nunquam Præceptum impleri Confeſſione voluntarie nulla (4).

V. Quin & illud monendi, alia eſſe tempora, quibus Confeſſionis Præceptum ſic urget, ſive *per ſe*, ut ajunt, ſive *per accidens*, ut, illud qui negligunt, novo ſe crimine implicent. Eſt namque illud, quum neceſſitate naturæ vita periclitamur, vel ejus periculum adimus ſponte, ut milites in certamen euntes, navim ad difficilem navigationem conſcendentes, aliique hujuſmodi. Præterea quum divinum Sacrificium celebrandum, ſeu Sacra Euchariſtia ſumenda (5). De aliis vero temporibus, quum ea ſive tractare, ſive ſuſcipere aggredimur, quæ a peccatore attingi minime licet, ea moneantur, quæ in Rituali Romano diſtincte explicata ſunt (6). Quæ quidem omnia licet propius definiri non queant, ipſa tamen Eccleſia Fideles inſuper admonuit

(1) *Vid. Ind. rer. publicand. int. Miſſ. Solem. ad calc. Syn.* (2) *Trid. Seſſ. XIV. Cap. V. excunte.* (3) *Conſtat ex Extrav. int. comm. Joan. XXII.* Vas electionis *De Hæret., ex Decr. Clem. VIII.* 22. *Dec.* 1592. *Vid. prop.* 26. *int. proſcrip. ab Alex. VIII.*, & 13. *int. proſcrip. ab Alex. VII. Vid. Lamber. Inſt. XVIII. a n.* 7. (4) *Vid. prop.* 14. *int. proſcrip. ab Alex. VII.* (5) *Trid. Seſſ. XIII. Cap. VII.* (6) *Vid. Rit. De Sacram. admin. gen.* §. Quamobrem.

nuit, eisque mandavit, ut Pœnitentia se se tum etiam expiari vellent, quum ægra afficerentur valetudine.

VI. Quidnam hoc sit, & quomodo præcipiatur, Medicos in primis latere non debet. Quare ipsos compellamus hoc loco, eisque in memoriam revocamus gravissimam obligationem ipsis ab INNOCENTIO III. (1), & a S. PIO V. distinctius impositam (2), quamque tam graviter Romanum Concilium Episcoporum curæ commisit (3), tamque sedulo Prædecessores Nostri meminerunt (4). Præcipitur nimirum corporum Medicis sub gravissimis pœnis, ut ante omnia ægrotos, ad quos vocati fuerint, de Confessione peragenda commoneant, atque tertium post diem ab iis curandis abstineant, nisi ex testimonio per Confessarium relicto eis constiterit de Confessione ab infirmo aut jam peracta (5), aut Confessarii ipsius judicio in aliud tempus rejicienda; & nisi forte ita gravis sit morbus, ut sine eorum ope ægroto periculum mortis immineat (6).

VII. Quarum sanctissimarum Legum nequando irrepat oblivio, nemo Laurea in hac facultate donandus, nisi post emissam Fidei Professionem (7) juramento spoponderit, se se fideliter observaturum quidquid in Pontificum Constitutionibus ad Medicos spectans continetur. Alia de Medicis alibi (*).

VIII. Item ex Lateranensi Canone audivimus, Eucharistiam esse sumendam in Pascha. Quod quidem tempus ne unico ibi die finitum haberetur, Apostolica declaratum auctoritate est (8), illud integros quindecim dies a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis comprehendere. Hoc nimirum intervallo qui rite Eucharistiam non receperint, Ecclesiæ Præceptum violarint, & Canonicis pœnis fuerint digni, nisi aut legitimo detineantur impedimento, aut longinquius reci-

(1) *In Conc. Later. rel. in Cap.* Cum infirmitas 13. *De Pænit., & Remis.* (2) *Const.* Super Gregem Dominicum *III.* (3) *Tit. XXXII. Cap. I., & in Monitis de Medic. oblig. in Append. ejusd. N. XXVIII.* (4) *Syn. Cresc. pag.* 3. §. Id ipsum. *Extant Pastor. ejusd. Monita ad Medic., quæ in Append. legunt. pag.* 112. *N. II.* (5) *Quanta obligatio insit Confessario relinquendi hujusmodi testimonium, præter ea, quæ dicta sunt Cap. VI. huj. Par. N. XV., vid. Append. pag.* 114. §. Ed acciocchè &c., *ubi constit. pœna susp. a Confess. audiend. ipso facto &c.* (6) *Lambert. Inst. XXII. n.* 17. *Plur. de hac re idem Inst. ead.* (7) *De qua Par. I. Cap. II. N. VI. huj. Syn.* (*) *Quæ servand. a Medic., antequam judicent permitti posse esurial. dieb. vetitos cibos, tradit. Cap. seq. N. VI., & seqq.* (8) *Eugen. IV. Const.* Fide digna *XX. Id probat Bened. XIV. Epist. Encycl. ad Primat. &c. Polon.* Magno *XLVIII.* §. 22. *Bull. Tom. III.*

recipiendi tempus decernat ipse Confessarius. Hæc, ut diximus, studiose commemoranda, addendumque, Paschali Præcepto non fieri satis ab eo, qui Corpus Christi sumit sacrilege (1).

IX. Quanam quisque ætate hoc urgeri Præcepto incipiat, definitum quidem ab universali Ecclesia nondum fuit: verum hæ veluti regulæ haberi possunt. Certe quidem ii pueri ab Eucharistica Mensa prorsus arcendi, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & gustum habent (2): illi autem ad hanc Mensam evocandi, qui satis divinum hunc cibum a communi, & profano pane sciunt discernere, ac possunt satis intelligere, quid sibi apud Christianos velit sacra Communio, & qua ratione a Fidelibus suscipi debeat (3). Tempus vero, quo hæc pueris cognitio affulgeat, non æque omnibus commune est: totum id Parochus, cujus unice sit pueros ad hæc sacra Mysteria primum admittere, diligenter exploret, a parentibus percontetur, quid ipsi de eorum pietate, atque ingenio arbitrentur; Sacerdos, cui pueri confitentur peccata, nosse facile potest, quamnam illi hujus admirabilis Sacramenti cognitionem habeant (4). Ceterum quum hujusmodi cognitio intra decimum, & decimum quartum ætatis annum communiter haberi soleat (5), hanc generatim servari regulam volumus, ut nemo hujusce sacratissimi epuli ante decimum vitæ annum expletum particeps fiat, neque ab eo quisquam diutius prohibeatur, postquam attigerit annum decimum quartum (6).

X. Itaque Parochis omnibus distincte præcipimus, ut per Quadragesimam crebriorem, diligentioremque dent operam pueris, ac rudibus instituendis in iis præsertim, quæ de hoc Sacramento divina Fide credenda sunt, quaque animi religione, ac pietate ad illud sit accedendum. Tum ex Libro, qui animarum status inscribitur (7), puerorum ætatem, ex hac Instructione, aliisque rebus, quas nuper recensuimus, eorum & pietatem, & scientiam recognoscentes, quos satis comparatos repererint eligant: qua in re eorum oneramus conscientiam, ne aliquem diutius quam par sit a sacra Synaxi retardent, tantoque pueros auxilio destitui sinant. Quos vero elegerint, eos ad certum diem in Parochialem Ecclesiam convenire jubeant, ubi & ipsi

(1) *Ex prop. 55. int. proscrip. ab Innocen. XI.* (2) *Rit. Rom. De Sacr. Euchar.* §. Iis etiam. (3) *Vid. Catech. Rom. De Sacram. Euchar. n. 62., & 63.* (4) *Catech. ibid.* (5) *Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. VII. Cap. XII. n. 2.* (6) *Plur. Synod. hanc reg. statuunt.* (7) *De hoc Libro aget. Par. IV. Cap. V. N. X.*

ipſi Sacramento Pœnitentiæ expiati, Corpus Chriſti ſuſcipientes Paſchalia ſolemnia cum gaudio celebrent. Et Parochi quanto majore apparatu Functionem hanc perficere ſatagent, brevi ſermone præhabito, piiſque additis cantibus, & precibus, tanto altius & pueris ipſis hujuſce diei memoriam inſigent, & eo ferventiora in circumſtantibus, qui hæc non ſine lacrymis ſpectare ſolent, pietatis ſenſa excitabunt.

XI. Locus eſt etiam Eccleſiaſtica lege definitus, in quo quiſque Præceptum hoc impleat; nempe in propria Parochiali Eccleſia, & non alibi, ne in Metropolitana quidem (1), niſi ex Noſtra, aut Parochi ipſius facultate: Parochi vero medium prudenter teneant, nempe ut ne in ea concedenda aut ſe ſe nimis faciles, aut difficiles nimis præbeant. At iis, qui hujuſce Præcepti cauſa Parochiam adeunt, Parochi ſuiſmetipſi manibus Euchariſtiam porrigant; tum ut oves Paſtoris ſui faciem ſaltem in anno cognoſcant, tum etiam quia, ſiquis eſſet ab hac Menſa publice repellendus, nemo omnium melius ſuo Paſtore id nòſſe poteſt: itaque Paſchali tempore ne hanc Functionem alteri facile ipſi committant. Ab hac lege adeundæ Parochiæ excipi certum eſt vagos, peregrinos, advenas: hi enim, ubilibet Euchariſtiam ſumant, Præceptum implent, niſi ſecus ferant alicubi aut conſuetudines, aut Synodalia Statuta (2). Deindè qui juſtis ex cauſſis a propria abſunt Parochia, modo redeuntes certum ferant Paſchalium Sacramentorum teſtimonium: at ſiquis Paſchali tempore a Parochia abeſſet, ut Paſtoris ſui vultum effugeret, quamvis Euchariſtiam alibi ſumeret, obligationi ſatis non faceret ſuæ. Tandem Sacerdotes, ubicumque Paſchali tempore Miſſam celebrent, nulla amplius Præcepti lege obſtringuntur. Quæ licet ita ſe ſe habeant, Sacerdotes tamen, qui nulli Eccleſiæ addicti ſunt, & Clericos ſimiliter alios hortamur, ut, quod antiquiſſimo Eccleſiæ ritu cuſtoditum eſt, omnes Euchariſtiam e manibus Noſtris Feria Quinta in Cœna Domini recipiant: inque hoc Cœnam ipſam Domini, in qua Princeps Paſtorum Chriſtus Jeſus panem vitæ æternæ Apoſtolis manducandum tradidit, mutua pietate, & charitate recolentes imitabimur. Quid de Sæcularibus famulatui addictis Regularium, alibi (3).

XII. Ad illos autem, qui vel auctoritate publica carceribus, vel

(1) *S. C. C. in Liman. in Sutrin.*, *&* *in Peruſ. Menſ. Sept.* 1649., *&* 23. *Januar.* 1688. *Bened. XIV. in Epiſt. Encycl. de qua ſupra* §. 21. *Vid. eund. Inſt. ead. ibid.* (2) *Vid. Rit. Rom. De Commun. Paſch.* §. Dabit. (3) *Nempe Par. IV. Cap. VII. N. V. huj. Syn.*

vel domi diutius afflicta valetudine detinentur, Christi Domini Corpus est per id tempus solemniter deferendum, eo nempe nomine, ut Ecclesiastico Præcepto obsequantur (1).

XIII. At Parochi tempestive sibi comparent schedas quotannis novas, easque diversas; eas minister, pone sequens Sacerdotem Eucharistiam porrigentem, singulis, quum communicaverint, tradat, atque hi manibus sumant, ac servent. At diligenter admodum caveat minister, necui tradat non communicanti, aut necui communicanti plures, quam unam. Nam si consulto id faciat, sæcularem multabimus carcere, Clericum suspensione a divinis.

XIV. Exacto Paschali tempore Parochus singillatim illas repetet; unde facile quinam Præceptum impleverint, qui non, colligere poterit. Hoc igitur, quoad sibi liceat, exequatur ipse per se, nec indiligenter quidem: etenim non desunt, qui Parocho schedulam ipsam reddentes illudant; quidam vero tempore Paschali absentes, ac reversi domicilium transferunt suum in aliam a priore Parochiam: quod idem de iis, qui apud nos studiorum caussa morantur, idemque de iis, qui aliorum servitiis addicti sunt, fieri haud raro solet. Hi omnes facile queunt Communionem ementiri. Quare ne in re gravissima Parochorum elanguescat industria, inter se ipsi conveniant, atque num ii præsertim omnes, quos diximus, ac ubinam Paschalem Communionem sumpserint, inquirant diligenter, neque conquiescant, donec facti veritas in aperto posita sit.

XV. Atque utinam nullus Parochus quemquam eorum deinceps offendat, qui cœleste convivium respuunt, amantissimamque Pastorum suorum curam frustrari satagunt! Quod si ejusmodi aliquem nihilominus compererit, continuo tanquam bonus Pastor eum conveniat, amice loquatur, caussas exquirat, quibus a Communione abstinuerit, moneat, hortetur, obsecret, seque ipsum, quibus eum juvare rebus potest, peramanter obserat: neque ab hisce charitatis officiis cesset, nisi quum oviculam, quæ errabat, humeris suis impositam ad ovile deduxerit. Hæc privatis sermonibus. Si tamen nihil ista profuerint, jam ad ipsum baculi Pastoralis usum veniendum.

XVI. Itaque dum ea omni charitate geruntur, Dominica ipsa secunda a Paschate, tum tertia, tum etiam quarta elata voce generatim, tacito nempe cujusvis nomine, in Missa significet Pastor, si-qui adhuc Præcepto Communionis Paschalis non obtemperaverint, eos diutius non fore expectandos, sed pœnas illis ab Ecclesia prorsus

(1) *Rit. ibid.* §. Ægrotis.

fus impendere. Et qui obſequi abnuerint, eorum nomina, cognomina, ætatem, & Parochiam in indiculo deſcripta volumus ad Nos tranſmitti ante feſtum Aſcenſionis Domini Noſtri diem. Noſtrum erit, iis præhabitis, quæ jus poſtulat, declarare eos in pœnas Canonicas incidiſſe, utque interdictorum nomina publice Templi Januis affigantur, edicere. Interim caveant Parochi, ne Euchariſtiam miniſtrent eorum cuiquam, quos declaraverimus nominatim interdicto ſuppoſitos, niſi teſtimonium ferant Confeſſionis habitæ in Curia Noſtra recognitum.

XVII. Quod ſi nihiloſecius obduruerint, atque contumaces eſſe perſtiterint, eo tandem coacti, atque dolentes deveniemus, ut in ipſos nominatim excommunicationis majoris ſententiam feramus, eruntque evitandi ab omnibus Chriſti Fidelibus, tanquam ab Eccleſiæ communione præciſi.

XVIII. Sed præterea tenentur Fideles in mortis periculo conſtituti Euchariſticum Sacramentum accipere (1), utque communis Doctorum vox eſt, jure divino (2). Quum vero Noſtrum ſit curare, ut id ipſum juxta Eccleſiaſticas Sanctiones ſervetur, atque impleatur; propterea animarum Paſtores ſerio monemus hoc loco, ut ſedulo invigilent, ne quiſquam ſuorum tantis præſidiis non munitus e vivis excedat. Ubi igitur primum cognoverint decumbere aliquem non leviter ægrotantem, ipſum conveniant, blandeque ſolantes in memoriam revocent, quæ tum maxime Chriſtianum hominem cogitare par eſt; deinde, niſi apud alium Confeſſionem peregerit, de hac agant, tum de Euchariſtia, quam ex charitate in Chriſtum Jeſum expetere homo iter in Cœlum jam jam facturus ſponte ſua deberet. Quare ne unquam hac in re curam ſuam, operamque omnem Parochi deſiderari patiantur.

XIX. Neque ſemel tantum in eadem infirmitate, ſed iterum, ac ſimiliter tertio Sacroſanctum Viaticum deferri poteſt, ac debet, præſertim ſi ipſimet ægrotantes iterum cœleſtem hunc Panem eſuriant (3). Sin autem quis citra vitæ periculum ſatis incommoda valetudine ad longum tempus utatur, hunc hortetur Parochus, ut ſaltem in ſolemnioribus Feſtis Euchariſtico ſe Pane reficiat, neque hunc ſponte petenti deneget: ſi enim negaret, culpæ reus fieret non in parvo plectendæ.

XX. At poſtulare neſcient pueruli divina hac nunquam dape refecti, graviſſimis licet languoribus ſentiant ſeſe ad mortem contendere. Idcirco nos Parochos ſerio adhortamur ac monemus, ne pa-

T tian-

(1) *Trid. Seſſ. XIII. Cap. VI.* (2) *Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. VII. Cap. XI. N. 2.* (3) *Bened. XIV. ibid. Cap. XII. N. 5. ſub finem.*

tiantur, omnes pueros indiscriminatim interire sine Christi Corporis Viatico, illudque iis præbendum præcipimus, quos ipsi, diligenti præmisso examine, tanta compererint pollere ingenii perspicacia, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum & firmiter credant, & reverenter adorent (1). Idque sibi persuadeant, non leviter eos delinquere, qui pueros etiam duodennes, & perspicacis ingenii sinunt ex hac vita migrare sine Viatico, quia nunquam antea Eucharisticum panem degustarint: itemque secum ipsi considerent, tantam non desiderari ætatem, ut quis in mortis articulo & possit, & debeat Sanctissimo Viatico muniri (2). Sint igitur Parochi hujusmodi pueris male se habentibus præsto, suumque esse existiment eos, quos ad exitum vitæ properare noverint, summatim de sacris hisce mysteriis edocere, atque iis, quos satis divinum panem a vulgari distinguere, atque aliquo pietatis erga illum sensu tangi intellexerint, tuto, libenterque gustandum præbeant.

XXI. Quibus rebus omnibus perspicuum fit, necessarium prorsus esse, ut Parochi frequenter infirmos invisant: ipsi vero per se Sacramentum deferant; &, quatenus vere nequeant, substituant Sacerdotem Confessionibus audiendis probatum, nisi hic ægrotanti jam adesset (3). Quum vero quovis semper tempore urgere possit Viatici deferendi necessitas, perficiant omnino Parochi (ut alibi injunctum (4)), ut ne consecratæ unquam Particulæ desint. Nam si forte desint, non idcirco licet Sacerdoti non jejuno Sacrum facere, ut ægroto jam jam decessuro sacrum Viaticum paret (5). Immo etiamsi post Oblationem illi præbeatur particula consecranda ægroto, qui brevi moriturus videtur, eam mente prius oblatam consecrare quidem poterit, si nondum Canonem cœperit: at si Canonem cœpit, illi potius licebit Hostiam, quam ad Sacrificium consecravit, abrumpere, ejusdemque particulam ad infirmum deferre (6).

XXII. Hæc omnia tamen gerenda, quanta maxime fieri potest, religione, ac pietate. Namque indecorum plane est, quod ab aliquibus inter spectabiliores familias fieri indoluerat Prædecessor Noster Crescentius (7), deferri scilicet tremendum Mysterium ad ipsarum infirmos privatim, secreto, nullo signo, nulloque comitatu; perinde

(1) *Id. ibid. N.* 3. (2) *Id. ibid. sub init. N.* 1., *&* 3. (3) *S. Car. Conc. Prov. IV. Par. II. Tit.* Quæ ad Euch. Sacr. pert. §. Ad ægrum. (4) *Par. hac Cap. IV. N. V.* (5) *Bened. XIV. De Sacrif. Miss. Lib. III. Cap. I. N.* 3., *& Cap. XVI. N.* 8. (6) *Bened. XIV. ibid. N.* 3. (7) *Syn. Cresc. pag.* 58. §. Abusum.

inde quasi aut leviter se se Cœlestis Regis Majestas in subeundis terrestribus nostris domibus, fœtidisque nostris corporibus demitteret, aut Christianis esset in ejusmodi Hospite excipiendo, quod erubescerent. Caveat igitur Parochus, nequid simile citra periculum moræ impatiens in Nostra Diœcesi geratur, aut geri sinat: Nostrum enim haud leve sibi subeundum esset judicium.

XXIII. Quandocumque igitur Sacrum erit Viaticum deferendum, etsi magnificum sæpe apparatum cogi non sinent nimia, præsertim in villis, & agro, viarum longinquitas, ac difficultas, repentina, ac urgens infirmi necessitas, ipsa etiam interdum noctis hora tardior, hæc tamen servari, ubicumque possit, mandamus. Primo ut ære campano populus ad Parochialem Ecclesiam Sacramento comes iturus convocetur: deinde ut super illud toto itinere tendatur umbella utrinque obducta serico panno albo (*), tum præeat, qui tintinnabulum identidem pulset, eumque sequatur populus ordinatus: hic, si fieri posset, ardentibus cereis facibus instructus incedat; at faces saltem quatuor, eæque Sacerdoti propiores includantur, quo securius ardeant, laternis. Sacerdos vero Eucharistiam portans aperto incedat capite; neque sane contra aeris injurias uti pileolo posset per Urbes, & Oppida, nisi venia ab Apostolica sede impetrata, per Villas ab Episcopo suo (1); ne gressum properet, Psalmos, Hymnos, aliasve Ecclesiæ preces cum suo agmine recitet, oculos in id, quod manibus complectitur, defixos teneat, sicque se habeat, ut ipsum præ omnibus credere, ac venerari videatur. Quumque ad infirmi domum pervenerit, sacram Pyxidem in mensa deponat, quam antea ornandam ipse curaverit. Cetera peragat, de quibus Rituale Romanum.

XXIV. Sicui necesse omnino sit Sacrum Viaticum noctu ministrare (quo tempore alioqui, quoad licet, abstinendum) publicum detur signum ad primas noctis horas: at mulieres domo ne pedem efferant; satis enim suæ singulæ pietati faciant, si Corpus Christi venerentur privatim, proque infirmo illo orent, sicque Indulgentias lucrari, & pari apud Deum merito cum aliis certare poterunt.

XXV. Ceterum nullus est dies, quo vetitum sit Sacro Viatico Fideles decessuros munire: & ipsa Feria sexta in Parasceve omnino id licet. Hæc tamen per hosce dies servanda: nempe, ut populus convocetur sine ullo æris sonitu; deinde ut preces in itinere reci-

 tentur

(*) *Hæc umbell. pluvio temp. permittitur super. tecta cerata tela, at subtus obducta sit decent. tela alb. color., sitq. form. congr.* (1) *S. C. R. in Januensi* 1695.

tentur omnes voce submissa, & Psalmis addatur præter eorum dierum consuetudinem *Gloria*; tum in reditu ad Ecclesiam ne populus cum Pyxide benedicatur (1).

XXVI. Nam duæ communiter, quum ad infirmos Sacramentum defertur, Particulæ assumendæ; quarum altera, peracta Communione infirmi, ad Templum iisdem ritibus revehatur. Et Parochus antequam Sacramentum in Tabernaculum inferat, ad populum conversus pauca, si non importunum fore intelligat, verba faciat sive de tanti Mysterii dignitate, & cultu, qui illi debitus est, sive de humanæ vitæ brevitate, ac mortis horrore, & acerbitate maturius præcavenda. Monere saltem adstantes nunquam prætermittat de Indulgentiarum Thesauro, quarum particeps est quicumque comes Sacramento fuerit (2), utque omnes, quæ sibi quisque necessario, ac difficili tempore exoptaturus esset a Deo Optimo Maximo, pie infirmo illi deprecetur. Deinde Benedictionem ipsa Pyxide elargiatur.

XXVII. At si homini in extremis laboranti conferenda confestim sit extrema Unctio, si habitet ille in parte ab Ecclesia remota, si ad ipsum accessus, non nisi per asperas, aut quavis de caussa difficiles vias concedatur, si conveniendus sit nocte, quodcumque ex hisce adjunctis urgeat, unam tantummodo satis erit Sacrati Panis Particulam ad illum perferre, & ægrotante munito Sacro Viatico, populus dimittendus. Pyxidem autem Parochus inanem seponat, quam secum deinde referet.

XXVIII. Omnibus denique Christi Fidelibus commendatum maxime volumus, ut, quum Venerabile Sacramentum e sua Sede ad infirmos transferri contigerit, frequentes conveniant, atque illud quanta maxime possunt religione, atque cultu comitentur: essetque maxime religiosum, ac pium, ut ex Patribusfamilias, quibus congruæ suppetant facultates, singuli unam, aut plures cereas faces domi ad hoc pium officium sepositas haberent, & quoties deferendæ ad ægrotos Eucharistiæ signum audirent, vel ipsi, vel eorum filii natu majores, vel famuli ad templum accurrerent, Viaticum accensis facibus comitaturi.

XXIX. Hactenus ut ea serventur, quæ nobis sunt ex Præcepto injuncta. Ceterum quotiescumque Christianos illos mente repetimus, qui in exordiis Ecclesiæ erant perseverantes in communicatione fractionis Panis (3), unde tanta morum integritate vivebant, ut quotidie

(1) *S. C. R.* 15. *Maji ann.* 1745. (2) *Hæ Indulg. legunt. in Append. pag.* 116. *N. III.* (3) *Act.* 2. 42.

tidie ad ſacra Dominici Corporis Myſteria ſumenda parati invenirentur (1), quumque deinde oculos ad conſequentia tempora deflectimus, quibus Eccleſia paulatim eo devenit, ut filios ſuos ejuſdem Fidei profeſſores graviſſimo Præcepto adigeret ad eluendas animæ ſuæ maculas ſemel ſaltem in anno, atque ad Euchariſticum cibum ſumendum ſaltem in Paſchate, ecquis Chriſtianus animus a lacrymis temperet? Vix ſane unum eſſe arbitramur, qui non temporibus illis invideat, vicemque noſtrorum tantopere in deterius commutatam non doleat, quique, ſi grandi ſit charitate, non primævum illum morem revocari cupiat, & a divina pietate vehementiſſime exoret. Hoc quidem optaret univerſalis Eccleſia, quemadmodum in Concilio Tridentino congregata profeſſa eſt (2), ut in *ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolo ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Quaproter etſi alibi commendaverimus, ut omnes ad hæc Sacramenta frequenter accedere ſatagant, hoc etiam loco Nos ipſos temperare non poſſumus, quin eandem iterum rem paterno charitatis affectu urgeamus. Sit una igitur Parochorum, Concionatorum, Catechiſtarum omnium vox, qua in Fidelium animis inſigantur, quæ ad utriuſque hujus Sacramenti deſiderium excitandum valent; unde non ſolum nemo ſe ſe deinceps ab ipſorum ſumptione Præcepto urgente ſubducat, ſed redeuntibus potiſſimum majoribus Eccleſiæ Solemnitatibus, immo multo etiam ſæpius omnes ad illa cupide, ac religioſiſſime accedant.

CAPUT III.

DE JEJUNIO.

TAm *vetus eſt jejunium*, animadvertit S. Baſilius, *ut ſimul cum homine condito cœperit* (3). Nempe ut homo in ipſo Paradiſo voluptatis, ubi poſitus fuerat, ſe ſe Conditori ſuo ſubjectum ſingulari aliquo argumento teſtaretur, Conditor ipſe a quodam illi cibo abſtinendum indixit (4): & D. Hieronymus (5) inſigne præmium duxit, quod a Deo Moyſes, ut ſibi denuo conſcriberentur

Legis

(1) *Cap.* Peracta 10. *De Conſecr. Diſt.* 2. (2) *Trid. Seſſ. XXII. De Sacrif. Miſſ. Cap. VI.* (3) *S. Baſil. De Jejun. Hom.* 1. (4) *Gen.* 2. 17. (5) *Lib.* 2. *cont. Jovin.*

Legis Tabulæ, jejunando impetraverit. Sed quod omnium præstantissimum est, quodque omnem jejunii laudem continet, Christus Jesus quadraginta integros dies jejunio traducens illud in se ipse velut consecravit, ac supra modum extulit, commendavitque: quo vel maxime exemplo Sponsa illius Ecclesia jejunandi legem imponi sibi sensit, perpetuoque Præcepto sancivit. Eandem itaque sacratissimi jejunii legem dilectissimus grex Noster ita amplectatur, ut non modo eam sibi quisque, prout obstringitur, omni studio servandam proponat, sed ne ullam quidem ab aliis injuriam illi inferri patiatur. Nos autem, etsi quædam sub Quadragesimam de Jejunio per Edictum singulis annis commemorare opus sit, interim Sanctissimorum Pontificum sensa gravissima arripientes, quæ in hanc rem magis facere possunt, hoc loco aperiemus.

I. Ne sacrorum jejuniorum dies occupatis præsertim, ac rudibus ignorati prætereant, duo præstanda omnino sunt: alterum est, ut in qualibet Parochiali Ecclesia populus quovis Dominico die publice moneatur de jejuniis hebdomada ipsa peragendis; alterum, ut singuli jejunii dies, qui etiam per annum incidunt, in memoriam revocentur Fidelibus sub vesperam præcedentem, hoc est paulo post horam vicesimam quartam, æris campani signo, in Civitate a Metropolitana edito, in Diœcesi a Parochiali Ecclesia: immo tale signum edi volumus, atque mandamus ab Oratoriis in Diœcesi, quæ a Parochiali distant supra mille passus.

II. Et Parochus quidem aperte esse quosdam profiteatur, quos pia Mater Ecclesia Præcepto nequaquam vult adigi. Quare quos teneri, quos non teneri certum est, generaliter saltem edoceat: eruntque ii reprehendendi, qui ob qualemcumque sibi necessarium laborem ab hac sanctissima lege exceptos se se facile judicant; simul etiam edocendi, quinam labor ab hoc onere liberet. Neque enim omnes liberari certum est, propterea quod aut in Republica laborent, aut iter agant equitantes (1). Quoniam vero a quibusdam post meridiem protrahi nimium solet hora prandendi, unde alienis præsertim servitiis addicti occasionem violandi jejunii nanciscuntur, Dominos omnes serio monemus, atque hortamur enixe, ut certam prorsus rationem ineant, qua ipsum servari ab illis, neque vero nimis difficulter possit. Neque enim, si secus fecerint, se coram Deo culpa vacare existiment.

III.

(1) *Vid. propos.* 30., *&* 31. *int. proscript. ab Alex. VII.*

III. Omnibus deinde ea jejunii commoda, & laudes enumerent, atque deprædicent, quarum pleni sunt piorum hominum Libri, quasque inter Ecclesiæ Patres Leo præsertim, ac Basilius commemorant. Quum autem aliquis hujus abstinentiæ fructus partim ad acuendam naturalem animi vim, partim ad ipsam corporis firmitatem referantur (hisce enim rationibus homines excitari etiam convenit), illud cum primis in jejunio commendando spectent, ut ipsum omnes ea mente ac voluntate aggrediantur, quæ maxime Christianum decet; videlicet, ut Filio Dei, qui tanta pro nobis unice pati voluit, conformes fiant, ut viam sibi parent ad Cœlum, quo ingredi quicumque velit, multa patiatur necesse est, ut aliquam divinæ justitiæ pœnam pro contractis sceleribus luant, ut Ecclesiæ, atque adeo Deo per ipsam imperanti se se subjiciant, ut naturæ vitia comprimant, ut exemplo aliis sint in ædificationem, atque hujus generis alia, quæ sunt copiosissima. Hæc nempe si populus in animum inducat, leve sibi onus imponi sentiet, ac levioris deinde negotii Parocho erit errores solvere, difficultatesque quorumdam negligentiorum obterere.

IV. Postulat nihilominus multitudinis inscitia, ac ruditas, ut iterato, patienterque edoceatur, diebus jejunio sacratis a carnibus animalium terrestrium, ac volatilium, ac præterea a dapibus illis, quæ *sementinam* (verbis utimur Canonis (1)) *carnis trahunt originem, lacte videlicet, caseo, & ovis*, esse sibi penitus abstinendum. Deinde edoceatur, unico prandendi actu eum diem esse transigendum, nec præterea licere nisi pertenue aliquod jentaculum, esseque in hisce omnibus habendam horæ rationem: quibus Parochus tradendis probatiores præ oculis scriptores habeat, atque potissimum propositiones, quas hac de re aliquot Summi Pontifices confixerunt. Hæc generaliter.

V. Nam declarandum insuper est, eis, quibus ex legitima caussa, atque facultate fas est uti vetitis cibis (*dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat* (2)), quasdam esse conditiones impositas: nempe, ut semel tantum in die hujusmodi sumant cibos; tum vero qui carnibus uti potest, etsi potest simul ovis, lacte, caseo, attamen eodem actu piscibus plane interdicitur; idque Dominicis etiam per Quadragesimam diebus, quibus unius comestionis lex minime urget. Insuper jentaculum esse debet iis prorsus ex cibis, quibus utuntur viri meticulosæ con-

(1) *Cap.* Denique Sacerdotes *fin. Dist.* 4. (2) *Bened. XIV. Const.* In suprema *XXVII.* §. 2. *Bull. Tom. I.*

conſcientiæ, quum jejunant. Hora etiam jejunantibus præſcripta ſervanda eſt (1); neque licet extra unicum illud prandii tempus potionem ſumere lacte permixtam (2).

VI. At qui ſe ſe ad jejunandum minus fore idoneos ſuſpicantur, ne judicio ſuo jejunium violent. Audaciæ hoc eſſet in Eccleſia nequaquam ferendæ, in quam Concionatores, & Parochi acriter invehantur. Non enim niſi legitima ex cauſſa, & de utriuſque Medici conſilio fas eſt (3). Tunc ſolum ergo, atque eatenus hac ſe ſe lege ſolutum quiſquam exiſtimet, quatenus Medicus ſcite, prudenterque judicet, non eſſe parem jejunio quoad hanc, illamve partem, & Canonici Pœnitentiarii, præhabito conſueto Parochi teſtimonio, in Civitate, & Parochi in Diœceſi facultas intercedat. Quæ omnia ſcripto firmanda. Utrumque plane neceſſarium, quum neque Medicorum ſit non ſervandi Præceptum copiam facere, neque Sacerdotum de morborum genere judicare. At ſicubi Medicorum copia non ſit, ſolius Parochi licentia ſufficiat.

VII. Medicus autem quum rogatur ſententiam in hoc negotio ſuam dicere, meminerit rem ſane gravem ſibi committi, nec temere, ſiquid Eccleſiæ Præcepta veretur, finiendam. Profecto quum SS. Pontifici BENEDICTO XIV. (4) viſi quidam Medici fuiſſent, qui *facilitate quadam incredibili peculiares quidem cives a Quadrageſimæ Præcepto liberos, & immunes decernere ſoleant*, docti ab eo ſumus, ut Medicos Noſtræ Civitatis, ac Diœceſis graviſſime moneamus, ne, quum de cujuſquam imbecillitate judicant, reſpiciant vultum pauperis, aut potentis, ſed hæc ſincere, quæ ſubjicimus, perpendant.

VIII. Nempe an morbus ille, qui indicatur, ſatis exploratus ſibi ſit, ac certus: deinde ſi non tam de morbo, quam de morbi periculo agatur, an hoc certum ſit, idemque proximum, vel tale, ut ſaltem dubitandi locus prudenter occurrat. Præterea an tale ſit periculum, cui ſit hujuſmodi remedio occurrendum: namque ubi ſatis fuerit lacticiniorum eſus, carnium concedi non poteſt; & ubi lacticiniorum, vel etiam carnium ſatis fuerit ad aliquot dies, ad plures protrahi plane nefas eſt. Denique eas duntaxat carnes permittant ſingulis, quas ad recuperandas, ſeu graviter non debilitandas corporis vires profuturas cognoſcant (4). IX.

(1) *Ex Litt. in Form. Br. Bened. XIV.* Si Fraternitas *Bull. Tom. I. ſub N. IC.* (2) *Epiſt. Encycl. Clem. XIII.* Appetente 20. *Dec. MDCCLIX.* (3) *Ben. XIV. Conſt.* Non ambigimus *XIX. Bull. Tom. I.* (4) *Encycl.* Libentiſſime §. 25. *Bull. Tom. I. N. CXXX.* (5) *Hæc omnia ex Lambert. Inſt. XV. n.* 17.

IX. Verum interim dum Medicos hisce finibus coercendos curamus, monendi Patresfamilias, ne privata sua auctoritate, quam pro uno, aut altero obtinuerant, facultatem ad filios, quosque habent domesticos facile extendant: illi quidem caussantur, duplicem epularum apparatum graviori sibi esse impendio, quam census ferunt; at quemadmodum in hujusmodi excusationibus veritas interdum inest, ita non raro simulatio, atque fraus. Itaque declaramus facultatem uni, aut alteri concessam ad alios extendendam non esse, nisi intercedat Parochi proprii judicium, qui testetur, duplicem expensam fieri non posse; atque tum in ipsa facultate totam familiam volumus explicari. Viderit itaque pro sua conscientia Parochus in singulis caussis, quid concedi, quidque negari queat.

X. Illud etiam interdum accidit, ut indociles quidam, ac turbulenti Magistratus accusent primum Sæculares, deinde etiam Ecclesiasticos, quod generalem, totique Civitati, seu Municipio, seu Cœtui communem veniam vescendi lacticiniis, vel etiam carnibus per Quadragesimam non quærant, atque obtineant; quos quidem necesse est e Parochis, & Concionatoribus intelligere, ne peti id quidem sine aperto crimine posse, nisi vera eademque communis necessitas urgeat; nempe aut ubi reipsa non suppetunt ea, sine quibus Præceptum Quadragesimæ observari nequit, vel communis item, gravisque morbi alicujus pernicies cunctis impendere censetur (1). Ac si facultas hujusmodi obtineatur, eo etiam tempore reliqua observanda, quæ jam recensuimus supra.

XI. In publicis hospitiis necui esurialibus diebus dapes vetitæ apponantur, interdicimus, nisi hospes quilibet facultatem, qua illos sibi vesci liceat, rite subscriptam protulerit. Siquid enim licentius agi in hoc deprehenderimus, plectendum a Nobis fore denuntiamus (2).

XII. Sed neque impunitum erit, sicubi choreæ, seu tripudia, seu publici ludi, seu scenicæ actiones, seu similia profanæ jucunditatis spectacula celebrata fuerint (3): qui enim talibus per hujusmodi tempora indulget, merito audire potest, nescire se, quorsum ii fuerint dies instituti. Habet communis Mater Ecclesia dies sanctæ lætitiæ, & gaudii, suos quoque habet pii mœroris ac luctus, cujusmodi sunt illi, quibus voluntaria ipsa carnis afflictatione se se Deo subjicit, totaque in eo est, ut divinæ justitiæ satisfaciat, iracundiam mitiget, ac flectat, asperiora a se flagella, adjectis demississimis

(1) *Ex Bened. XIV. ead. Encycl.* Libentissime §. 17., *&* *seqq.* (2) *Syn. Cresc. pag.* 39. §. Tabernariis. (3) *Cresc. ibid.* §. Ut autem.

mis supplicationibus, deprecetur. Idcirco verbis utentes SS. Pontificis CLEMENTIS XIII. (1), Christi Fideles curæ Nostræ concreditos monemus in Domino, & obsecramus, ut recurrente Quadragesimali tempore *pœnitentiæ stimulis tacti*, *minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur cupediarum delicias*, *quæ quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur*, *tamen eas qui mensæ apponat suæ*, *illum non immerito dixeris*, *non tam usitatas abjecisse delicias*, *quam cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse*; *minus denique aut*, *quibus se subducant a jejunio*, *quærant effugia*, *aut arguiis studeant Ecclesiasticam Legem infringere .... sed alacriter jejunium aggressi*, *& illud ad præscriptas a Catholica Ecclesia Leges observent*, *& eleemosynis etiam*, *atque orationibus sanctificent*. Ad eos vero, qui communem omnium Christi Fidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeunt, alterius Pontificis (2) verba convertentes, vehementer hortamur, *ne per alia pietatis opera ... peccata sua expiare*, *& Deo satisfacere negligant .... ut culpas de mundano pulvere contractas*, *dum casta jejunia decoquere non possunt*, *pia opera*, *orationum suffragia*, *& eleemosynæ munera redimant*.

XIII. Sed distincte notari volumus, quantum inordinatum sit in medio Christiano populo integras interdum inveniri familias, nedum peculiares homines, qui celebriora convivia, ac solatia in ipsam noctem conferunt, quæ quum bacchanaliorum sit suprema, simul est etiam sacri Jejunii prima; eoque ipso injuriis, ac bene multis afficitur. Ut plura omittamus, siquis ne signum quidem, quod ære campano ante mediam noctem e Metropolitana datur in Civitate, a Parochialibus in Diœcesi, audire voluerit, neque modum tandem, illo cessante, epulis, tripudiis, similibusve imposuerit, patientiæ Nostræ vim inferet, quæque congrua videbuntur, supplicia experietur.

XIV. Quæ conditiones iis impositæ sunt, quibus per Quadragesimam conceditur cibis vetitis uti, eædem plane tenendæ in jejuniis, quæ per annum solent incidere (3).

XV. At eum animum omnium esse volumus, ut quoties Ecclesia sacratissimum nobis Jejunium indicit, ita illud quisque aggrediatur, ut non solum, quæ manifesto Præcepto urgentur, prorsus impleat, sed illud etiam culparum fuga, & demississimis precibus Deo acceptissimum reddat. Quare Ecclesia dum Jejunium mandat, magna etiam voce pronuntiat (4): *Jejunium magnum*, *& generale est abstinere*

(1) *In Encycl. ead.* (2) *Bened. XIV. ead. Const.* Non ambigimus §.5. (3) *Ex Brev.* Si Fraternitas. *ad N. VII.* (4) C. Jejunium 25., & Nihil 23. *De Cons. Dist.* 5.

ſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi: quod eſt perfectum jejunium ..... nihil enim prodeſt homini jejunare, niſi mens ab iniquitate revocetur.

CAPUT IV.

DE DECIMIS, ET PRIMITIIS.

QUidquid in diverſis Noſtræ Diœceſis regionibus de Primitiis, ac Decimis perſolvendis aliqua ex parte viget, eſt a populis pie retinendum. Præterquamquod enim hujuſmodi fructus impendendi iis Eccleſiæ Adminiſtris, qui animarum ſaluti totos ſe ſe devovent, tam multæ, tamque præclaræ divinæ (1) hujus ordinationis cauſſæ ſuperſunt, ut eas contemnere impium foret, negligere nec religioſum, nec providum. Eſt videlicet Summi Dei Conditoris dominium, quod iſtiuſmodi muneribus veneramur, & cui noſmetipſos, quemadmodum noſtra, ſubjicimus: eſt præterea quod ipſum Deum, quem noſtris ſæpe peccatis offendimus, propitium nobis reddimus: eſt tandem quod alia nobis a Deo beneficia impetramus, quæ tum præſtabiliora ſunt, tum magis neceſſaria. Hæc plane ſacri Doctores intuentur in illo: *Decimas tuas, & Primitias tuas non tardabis reddere* (2), inque aliis hujuſmodi divinarum Scripturarum locis (3). Atque hinc Canonicis Eccleſiæ Chriſti Sanctionibus (4) declaratum eſt, eſſe eidem Præcepto inter ipſos Chriſtianos locum, ſimulque ſancitum, ut Primitiæ, atque Decimæ integre, ac fideliter Eccleſiis, ejuſdemque Miniſtris a populo conferantur: quæque in hanc rem Prædeceſſor Noſter Creſcentius ſtatuit, hoc Nos loco confirmamus (5).

I. Quicumqne ſint, qui ſive jure, ſive conſuetudine vim legis obtinente debent, prout in hac Noſtra Diœceſi legitime conſtitutum, tribuere Eccleſiis, aut hominibus ab Eccleſia deſignatis certorum annuorum proventuum Decimam, vel Primitias, hæc ab iis omnibus prompte, & fideliter tribui omnino mandamus ſub pœnis, quas ſacri Canones ſtatuunt: ac diſtincte fraudulentos, contumaces in Decimis perſolvendis, eaſque impedientes eſſe ab Eccleſiæ communione ſeparan-

(1) *Cap.* Parochianos 14. *De Decim. &c.* (2) *Exod.* 22. 29. (3) *Cujuſmodi ſunt Levit.* 23. 10., *& Deuter.* 12. 6., *Prov.* 3. 9. (4) *Toto fere Tit. De Decim., Primit. &c.* (5) *Syn. Creſc. pag.* 146. *toto Cap. IV.*

ſeparandos Concilium Tridentinum (1) Nos monet, neque ad ipſam recipiendos, niſi quidquid Eccleſiæ injuſte negarunt, eidem reddiderint.

II. Deinde ſiquid fraudis tum in re tradenda ſive deteriore, ſive ad menſuram minime juſtam, tum in majore, quam debita eſt, repetenda interceſſerit, reus, licet Eccleſiaſticus fuerit, non ſolum reſtitutione, ſed & aliis, ſi videbitur, pœnis damnabitur.

III. Siqui immunes ſe ſe ab hujuſmodi oneribus prædicent, hi, niſi immunitatem legitimis Tabulis in Cancellaria Noſtra confirmaverint, nequaquam audiantur: quo in Foro controverſiæ de hiſce rebus omnes finientur, ſola facti veritate inſpecta, & præciſis forenſibus actionibus, ſummatim.

IV. E converſo nemo audeat Eccleſiæ nomine poſcere Primitias, vel Decimas, vel Quartas partes, niſi legitime hujuſmodi juris Tabulæ extent, vel antiqua Parochiæ conſuetudo; quæ omnia jura ſatis minute deſcripta ad Noſtram Cancellariam perferri Prædeceſſorum Noſtrorum juſſione debuiſſent, & quatenus delata nondum fuerint, id quamprimum fieri mandamus, atque præcipimus.

V. Ad Eccleſiæ reditus pertinent voluntariæ quoque oblationes, quæ nempe Fidelium pietate ad Eccleſias, Altaria, atque ſacras Imagines afferi ſolent: eæ cujuſquemodi ſint ad Eccleſiæ jus referuntur. Verum non idcirco in quoſcumque uſus quiſquam convertere confuſe, & ſine delectu illas poteſt: explorandus enim offerentis animus, quodnam in pium opus inſumi cupiat quidquid ipſe exhibuerit, neque ab ea voluntate quidquam diſcedendum, ſed eadem fideliſſime perficienda (2).

CAPUT V.

DE HORIS CANONICIS.

OMnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis (3). Porro inter Sacrificia, quæ ab hominibus Deo debentur, nemo dubitat eſſe etiam, quod Scripturæ ſacrificium labiorum appellant, quo mortalibus datum eſt, ut infinitam Dei Majeſtatem & laude, & honore proſequantur. Jamque ab ipſis Apoſtolis certam quamdam orandi conſuetudinem, tanquam opus Eccleſiæ nomi-

(1) *Trid. Seſſ. XXV. Cap. XII. De Ref.* (2) *Plura ap. Monacell. Tom. I. Tit. VI. Form.* 10., *n.* 19. 20. 21. (3) *Ad Hebr.* 5. 1.

nomine habendum, in Ecclesiasticos subinde omnes derivasse **CLEMENS** Apostolicorum temporum vicinus Pontifex testificatur: quod deinde institutum & divini Officii, & Canonicarum Horarum nomine nuncupatum **PELAGIUS**, ac **DAMASUS** confirmarunt; **GELASIUS I.**, itemque duo **GREGORII**, scilicet I., ac II. Ritibus sacris auxerunt; **PIUS V.** ordinavit ad formam, qua nunc in Breviario Romano uti solemus (1). Quum vero ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio ad duodecimum usque sæculum nemo Ecclesiasticæ Militiæ nomen daret, quin etiam alicui Ecclesiæ, ut ajebant, *Canoni*, seu *Matriculæ* adscriberetur, ejusdemque stipendiis aleretur, ac viveret, nulli per id temporis erant Clerici, vel minore Ordine insigniti, qui non ad Horas Canonicas, & quidem publice in Templo recitandas convenirent: verum consequentibus sæculis, quum aliqui Patrimonii titulo adscisci cœpissent in Clericos, hoc divini Officii munus contractum pluribus est.

I. Nam præter Regulares Professos Choro ex sui Ordinis institutione addictos, de quibus non est, quod Nos dicamus, tenentur quotidie saltem privatim Canonicarum Horarum pensum persolvere omnes, & singuli Clerici, qui aut majore aliquo Ordine initiati sunt, aut Ecclesiasticum Beneficium possident; publice autem, & conjunctim in Choro, qui Beneficium habent a Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, prout in Beneficii institutione præscriptum (2): quique ex hisce Canonicis Horis sive nullas, sive notabilem earum partem nullo legitimo impedimento non recitat, eo die lethalis culpæ fit reus (3); præterea, si Beneficiatus sit, *Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii, & temporis suos non facit, sed eos tanquam injuste perceptos in fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur* (4). Hæc autem fructus restituendi obligatio non nisi post sex ab adepto Beneficio menses existit; sicque adimplenda, ut qui *Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras Horas omnes, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittant* (5). II.

(1) *S. Aug. Epist.* 119., *Clemens Rom. Lib.* 8. *Const. Cap.* 40., *S. Hiero. Lib. De Officiis*, *S. Pius V. in Const.* Quod a Nobis *LXIV.* (2) *Concil. Basileen. Sess. XXI. Can. V. Concil. Later. IV. Can. XVII. S. Pius V. Const.* Ex proximo Lateran. *CXXXV.* (3) *Innoc. III. Cap.* Dolentes 19. *De celebr. Missar.* (4) *Const. ead. S. Pii V.* (5) *Ead. Const. S. Pii V.*

II. Similiter qui Pensionem ex Ecclesiastico Beneficio, aut Ecclesiasticos fructus ut Clericus percipit, tenetur recitare quotidie Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis in totidem horas tributum; quique hujusmodi Officium, aut totum, aut ex parte sine legitimo impedimento negligunt, similiter peccant, suntque amissioni fructuum obnoxii (1).

III. Hanc porro noxam siqui contraxerint, etiamsi nullis, præter suam conscientiam, testibus, nullisque, præter suam voluntatem, judicibus, immo vero etiamsi antea largissimos in opera præscripta sumptus fecissent, eo, quo dictum est, modo castigent, nisi rei velint fieri etiam injustæ illorum fructuum occupationis, seu detentionis (2). Quamquam Nos, ubi de hujusmodi crimine rescire contingeret, vim ipsam, ut id repararent, admoveremus, ac Beneficio, vel Pensione contumaces iis servatis, quæ sacri Canones statuunt, spoliaremus. At si vocationem omnes suam tanquam insigne Dei beneficium existiment, & hoc ipsum, quod sibi injunctum est orandi munus magni semper facient, semperque gratum habebunt, quo & Deo propiores fiunt, & fratrum suorum vota Angelorum more Divinæ Majestati offerunt.

IV. Pronuntiandum est autem totum Officium distincte, & clare. Nam quemadmodum qui legendo hæret, claudicat, errat, turpe audit, nec fortasse, quid ipse pronuntiat, assequitur, ita nec facile assequitur is, qui lingua fertur præcipiti; immo si ob immodicam celeritatem verba ipsa non dicit, ne ipsi quidem obligationi satisfacit.

V. Ac ne animus a necessaria attentione deficiat, debet ad recitandum locus deligi. Esset magna coram Deo laude dignus, qui recitaturus in Ecclesia, aut in aliquo Sacello se se pie reciperet: At is saltem sit locus, qui orantem haud dedeceat, quique sit a strepitu remotior, ne huc illuc peregrinari mens facile possit.

VI. Tempus præterea, quoad fieri potest, servandum: quare ii præsertim, qui illud quasi ex consuetudine negligunt, & culpam vereantur, & pœnas, quibus divinum Officium præter præscriptum tempus persolventes a Deo plectuntur; quas ne ipsi quidem sanctissimi viri ob leviusculam negligentiam evadere interdum potuerunt (3).

VII. Ritus vero potissimum, ut omnes uno ore honorificemus Deum, tenendus. Est enim distincte præceptum, ut in Canonicis Horis legendis utamur Romano duntaxat Breviario, quod jussu Sancti

(1) *Ex ead. Const.* (2) *Ex propos.* 20., & 33. *int. proscr. ab Alex. VII.* (3) *S. Petrus Damianus Opusc. XXXIV. Cap. VI. Vid. Lambert. tot. Inst. XXIV.*

Sancti Pii v. ex Concilii Tridentini auctoritate editum est. Quare Kalendarium jussu Nostro edendum quotannis omnes, qui Officium recitare tenentur, sibi comparent, atque eodem utantur: quamvis non idcirco excludi velimus peculiaria quorundam locorum Officia, prout Rubricæ, & Romanarum Congregationum Decreta ferunt.

VIII. Sed quidam, uti paulo ante docuimus, tenentur divini Officii munus publice in Choro, conjunctim cum aliis, statis horis persolvere: atque hi quidem tale sacrificium laudis majore cum dignitate, atque fructu Divinæ Majestati obferre posse videntur. Quapropter quotquot Metropolitanæ Nostræ Choro addicti sunt, eos, quantum possumus, vehementissime hortamur, ut divinis laudibus recitandis, aut decantandis omni religione, atque cultu sedulo incumbant, præscriptamque omnes ore, habitu, corpore, ritibus disciplinam, ac legem teneant: nihil aut agant ipsi, aut etiam cogitent, quod & loci, & habitus, & muneris sanctitate, atque decore minus dignum videatur. Interea quædam generatim proponimus omnino servanda.

IX. Ac primo, ut hora Chori, non solum editis ære campano signis, sed etiam in loco rigide teneatur: est & sacris Ministris, & popularibus incommodum, & querelarum caussa, tum si antea, quam præscriptum est, sacræ Functiones inchoentur, tum si vel paulisper protrahantur. Attenuatam in hoc diligentiam quamquam severius privati non debent exquirere, neque tamen ut supervacaneam potest is, ad quem hæc spectant, negligere.

X. Omnes insuper meminerint, teneri se Choro interesse congruo, & consueto ornatos indumento pro temporis, ac muneris sui ratione: quod nisi fecerint, tanquam absentes habendi.

XI. Deinde meminerint, teneri se, ceteris sive cantantibus, sive psallentibus, ea, qua decet, pietate, attentione, ac vigilantia omnino cantare, vel psallere: decretum est enim, atque statutum, *Canonicos Choro quidem interessentes, adsistentesque, minime vero canentes, psallentesque, nullo pacto ex Præbendis, & Distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse, ac fore* (1).

XII. Omnes Horæ integræ singulis diebus recitentur in Choro Metropolitanæ, nec ulla harum, quæcumque incidat caussa, omittatur. Item quibus diebus recitari debet, ac solet in Choro Officium Beatæ Mariæ Virginis, Defunctorum, seu Psalmi Pœnitentiales, vel Graduales, nequid horum omittatur.

XII.

(1) *Bened. XIV. Litt. in forma Br.* Præclara decora §. 8. *Bull. Tom. III. in Supplem. N. IV.*

XIII. Omnes, & ſinguli, qui Choro interſunt & Præfecto Chori, & Cæremoniarum Magiſtro in iis, quæ ad Chori ſervitium ſpectant, alacres pareant; neque ullus unquam ſuam operam in iis, quæ ad ſacrarum Functionum perfectionem, ac decus ſunt neceſſaria, deſiderari patiatur (1).

XIV. Sed curandum diligenter eſt, ut qui Choro addicti ſunt, eidem frequentes toto divinorum Officiorum tempore religioſe interſint, ac ſerviant. Quare ſiqui præter tempora jure conceſſa, ſive cauſſas eodem jure probatas e Chori ſervitio, aut toto die, aut aliqua illius parte ſe ſe ſubducant, aut non ita impleant, uti præſcriptum, præter culpam, quam pro negligentiæ qualitate contrahere poſſunt, eſt hiſce defectionibus propoſita pœna, ut pro earum ſingulis rata Diſtributionum portio abſenti, ſive delinquenti ſubtrahatur, in reliquos æque diſtribuenda, qui actu Choro rite interſunt: & quamvis optabile minime ſit, quemquam illius pœnæ reum fieri, nihilominus vi, & jure Concilii Tridentini ſumenda omnino eſt, quin locum ullum habeant colluſiones, remiſſiones, vel cujuſquemodi pacta (2): immo neque Capitulum, neque Epiſcopus ipſe poteſt amiſſas de jure Diſtributiones cuiquam remittere (3).

XV. Quo circa eligentur ſingulis annis a Capitulo duo Canonici, olim *Obedientiales*, nunc *Punctatores* dici ſolent (4): horum alteruter Canonicorum, & Manſionariorum defectiones ſigillatim notabit, ac protinus in Codicem referet. Neque vero dubitet quiſquam, quominus hoc illi munere ſint diligentiſſime perfuncturi. Simul ac enim electi ipſi fuerint, jurabunt coram Capitulo, ſe ſumma fide ſervaturos quidquid & Statuta Capituli, & Synodales ſuper his Conſtitutiones ſervandum edicunt. Siquid porro Punctuarius ipſe ſocorditer permitteret, ut ad alios, quam quibus debebatur, Diſtributio perveniret, ipſe ſe ſe in obligationem hanc illis reſtituendi ſponte ſua conjiceret: quæ profecto ne ſuſpicari quidem in mentem venit. Sed certe magna ſibi opus eſt tum vigilantia, tum erectione animi, & conſtantia, nequid unquam humanis cupiditatibus tribuat; quæ proinde ex munere quoque Noſtro eidem vehementer commendata voluimus.

XVI. Hæc autem punctandi ratio omnino ſervanda: integro unius diei ſervitio octo punctationes reſpondeant; una ſcilicet Matutino,

(1) *De Cærem. Magiſt. Par. IV. Cap. III. N. XI., & ſeqq.* (2) *Trid. Seſſ. XXIV. De Ref. Cap. XII.* (3) *S. C. C. ap. Lamb. Inſt. CVII. n. 24.* (4) *Bened. XIV. De Syn. Lib. IV. Cap. IV. n. 2.*

no, ac Laudibus; una item & Missæ cantatæ, & singulis ex reliquis Horis. Qui Choro aderunt in Matutino post primum Psalmum Nocturni, in reliquis Horis post primum Psalmum, in Missa ultimo Kyrie decantato, hi omnes tanquam absentes punctatione plectendi, quæ Horæ illi respondeat; item qui a Choro abscedit, antequam expleatur ultima Oratio Missæ, aut alicujus Horæ, punctandus perinde, ac si neque Missæ, neque Horæ illi interfuisset (1). Similiter siqui ex iis, qui adsunt in Choro, proptereaquod vocandi sint, ut Missam Solemnem canant, aut eidem inserviant, Horas privatim recitando præveniant, & hi punctatione ne careant, quæ Horis respondeat, quas secum ipsi privatim legunt.

XVII. Duo item Punctatores eligantur e Beneficiatorum Collegio, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, & hi juramentum præbeant coram Collegio, se se omnia juste, atque fideliter præstituros, iique, prout de Canonicis dictum nuper est, munus impleant suum.

XVIII. Verum ex Ecclesiæ pietate quædam sunt caussæ, quibus siquis a Choro absit, non idcirco Distributione privandus: hæ enumerantur a BONIFACIO VIII. (2), suntque *infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas*: illud Decretum in usum revocat Concilium Tridentinum (3). Verum in hisce caussis rite observanda & sacræ Congregationis Decreta, & Prædecessorum Nostrorum Statuta, nequando Distributiones iis decernantur, quibus debitæ minime sunt.

XIX. Placet hæc præsertim commemorare, nempe non esse cujusvis levioris morbi, aut cujusvis sumptæ medicinæ rationem habendam, ut quis valetudinis caussa a punctatione censeatur immunis; ea spectanda infirmitas est, qua, ne domo aliquis exeat, impeditur, quamquam fatemur, posse aliquem domo exire animi caussa, quin illi etiam Choro interesse concessum sit: qua in re, uti Decessori Nostro Crescentio visum est, boni viri arbitrium, ac Medici testimonium attendi volumus (4).

XX. Jam ob evidentem Ecclesiæ utilitatem quotiescumque in Nostra Metropolitana Ecclesia actu Fidelium Confessiones excipit

X pit

(1) *Hæc punctandi ratio desumpta & ex. D. Car. Bor. Conc. Prov. I. Par. II. Tit. Quando ... ad div. Offic. conven.* §. Si quis non venerit, *& ex Lambert. Inst. CVII.* §. 4. *n.* 24., *&* §. 14. *n.* 89. (2) *Cap.* Consuetudinem *unico De Clericis non residentibus*. (3) *Sess. XXIV. Cap. XII. De Ref.* (4) *Vid. Lambert. ibid. n.* 100., *Plures Synodi*, *Syn. Cresc. pag.* 100. §. Quotidianæ.

pit Canonicus Pœnitentiarius, ipſe Choro præſens ita cenſetur, ut nihil Diſtributionum, aliorumque etiam emolumentorum eidem decedat (1). Canonicus ipſe Theologus ſi diebus, quibus Lectionem habet, Choro minime interſit, ut accuratius ad ſuum munus ſe comparet, Diſtributiones percipit (2). Item percipiunt, qui curam animarum habent in Metropolitana, dum aut Fidelium Confeſſiones audiunt, aut aliud opus exercent ad animarum curam pertinens (3), qui Epiſcopo Epiſcopalia exercenti in Civitate aſſiſtunt (4), qui ſpiritualibus vacant Exercitiis in pia Domo, prout alibi (5), qui pro negotiis Capituli abſunt (6). At cavendum diligentiſſime, ne quiſquam de Eccleſiæ neceſſitate pro lubito judicare præſumat: quare nequis unquam cenſeat, ſe poſſe divinorum Officiorum tempore aut Confeſſiones audire, aut Miſſam celebrare (7) privatim, Diſtributionibus integris; Noſtrum eſt de hoc judicium ferre. Ac ſi non privata Sacerdotis pietas, ſive commoditas, at Eccleſiæ neceſſitas poſtulet, permittimus tantum, ut liceat, de Præfecti Chori licentia, aliquibus Canonicis prodire ad Sacrum faciendum, modo ne plures uno tempore, quam duo, vel ad ſummum tres (8). Manſionariorum autem operam ita in Choro neceſſariam ducimus, ut ipſis minime cenſeamus id eſſe permittendum (9). Similiter non alii præter Canonicum Pœnitentiarium ob Confeſſiones auditas frui Diſtributionibus poſſunt, quam quos ex neceſſitate, & ex legitima cauſſa Nos ipſi ſpeciatim deſignamus (10). Item etiam quando Capituli negotiis alio avocatur Canonicus, ſacra Congregatio Concilii ſtatuit, pertinere ad Epiſcopi officium *examinare, an cauſſa negotiorum vere ſubſit, & quaſcumque colluſiones, & illicitas remiſſiones inter Canonicos prohibere* (11).

XXI. Atque hic generatim monemus, eos tantum ob juſtam cauſſam impeditos poſſe Diſtributiones quotidianas percipere, qui antea non impediti Choro intereſſe conſueverunt (12).

XXII. Veruntamen Eccleſiæ Miniſtros neque ſtipendiis tantummodo ad Chori frequentiam allici, neque eorum deceſſione a defectionibus deterreri par eſt: ipſi multo ſane magis & Indulgentiarum Theſauros, & quidquid ſpiritualis lucri facere poſſunt, præ oculis

(1) *Trid. Seſſ. XXIV. De Ref. Cap. VIII. Vid. Par. IV. Cap. II. N. V. huj. Synod.* (2) *Vid. Par. I. Cap. VIII. N. III. huj. Syn.* (3) *Lamb. ibid. n. 56.* (4) *Ibid. n. 60., & 61.* (5) *Ex Litt. Encycl. S. C. C. in Append. pag. 138. N. II. Vid. Par. IV. Cap. I. N. XXXVII.* (6) *Lamb. ib. n. 54.* (7) *Ibid. a n. 74.* (8) *Synod. Creſc. pag. 101.* §. Quandoquidem. (9) *Syn. Creſc. ibid.* (10) *S. C. C. in Lucana 10. Martii 1635.* (11) *Lambert. ibid. n. 54.* (12) *S. C. C. ap. Lambert. ibid. n. 46., & 47.*

lis habeant; quæ tamen minoris facere præſeferrent, ſi a publica recitatione Officii Beatæ Mariæ Virginis, Defunctorum, Pſalmorum Pœnitentialium, vel Gradualium ſe ſe ſubducerent: quare & Canonicos ſingulos, & Beneficiatos, & Manſionarios, quibus maxime Chorus totus juvatur, ex animo hortamur, ut quoties præter Canonicas Horas, ac debitas Miſſas, hæ ſint in Choro recitationes habendæ, ſimul omnes operam, vocemque conjungant; neque tanto Deum, atque Eccleſiam honore, ſeque ipſos bono fraudare velint (1).

XXIII. Injuncta Chori frequentia non impedit, quominus quiſque ſuis frui vacationibus poſſit: hæ ex Indulto Summorum Pontificum Noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis, ceteriſque ipſius Choro addictis ita ad duos menſes conceduntur, ut qui hoc ipſo tempore abſunt, ſint diſtributionum participes æque, ac ſi Choro intereſſent (2): quædam tamen quiſque rite obſervet neceſſe eſt: 1. Vacationes hujuſmodi nunquam ſumendas in Quadrageſima, Adventu, & ſolemnioribus Feſtivitatibus: 2. Nunquam ita ſumendas, ut Chorus nimis infrequens fiat, ac divinus Cultus minuatur: quod periculum imminet æſtivo præſertim tempore. Etſi autem præcipere poſſit Epiſcopus, quota pars debeat ſemper Choro intereſſe, Nos ab hoc præcipiendo abſtinemus, pro ſingulari Canonicorum Noſtrorum pietate ſperantes, nunquam futurum, ut Chori ſervitium minus decore impleatur. 3. Quoties Canonici vacationis tempore e Diœceſi diſcedunt, petendam eſſe a Nobis licentiam, quam libentiſſime erimus facturi, ſi nullum inde Eccleſiæ ſervitio detrimentum futurum ſit (3).

XXIV. Poſtremo omnes, ac ſingulos, qui Chorum adeunt, iterum, atque iterum hortamur, ut univerſam Chori diſciplinam, quæ jam traditur tum Rubricis, tum Cæremoniali, quamque Nos ipſi Appendici inſeri volumus (4), cognoſcant, ediſcant facile, & cum dignitate exequantur. Interim cogitent & rei quam agunt, & loci, in quem conveniunt, ſanctitatem, & Angelorum, quibus pſallendo junguntur, conſortium, & Majeſtatem Divinam, apud quam legatione pro Eccleſia funguntur: ſic etiam facile fiet, ut animus

(1) *Creſc. pag.* 101. §. Dum Officium. (2) *Hujuſmodi Indultum conceſſ. a Clemente VIII. Capitul. Ferrar. Cathedr. Eccleſ. die 8. Februar. ann.* 1600., *atque ab eodem Pontif. extenſum ad Manſion. ejuſd. Eccleſ. die 27. Sept. ejuſd. ann.* 1600. *Fuit idem Privilegium conceſſum Capellanis Beneficiatis, qui in eadem Eccleſ. Choro interſunt, a Paulo V. die 22. Octob. ann.* 1615. *Extant harum rerum omnium monumenta in Archiv. Capitul.* (3) *Ex Lambert. ibid. a n. 92. Vid. Creſc. pag.* 102. §. Quoniam. (4) *Vid. Append. pag. 116. N. IV.*

tot, tamque variis, tamque præstantibus affectibus, quos & Scripturarum, & Ecclesiæ verba, & sacri Ritus suppeditant, cum pietate, atque fructu detineatur. Nos autem ipsi Chori Coronam, quum per alia Nostri muneris officia licuerit, augebimus cum Angelis, & Choro benedicentes Domino.

Hactenus de Præceptis Ecclesiæ: modo sacras ejusdem Functiones, ut ab hujusce Partis principio proposuimus, persequamur.

CAPUT VI.

DE BENEDICTIONIBUS.

JAmque Benedictionum (ut hinc exordiamur) sanctitas ex eo maxime commendatur, quod ipsa Dei Ecclesia ex antiquissima Traditione, atque Summorum Pontificum institutis eis uti solet, etsi quarumdam usum liberæ hominum voluntati reliquerit, aliarum omnino præceperit: & omnes quidem eo maxime conferunt, ut magnam in Deum pietatem vel excitent, vel foveant, ut plura impetrent cœlestium munerum dona, tum quoque terrestrium, quorum caussa fuere institutæ. Sunt etiam ex hisce Benedictionibus, quæ per se habent Sacramentalium dignitatem, ac vim, aut rem, quam ipsæ veluti consecrant, sacramentalem constituunt. Hæ vero Benedictiones, ac res etiamsi divinam gratiam non pariant *ex opere*, ut Scholæ loquuntur, *operato*, quod præstari certissimum est a Sacramentis rite susceptis; quicumque tamen pie illis utuntur, plurimam sibi vim ad minores animi sordes eluendas sentiunt derivari. Namque precum virtute, quas inter benedicendum fundit Ecclesia, pientissimus Deus supernas in hominum animis cogitationes immittit, quibus illi ad actus adorationis, ad gratias habendas, ad peccatorum odium excitentur, unde venialia peccata deleantur. Quapropter quum omnium Benedictionum, si ex præscriptis ritibus perficiantur, utilitas sit manifesta, earundem usus esse debet Fideli populo frequentissimus. Quæ res zelum Nostrum impulit, ut de illis quoque diceremus.

I. Ac primo ignorare Ecclesiarum Rectores non licet, quæ maxime res per Benedictionem mundentur, purgentur, vel etiam consecrentur (1). Sunt sacræ vestes, quarum usus in Sacrificio, quibus Altarium Mappæ adduntur, eisque Pluviale addere Romana Ecclesia

(1) *Vid. Rit. Rom. De Benedict. Item Lambert. tota Inst. XXI.*

clesia consuevit; tum Aræ, sive in unoquoque Altari Lapis medius: præterea quæ res Sacram Eucharistiam excipiunt. Insuper non solum Ecclesiæ, & Oratoria publica, sed ipsa etiam Cœmeteria, ubi corpora deponuntur Fidelium in Domino quiescentum; immo Campanæ, quæ in Templorum Turribus suspendi solent.

II. Quæ igitur res, priusquam in usum deducantur, sunt benedicendæ, quæque consecrandæ, caveat quisquam, ne iis nondum consecratis, aut nondum benedictis utatur, neque ab aliis, quam a quibus alibi docuimus (1), hæ Benedictiones petendæ,

III. Verum aliæ sunt Benedictiones, quas impertiri queunt quilibet Sacerdotes, aliæ, quas tantummodo Parochi, seu quos Parochi delegerint. Caveat iterum quisque, ne in Parochi jus temere invadat, quod Nos certe Parocho asserere, ac tueri parati sumus (2).

IV. Quæ Benedictiones ex Ecclesiæ ritu per annum fiunt solemnius, uti Candelarum, Cinerum, Palmarum, Paschalis Ignis, ac Cerei, nunquam omittendæ; at de earum etiam significatione initiandus est populus (3).

V. Etenim quum primos Februarii dies sacros Februo haberet ethnica superstitio, eos a profanis vera Religio expiavit, ac voluit, quo die recolitur Christus infans in Templum inductus, & ejusdem Matris Purificatio, benedici Candelas, atque distribui, aliasque sacras peragi cæremonias, quibus populus prudentum Virginum obviam Sponso prodeuntium exemplo ita componeretur, ut ad Christi Domini nuptias accensis lampadibus esset excipiendus.

VI. Cineres autem colligendi sunt e combustis sacrarum Olivarum ramis, ac frondibus. His deinde, quum benedicti fuerint, capita Fidelium primo Quadragesimæ die asperguntur, ut in memoriam singuli redeant cineris, seu pulveris illius, in quem omnes brevi revertemur: qua recordatione sollicite studeant per intimam animi pœnitentiam, perque externam simul, quam sacri Cineres pariter significant, corporis macerationem vere se, totoque animo ad Dominum Deum convertere.

VII. Sed Olearum, variarumque arborum rami ideo post ipsorum Benedictionem a singulis deferuntur, ut eorum pietatem æmulemur,

---

(1) *Vid. Par. II. Cap. V. N. IX.* (2) *Utrum quædam Benedict. sint de jurib. mere Parochial., definit. ex Decr. S. C. R., quæ vid. in Append. pag.* 154. *in resp. ad dub. V. VI. XII.* (3) *De plur. Bened. signif. vid. S. Car. Conc. Prov. III. Tit. quæ ad Sacramental. pert.* §. Christianæ, *& seqq.*

lemur, qui Redemptorem beneficentissimum, quum in Jerosolymorum Urbem ingrederetur, festo hujusmodi apparatu exceperunt, & veluti triumphantem prosequebantur. Ipsi deinde rami in domibus pie servantur, ut ibidem sint quoddam pacis monimentum inter Deum, & hominum genus per Christi Passionem, & Mortem conciliatæ.

VIII. Igne tandem, ac Cereo Paschali significare Ecclesia contendit Christum ipsum tanquam veram mundi lucem: quumque Cereus summovetur, Ascensio ejusdem in Cœlum exprimitur, a quo nimirum die visus in terris non amplius fuit.

IX. Hæc itaque populis, quæ non sine lætitia audient, sedulo Parochi tradant. At etiam graviter moneant, nullam ex rebus, quæ per Ecclesiæ Benedictionem fuerint divino cultui sacratæ, posse profanum in usum converti; atque gravissimum crimen eorum ostendant, qui rebus hujusmodi in peccati commodum non perhorrescunt abuti (1); qui *dum contaminare Altare præsumunt, ipsius Altaris consumuntur incendio, ut sumant de Sacrificio pœnam qui fecerant de propitiatione peccatum* (2).

X. Curæ præterea cuique Parocho esse debet, ut domos statis temporibus benedicat. Usum præcipue Aquæ lustralis commendet, atque ut in ædibus privatorum servetur, vehementer insinuet. Est autem in vasis apprime solidis, iisdemque mundis ad omnes Templi januas retinenda, ac renovanda diebus ex Rubricarum præscripto sancitis. At Ritus ne inanes vulgo habeantur, doceat, quorsum fuerit lustralis Aqua instituta, quinam ea utendi modus, & quinam effectus ex ejusdem usu proficiscantur (3).

XI. Benedicunt Prælati, nec uno quidem modo, populum ipsum. Namque id sæpe faciunt erga obvios quosque sibi subjectos: qua Benedictione devote suscepta venialia remitti habemus ex Glossa (4). Item statis in anno diebus pro Apostolica venia, quam obtinent, solemnem in populum fundunt Benedictionem Summi Pontificis nomine: de qua etsi alibi egimus (5), commendatum hic iterum volumus, ut ad illam in Ecclesia Metropolitana religiose suscipiendam omnes, quoad fieri potest, a Parochis comparentur, atque impellantur.

XII. Licet aliis etiam Sacerdotibus populo benedicere, adhibitis

(1) *Quomodo hujusmodi peccatum sit reserv., cens. adnex., vid. Par. I. Cap. V. N. XV.* (2) *S. Petr. Chrysol. Serm. 26. n. 6.* (3) *Hæc omnia ex Cap.* Aquam 20. *De Consecr. Dist.* 3. (4) *Glossa in Proœm Sext. Decretal.* (5) *Par. II. Cap. VII. N. X.*

tis Sanctorum modo Reliquiis, modo Iconibus, immo vero Divina ipsa Eucharistia. Hæc tamen dum geruntur, populus semper edoceatur, iis adesse flexo utroque genu, capite aperto, admodum inclinato, demissum, ac religiosum maxime animum testans.

XIII. At a quibuscumque Benedictiones habeantur, eæ perficiendæ semper ita sunt, ut a forma, & ritu, quem docemur a Romano Rituali, & Missali nequidquam discrepent. Ac distincte quisque noverit quod sancit Rituale Romanum, nempe *ut in omni Benedictione extra Missam Sacerdos saltem Superpelliceo, & Stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur* (1). Si vocatus fuerit Sacerdos ad Benedictionem contra injurias a bruchis, locustis, aliisve insectis illatas virgultis, vel animalibus utilibus, aut contra varios horum morbos, cujusmodi nequaquam in Rituale sunt relatæ, formulas habeat Ecclesiastica auctoritate probatas, iisque, & non aliis utatur. Harum quædam erunt cuique in promptu in Appendice (2).

XIV. Et quoniam aliqua ex iis, quæ hactenus meminimus, naturam, ac vim habent Sacramentalium; Parochi esto suis populis aperire, quænam hæc sint, quosque pariant fructus. Quare, quæ subjicimus, Angelici Doctoris (3) verba secum ipse repetat, quæ suis fusius non sine magna utilitate tradere poterit, unde Fideles ediscant leviores morbos cito curare, quibus sera non sine magno dolore ingeritur medicina: *Triplici ratione aliqua caussant remissionem venialium peccatorum. Uno modo in quantum eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, uti supra dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam, & extremam Unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo Confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum venialium. Nam in Oratione Dominica petimus: dimitte nobis debita nostra. Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas. Et hoc modo Benedictio Episcopi, aspersio Aquæ benedictæ, qualibet sacramentalis Unctio, Oratio in Ecclesia dedicata, & siqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium*

---

(1) *Rit. De Bened. Reg. Gener.* §. In omni. (2) *Vid. Append. pag.* 156. *N. V.* (3) *S. Thom.* 3. *Par. quæst.* 87. *art.* 3. *De Oration. Dominica, quatenus habet vim sacramentalem, plura S. August. in Enchir. Cap.* 71. *relat. in Cap.* De quotidianis 20. *De Pœnitentia Dist.* 3. *Item Ben. XIV. De Sacrif. Miss. Lib.* 2. *Cap.* 3. §. 5. *De plur. Sacramental. Glossa ibid.*

nialium peccatorum. Hæc omnia Parochi ſinguli non leviter inſtent: ipſi vero ſacras haſce Functiones ſumma cum Fide, ac religione peragant, unde ſpectantes ad Fidem, pietatemque excitentur.

De quibuſdam aliis Benedictionibus alibi: nempe de Benedictione cum Venerabili Euchariſt. Par. II. Cap. IV. N. XIV., & ſeqq., & cum Pyxid. poſt Viat. hac Par. Cap. II. N. XXV., & ſeq.

De Benedictione Font. Baptiſ., Cerei, & Ignis &c. P. II. C. II. N. IV.

De Benedictione mulier. poſt part. Cap. eod. N. XXIII.

De Benedictione Nuptiali Par. II. Cap. X. N. XVII.

De Benedictione in artic. mort. Par. II. Cap. VII. N. XI.

De Benedictione Pontificia, quam aliqui Regulares populo impertiuntur Par. IV. Cap. VII. N. XXVIII.

CAPUT VII.

DE PROCESSIONIBUS.

QUodnam fuerit Eccleſiæ conſilium in publicis Supplicationibus, quas ipſa Proceſſiones appellat, ſatis aperte Romanum Rituale nos docet (1): *Publicæ, ſacræque Proceſſiones, ſeu Supplicationes, quibus ex antiquiſſimo Sanctorum Patrum inſtituto Catholica Eccleſia vel ad excitandam Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti conſuevit, qua par eſt, religione celebrari debent; continent enim magna, ac divina Myſteria, & ſalutares Chriſtianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo conſequuntur*. Paſtoralis igitur Noſtræ ſollicitudinis poſtulat ratio, ut & harum Functionum conſuetudinem tantopere commendatam, & in eiſdem exequendis debitos ritus tueamur; atque tum frequentiam, tum multo magis animorum pietatem, ac religionem, quod hiſce Decretis aggredimur, excitemus.

I. Ad Nos tantum ſpectat publicas in Noſtra Diœceſi Supplicationes indicere (2): quare præter eas, quas ſeu Romanæ Eccleſiæ ritus imperant, ſeu peculiares Eccleſiæ agere conſuevere, quaſque retineri omnino volumus, nullæ ob quaſcumque impendentes populi neceſſitates inſtituantur, quin Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis facultas interceſſerit.

II.

(1) *De Proceſſ.* §. 1. (2) *Bened. XIV. Conſt.* Quemadmodum *LXXXII. Bull. Tom. I. S. C. Immun. anno* 1634. *S. C. C. ſæpe.*

II. At quæcumque, & ubicumque instituantur Processiones, hoc primum, ut ne unquam peragantur noctu (1): sed quod ipsis pomeridianis horis agmen ordinatur, ad solis occasum omnino dissolvendum.

III. Intersint autem omnibus, quotquot fieri solent, vel indicentur, Supplicationibus cum in Civitate, tum in Diœcesi omnes ex Clero Sæculari, & Regulari, nisi quos suis perpetuo Claustris continet arctior disciplina, & quos legitimum juvat Privilegium: item piarum Sodalitatum Confratres sacci usum habentes; omnes denique illi, qui publicis Supplicationibus aut generalibus, aut peculiaribus interesse jubentur, seu consueverunt; estque Nobis pœnarum de absentibus sumendarum facultas impertita (2): & Clericos quidem Sæcutares multabimus pecunia; reliquos aliis, uti Decessori Nostro Crescentio visum est, pœnis (3). Confratres autem cujusvis sodalitatis monemus, ne unquam adsint pauciores, quam duodecim: aliter enim agentes, tanquam si deessent, habebuntur.

IV. Ad Ecclesiam, unde agmen ducendum est, omnes mature conveniant; quosdam enim medio se se itinere sociis adjungere non satis decorum arbitramur. Sitque ad ostium Templi qui singulos cœtus ordine evocet, ut præcedentibus addantur; ac universim post Crucem, seu Vexillum bini incedant.

V. Fœminæ, quæ ad Processionem veniunt, vel binæ & ipsæ antecedant omnes, vel omnes pone sequantur; semper quidem sint ab hominibus plane sejunctæ.

VI. Clerici Ordinum minorum Superpelliceo cum veste talari, ac bireto, nisi aliis insignibus illis uti conveniat, Regulares habitu sui cujusque Ordinis, Confratres Sæculares vestibus a Sodalitatibus suis publice usurpatis ornati, mulieres modestissime compositæ, quotquot supplicantum multitudinem constituunt, summa incedant gravitate, ac religione: utque sacra pompa ordine progrediatur, sint qui eam veluti dirigant, nempe qui impedimenta, siqua occurrant, removere studeant, quique ipsos in agmine progredientes prudenter commoneant, ut gressum sive incitent, sive contineant, quo totus comitatus minime feratur interruptus.

VII. At vero inania colloquia, liberi oculorum jactus, gesticulationes, cetera hujusmodi sacrum ritum prorsus dedecerent. Sed hoc unum spectare debent, ut, quoties Hymni dicendi sint, sive

(1) *Edict. Urbis Clem. XI.* (2) *Conc. Trid. Sess. XXV. De Regular. Cap. XIII.* (3) *Syn. Cresc. pag.* 158. §. Publicis.

Psalmi, sive aliæ precationes, suis singuli cœtibus, uti fert consuetudo, erecta voce edant, nec importuno unquam silentio intermittant. Hoc nempe Deo gratissimum, hoc Mater Ecclesia jubet, hoc boni omnes ab Ecclesiæ Ministris postulant, atque expectant: totum id igitur singuli, quantum in se est, implere satagant, ut jucundissimum Deo, atque hominibus spectaculum præbeant, utque ea consequantur, ob quæ sacræ hæ Functiones sunt institutæ.

VIII. Interea viæ, per quas est comitatus pertransiturus, mundentur, quævis officinæ, non modo sint clausæ, sed etiam nullus inde strepitus exaudiatur (1).

IX. Itemque severe mandamus, ut coram illo abstineat quisque & festis ignibus, & mortariorum, & cujusquemodi ballistarum fragoribus; quem morem cum Prædecessore Nostro Crescentio plane improbamus (2): & siqui secus facere audeant, pœnis plectentur, nisi forte id esset e satis dissita a Processionibus parte Civitatis, vel agri. Ac potius in Turri Ecclesiæ, a qua Supplicatio proficiscitur, & aliarum, prope quas deducitur, campana æra festive pulsentur.

X. Quid autem esset, si, quo tempore pium agmen instruere, ac publicis precibus vel solemnes Deo gratias agere, vel nova ab eo beneficia poscere contendimus, populus ad pietatem compositus aliud easdem per vias spectaculum offenderet, ipsius oculos, ac mentem longe avertere aptum, cœlestemque indignationem acrius inflammare? Atqui metuendum id scilicet esset, quum fœminæ, quæ sacro agmini adjungi deberent, ad fenestras spectatum prodirent, perinde quasi muliebri curiositati illud pararetur. Rem sane fœdissimam! quam si propterea, uti optamus, & sane quidem vehementer hortamur, immo præcipimus, arcere unusquisque satagat, nullo deinde asperiore remedio opus fuerit.

XI. Intrabit interdum cum suo Capitulo in aliquod modo Sæcularium, modo Regularium Templum Archiepiscopus. Jamvero ipso in limine occurrenti instrumentum Aquæ lustrali aspergendæ nemo alius eidem ministret, quam ille, a quo majus obsequii argumentum erga Præsulem offerri potest, ille nimirum, qui in eo Monasterio, sive ea in Ecclesia summam obtinet dignitatem (3).

XII. Quum die Sancti Marci, ac tribus Rogationum sit indicta Processio, Missa itidem, quemadmodum præscribitur, canenda est: hæc

(1) *Syn. Cresc. pag.* 159. §. In singulis. (2) *Syn. Cresc. pag.* 158. §. Indecentissimum. *S. C. Episc.*, *& Regg. in Ventimilien.* 2. *Julii* 1613. (3) *Syn. Cresc. ibid.* §. Archiepiscopo.

hæc autem non inchoanda, nisi totum Capitulum, & Clerus præsens intersit.

XIII. Verum inter eas Processiones, quæ sunt toti Ecclesiæ communes, vel aliquibus locis peculiares, illæ præ ceteris majore tum animorum pietate, tum extrinseco splendore, atque pompa celebrari debent, quibus adorandum Christi Domini Redemptoris Nostri Corpus circumfertur. Illas autem potissimum denuntiamus hoc loco, quas Ecclesia Catholica in Solemnitate Corporis Christi indicit, quasque jam ubique locorum maxime solemnes, & carissimas habet. Ad has igitur frequentissimi ex Nostro grege conveniant: ii quidem omnes, qui de jure, vel consuetudine tenentur interesse, & mature adsint, & cereas faces accensas deferant; & quicumque seu Clerici, seu Laici, nudo semper incedant capite.

XIV. Utque nostrum omnium erga communem Dominum obsequium testemur, viæ, quacumque sacrum agmen facturum est iter, non solum mundentur, sed floribus etiam, atque odoratis herbis aspergantur, parietes aulæis, facibus, pictis tabulis pium aliquid referentibus (nam profanas, ludicras, minusve honestas severissime interdicimus), vasis, aliave splendidiore supellectile fulgeant. Quin etiam, ubi fieri potest, telæ, eæque non inornatæ iter ipsum a sole tunc ferventiore, vel ab imbribus defendant; quod ipsum & magnificentiam quamdam præfert, & venerationem conciliare solet. Singuli certantibus quodammodo studiis quodvis pietatis, ac religionis officium isti Mysterio persolvant.

XV. Et qui amantissimum gloriæ Dominum comitari hoc die non possunt, eum saltem privatim adorent, gratias illi pro tanta erga mortales charitate agant, eidemque præclarum triumphum, quem in ipsius honorem universa Ecclesia agit, gratulentur ex animo; curentque Christiani omnes in terris aliquando imitari, quod fratres in Christo, qui nos præcesserunt, una cum Angelis assidue faciunt.

XVI. Ita si dilectissimus grex Noster afficiatur, nihil erit, quod vereamur, nequis ad hasce pompas spectandas ducatur curiositate, vel otio, neve ullum edat levis, sive impudentis, sive irreligiosi animi indicium: quod sane Nos egerrime ferremus, atque vehementius excitaremur, ut pro reparandis Divino Servatori injuriis quanto possemus zelo zelaremus.

XVII. At Parochi adventante Solemnitate Corporis Christi suum gregem moneant, hunc ex iis diebus esse, quibus maxime ex-

 pedit,

pedit, ut Pœnitentia animam expient, ac salutifera ejusdem Divini Corporis dape reficiant: eundem hortentur, ut per omnes Octavæ dies sacris Functionibus, ubi peragi solent, satagant interesse; moneantque, eosdem insuper dies esse allaturos iis, qui Divinum Christi Corpus speciatim coluerint, atque Ecclesiastica Officia in Templis frequentaverint, uberes Indulgentiarum fructus, de quibus fusius in Appendice (1). Ac simul etiam populus edocendus, quos ob fines Ecclesia pompam hujusmodi solemnius agat: curandum enim sedulo est, ut hæ extrinsecæ pietatis actiones, ad quas fortasse populus non difficulter solet impelli, religioso semper animo & ineantur, & habeantur, ne uberrimi fructus dispereant, qui ab iis percipi queunt.

XVIII. Quæ Supplicationes cum Venerabili Eucharistia sive in Civitate, sive in Diœcesi fieri solent, hæ habeantur quotannis, sacris ritibus ad unguem servatis. Verum Supplicationes cum eadem ad incendia restinguenda, ad procellas, aut flumina coercenda instituendas non esse tum plurium Antistitum exemplo, tum BENEDICTI XIV. auctoritate edocemur (2).

XIX. In Metropolitana Augustissimum Sacramentum a Nostro Clero circumfertur per Templum tertio quoque Dominico die in singulos menses, seque sacro Cœtui comites præsertim adjungunt Sodales Societatis SS. Sacramenti nomine insigniti: optamus vehementer, ut Fideles reliqui frequentes intersint, quum etiam huic religionis actui Summi Pontifices Indulgentiarum munera addiderint.

XX. Sed neque hujusmodi consuetudo sit in Metropolitana singularis; verum ut eadem vel inducatur, vel instauretur, vel retineatur, præcipimus, in quavis Parochia Diœcesis, in qua memorata SS. Sacramenti Sodalitas sit instituta.

CA-

(1) *Vid. Appen. pag.* 41. *N. IV.* (2) *Vid. additamen. ad Cap. IV. Par. II. pag.* 72. §. *De præcepto &c. v. Cautum.*

CAPUT VIII.

DE FUNERIBUS, ET EXEQUIIS, UBI ET DE SEPULTURIS.

HUmanum est, cultisque gentibus celebre, eorum corpora condere, quibuscum communem in vita naturam habuimus; negligere, aut projicere barbarum, atque immane. Immo vero *nihil*, inquiebat Ambrosius (1), *hoc officio præstantius ei conferre, qui tibi jam non possit reddere; vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ*. Nostra vero Fides oculos ipsa suos quum altius adhuc attollat, quumque Christianorum corpora, uti instrumenta consideret, quorum ministerio anima iis conjuncta, quæ Templum fuerat Spiritus Sancti, divinarum sæpe virtutum actus exercuit, idcirco ea veneranda quodammodo censet. *Nec* enim, inquit Augustinus (2), *contemnenda, & abjicienda sunt corpora Defunctorum, maximeque Justorum, & Fidelium, quibus tanquam organis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus*. Quæ in mortuos pietas in viventium utilitatem convertitur: honores enim, quibus eorum corpora efferimus, terraque contegimus, in cogitationem nos facile ducunt, (uti Augustinus advertit (3)) ea iterum fore divinitus ad vitam revocanda. Quod vero talia pietatis officia Divinæ Majestati maxime placeant, dubitare nemo potest: nam magnus ille Tobias, qui derelinquebat prandium suum, & mortuos abscondebat per diem in domo sua, & nocte sepeliebat eos, plenam bonorum omnium retributionem percipere dignatus est. Itaque Christianorum funera, veluti rem sacram, Ecclesia propriis adornare ritibus voluit, Nobisque non pauca suppetunt, quæ de eisdem proponamus.

I. Ignorare non debet Parochus, quinam Ecclesiastica Sepultura sint digni (4), quique privandi. Itaque simul ac aliquem e suis Ecclesiastico ritu sepeliendum e vivis excessisse intellexerit, cum in Civitate, tum in Diœcesi populum ære campano admoneat, quo & mortalem se esse unusquisque meminerit, & Deum oret pro anima illa, quæ nuper egressa e corpore est (5). Expedit tamen, Campanas

(1) *D. Ambrof. Lib. De Tobia Cap. I.* (2) *S. Aug. Lib. I. De Civit. Dei Cap.* 13. (3) *Ibid.* (4) *Rit. Rom. De Exequiis Tit. Quibus non licet &c.* §. Ignorare. *Plura in hanc rem Sacrament. Eccl. Ferrar. pag.* 65. §. Studeat. (5) *Syn. Cresc. pag.* 148. §. Sanciendum.

panas longe post horam noctis minime pulsari; sed si noctu mors contingat, aut mortis nuntius noctu deferatur ad Parochum, satis est, si pulsentur mane ad diluculum.

II. Curandum interea est cadaver, componendum, operiendum: quæ quidem a fœminis erga fœminas omnino perfici debent, a maribus erga mares, atque inter hos, ubi fieri potest, ab Ecclesiasticis erga Ecclesiasticos. Vestes Clerico sint Clericales, immo vero illius Ordinis propriæ, quem vivens obtinuerat (1); Laicis sint aptæ suo cujusque loco, seu dignitati, aut a pia aliqua Sodalitate concessæ: ex sint hujusmodi vestes, ut cadaver totum decenter usque ad pedes operiant, ejusdemque generis vestibus, quibus ad Ecclesiam effertur, sepeliendum est (2).

III. Verum nemo generatim tumuletur, nisi post viginti quatuor saltem a morte horas. Immo puerperas, vulneratos, repentino morbo oppressos, ex aquis extractos, utcumque efflasse animam existimentur, terra contegi vetamus, nisi post horas penitus quadraginta (3). Quo tempore, etsi cadaver nunquam sine alicujus accensæ facis honore, & interdum non sine custode est deferendum, ne tamen istius custodiæ nomine mares, ac fœminæ conveniant, ibique excubias præsertim nocturnas agant. Nam sicubi adhuc illaudatus hujusmodi mos vigeret, atque Eminentissimi Prædecessoris Nostri Decreto (4) nondum fuisset sublatus, Nobis, ut tandem abrumperetur, esset agendum severius.

IV. Siquis violenta morte occubuerit, sintque a laica potestate mittendi Ministri, qui cadaver explorent, ne hoc antea ad Ecclesiam deferatur, quam, illud fuisse extra locum sacrum, atque immunem exploratum, Parocho constiterit. Qui Curiæ Ministri si moniti plus justo morentur, corpus illud efferri Parochus jubeat, & Ecclesiastico ritu condi. Tum vero in quacumque Ecclesia conditum illud perpetuo sit, exhumari amplius non debet, nisi veniam Nos ipsi scripto firmatam demus: quamquam, si de Ecclesiastici viri cadavere agatur, sit hujusmodi venia a sacra Congregatione Immunitatis impetranda (5).

V.

(1) *Rit. Rom. De Exequiis* §. Sacerdos, *& seqq.* (2) *Syn. Cresc. ibid.* §. Prius., *Syn. de Verme pag.* 112. §. Certe (3) *Quoad tempus humationis cadaverum servandam esse Synodum censuit S. R. C. 22. Junii 1673., & iterum 13. Julii ejusd. ann.* (4) *Syn. ibid.* §. Siquando. (5) *Vid. Monacell. Tom. I. Tit. VI. Form. 7. per totum . Plura in hanc rem Barussal. in Rit. Tit. De Exequiis n. 128., & seqq.*

V. Neque vero Christianorum cadavera sine ulla pompa sunt deducenda. Igitur hæredes emortui, vel illi, ad quos vivens pertinebat, ex testatoris voluntate præscribant, quot, & qui corpus sint comitaturi, vel, si non sit illa cognita, sponte deligant (1). In hoc tamen delectu servetur hujus Civitatis consuetudo, ut, quum ad funus deducendum Regulares aliqui invitantur, quatuor etiam invitentur Parochi propiores Ecclesiæ Parochialis Defuncti; quamquam duæ Parochiales Ecclesiæ, Nostra videlicet Metropolitana, & Sancti Romani hoc sibi singulare jus habent, ut, quoties mortuos tumulant, Sacerdotibus suis ad funus utantur.

VI. Spectandus in funeribus dies, & hora: namque agmen funerum minime ducendum noctu (2); immo, nisi ex graviore caussa a Nobis, vel Vicario Nostro Generali probata, neque ante ortum solis, neque post occasum: item neque dum in Templis divina celebrantur Officia, vel Sacra Eucharistia publice prostat. Item ne efferenda quidem, quantum fieri potest, cadavera diebus Festis, maxime vero solemnioribus. Siquod in hisce rebus incidat dubium, illud Nobis, aut Vicario Nostro Generali deferendum.

VII. Indicat itaque Parochus horam, qua invitati conveniant. Si ad funus invitatum fuerit Nostræ Metropolitanæ Capitulum, omnes ad Metropolitanam conveniant (3); illud si desit, ad Parochialem Ecclesiam Defuncti (4), unde ad ipsius Defuncti ædes procedendum, atque hoc quidem ordine, ut Puellarum cœtus, uti apud nos viget consuetudo, omnibus præeant, has sequantur Sodalitia virorum, deinde Clerus Regularis, præterea Sæcularis: Puellæ, & Sodalitiorum Fratres vestibus utantur suorum cœtuum propriis; Regulares iis utantur, quibus solent in actionibus Chori; Ecclesiastici Sæculares talari veste, atque Superpelliceo. In Civitate vero præsertim ferre non possumus, ut Superpelliceo superimponatur pallium, nisi vera necessitas urgeat. Siqui hæc minime servarint, aut tempestive non adfuerint, ne largitione in hujusmodi comitatum facienda digni habeantur.

VIII. Parochus item imperet, quanam eundum sit via, quæ quidem & commodior semper sit, & brevior (5): fiat præsto, qui cadaver deferant, prout fuerint designati.

IX.

(1) *Pluries S. C. Episc., & Regul.* (2) *S. C. C. 15. Mart.* 1704. (3) *S. C. R. sæpe.* (4) Ex *Rit. Rom. Tit. Exequiarum ordo* §. Constituto, *ex Decr. S. C. R. 8. Febr.* 1631. *in Tropien.* (5) *S. C. Episcop., & Regul.* 11. *Decem.* 1615., & 14 *Jan.* 1639. *Vid. Lambert. Inst. LXX. n.* 7.

IX. Eſt proprio Demortui Parocho jus, ut ejuſdem funeri interſit ipſe per ſe, vel per eum, cui id ipſe committat (1). Ergo ne violetur; adeoque Parochus ſemper invitandus, neque ante cadaver efferatur, quam ipſe interſit. Indictæ ſunt enim ipſo jure transgreſſoribus pœnæ, quas, aliaſque ad arbitrium Noſtrum luent.

X. Sed ſuum eſt etiam Defuncto jus, quod a Paſtore ſuo plane repetit, ne ſuum ſcilicet corpus efferatur, quin adſit Sacerdos Eccleſiaſticos in illud ritus perſolvens. Itaque ferre non poſſumus, ut Chriſtiani cujuſquam, vel infantis cadaver e domo unquam efferatur, perque vias ducatur, quin Parochus, vel aliquis Sacerdos adſit ex Eccleſiaſtico ritu (2). Hoc itaque a Parochis omnibus in Diœceſi univerſa ſervari volumus, atque mandamus. Quod ſi colonorum ædes ſint a Parochiali Eccleſia longe diſtantes, ſintque viæ interjectis aquis, aut aliis ex cauſſis adeo incommodæ, atque difficiles, ut Sacerdoti toto illo intervallo feretrum præcedere nimis difficile, ac ferme periculoſum cenſeatur, aliam ipſe breviorem, ſecurioremque habeat viam: nihilominus hæc tria ſemper omnino ſervanda. 1. Ut cadaveri efferendo adſit ſemper e ritu Sacerdos: 2. ut in illius comitatu nunquam deſit aliquod lumen, neque Crucem qui gerat, atque ſi cadaver plauſtro impoſitum feratur, ne Crux præeat, ſed ſine haſta ipſum comitetur: 3. ut cadaveri Templum verſus deportato obviam eat, quo longinquius poteſt, Sacerdos, ipſumque uſitatis ſubinde Benedictionibus, & Pſalmis proſecutus in Eccleſiam inducat.

XI. Quod ex Eccleſiæ ritu, procedente funereo agmine, recitandum, ſeu canendum eſt, canant, ſeu recitent more ſuo quotquot ad illud vocati ſunt; atque præſcripti Pſalmi devote, diſtincte, gravique voce recitari debent uſque ad Eccleſiam: quique hactenus apud aliquos invaluit abuſus, tolli omnino volumus, atque ſancimus (3).

XII. Quum deinde ad Eccleſiam ventum fuerit, Puellæ, ſiquæ funeri interfuerint, abſcedant; at ceteri omnes cum in Civitate, tum in Diœceſi, ſi Parochus ſtatim eſt Exequias perſoluturus, in Templo conſiſtant, &, Parocho præcinente, Exequias & ipſi perſolvant. Quo tamen Decreto non ea Nobis mens eſt, ut, ſiqua legitima in contrarium vigeat conſuetudo, eadem tollatur.

XIII.

(1) *S. C. Epiſcop.*, *& Regul.* 28. *Sept.* 1646. *Vid. Lambert. Inſt* XXXVI. *ſub fin.* (2) *Vid. Rit. de Exeq. Ord.* §. Parochus vero. (3) *Vid. Lambert. Inſt.* XXXVI. *n.* 13.

XIII. Eſt jampridem in hac Noſtra Diœceſi moderate, ſapienterque conſtitutum, quid ſingulis ad funus accitis debeatur, optimeque nomine Taxæ funeralis cognitum (1). Eam denuo in hujuſce Synodi Appendice impreſſam dabimus (2), maxime quum aliqui etiam ex Parochis id a Nobis popoſcerint, ut omnis quæcumque hac in re illiberalitas, atque etiam varietas longiſſime arceatur. At diſtricte prohibemus, nequis audeat quidquam præterea, vel minimum poſtulare; caveantque Parochi omnes, nequid plus ab exteris, quam ab incolis repetant (3): quidquid autem ea Taxa ſancitum eſt, Synodicæ Legis vim, ac robur obtineat. Quod ſi præſcripta ſtipendia differri contingat, caveant ſummopere Parochus, aliique Miniſtri, ne cadaver ſepulturæ mandare morentur, neve fidejuſſionem, aut pignora pro iis exigant; ſed omnes controverſias, omneſque cauſſas ad Nos deferant: Noſtrum enim erit lentos, ſeu litigioſos debitores, ſepoſita judiciorum ſolemnitate, compellere, ut quidquid Eccleſiæ Miniſtris debent penitus ſolvant.

XIV. Eripiuntur autem e vivis inopes, & quibus honeſte humandis nihil poſt mortem ſupereſt, aut ita parum, ut propriis impenſis humari non poſſint. At illi gratis omnino a Parocho ſepeliantur, efficiatque ſuis ipſe ſumptibus, ne ſine luminibus, ceteriſque ſaltem neceſſariis Eccleſiæ ritibus terræ mandentur (4): curet etiam, ut aliquis Sacerdos, vel Clericus Pſalmos ſecum in comitatu recitet, ac Exequiis interſit. Illud potiſſimum nunquam patiatur, quemquam in ſua Parochia ſepulturæ tradi, quin illius anima oblato ſaltem ſemel Sacrificio expietur (5). Quare vel Miſſam ipſe Parochus gratis celebret, vel ſaltem eleemoſynas a piis perſonis colligat, ut celebrari poſſit, vel ea ratione utatur, quam infra indicabimus. Quæ omnia Parochi, aliique Miniſtri alacri ſemper animo ſe gerere præferant, nequis forte laicorum deberet eis per contumeliam objicere, Eccleſiæ Miniſtros de hominum videri mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudeant quærere quolibet modo compendium (6).

XV. Et ſimiliter quicumque Parochi vices gerit, quum Demortui

(1) *Extat Taxa ab Emo Ruſo conſtituta in Append. ipſ. Syn. pag.* 138., *& eſt additamentum ab Emo Creſc. in Append. ipſ. Syn. pag.* 290. (2) *Pag.* 122. *N. V.* (3) *Syn. Creſc. pag.* 149. §. Cum electio. (4) *Rit. Rom. De Exequiis* §. Pauperes. *S. C. R. in Caſſanen.* 5. *Maji* 1617. *Vid. Baruff. in Rit. hoc Tit. n.* 77. (5) *Rit. ibid.* §. Quod antiquiſſimi eſt. (6) *Vid. Cap.* Queſta eſt 12. *cauſſ.* 13. *q.* 2.

tui illius Ecclesiæ Parochi funus agit, ac supremа illi justa persolvit, præter eleemosynam, quæ reliquis Sacerdotibus ad funus convenientibus datur, nihil ipse plane pecuniarum, cereorumque ab ejusdem Defuncti hæredibus exigat caussa funeris, campanarum, sepulturæ: quam exactionem uti nimis absonam cum Prædecessore Nostro de Verme improbamus (1).

XVI. Nam ceteroquin quum quodvis cadaver in propria Parochia tumulatur, cujuscumque generis cerei, tum qui ad illud efferendum arserunt, tum qui ad feretrum, atque in Aris collocati ipsius funeris caussa, utcumque in aliud tempus ab humatione translati, omnes, justis confectis, in jus cadunt ipsius Parochialis Ecclesiæ. Quod si in alia Ecclesia, sive Regularium ea sit, sive alia quæcumque, cadaver tumuletur, propterea quod vel ibi Majorum suorum sepulchrum extet, vel sibi ipse aliquis vivens illud elegerit, integra semper sit Parocho saltem quarta pars funeralis cereorum omnium, de quibus nuper (2), spectata legitima hujus Diœcesis consuetudine. At Nostra Metropolitana nulli portionem Canonicam debet, præterquam ex cereis in associando cadavere accensis. Quod si in alia a Parochiali Ecclesia condatur Cadaver, quod domestici, sive hæredes petierint, tunc omnia Parocho emolumenta debentur, perinde ac si in Parochiali sui ipsius Ecclesia tumulatum cadaver fuisset (3).

XVII. Extincta eorum corpora, qui sunt in communione Fidelium defuncti, in sacro aliquo loco tumulanda. Hujusmodi locus ex antiqua Ecclesiæ consuetudine est Cœmeterium: quæ consuetudo, ubi viget, conservanda, atque ubi fieri potest, restituenda (4). Itaque nulla Parochialis Ecclesia suo carere Cœmeterio potest: sitque agellus non longe a Templo dissitus, ab Episcopo, vel a Sacerdote ex ejus licentia benedictus, excelsiorem in medio Crucem præferens, nullis occupatus arboribus, quæ siquæ sunt, continuo excidendæ, immo ne humilioribus quidem virgultis, aut herbis, quas crebro inde extirpare necesse fuerit. Postremo est parietibus, vel densissima saltem sepe undecumque vallandus, ne ullus in illum aditus relinquatur, nisi per januam sera instructam, cujus clavem Parochus, vel Sacrarius servet. Ita præterea hunc locum custodiri mandamus, ut, quoniam sacer est, nunquam pateat nundinis, saltationibus,

(1) *Syn. de Verme pag.* 126. §. Œconomis. (2) *Ex Const. Benedicti XIII.* Romanus Pontifex, *ut in Append. Concil. Rom. sub N. VI. Vid. resol. S. C. C. in Pisaur.* 15. *Maji* 1728. (3) *Syn. Cresc. pag.* 150. §. Cum vero *ad finem. Stat. Cler. Rom.* (4) *Rit. Rom. De Exequiis* §. Ubi viget.

nibus, ludis circulatorum, ac ne aliis quidem communioribus, ut pila, trocho, aut similibus, quibus quodammodo pollui videretur, ac ne deceret quidem, eo inferri lapidum, lignorum, palearum acervos, aut ipsum cuipiam minus sacro usui haberi: quæ omnia proinde vetamus (1). Quoties autem aliquis in Cœmeterio tumulandus, fovea illi ad tres saltem pedes fodiatur, terraque injecta operiatur, ne cadavera bestiarum morsibus pateant, aut molestius circumstantibus oleant: nunquam vero duo in eadem fovea condantur corpora.

XVIII. Sed multi hodie Christiani quiescere post mortem malunt in Templis; neque id ex recentiore Ecclesiæ disciplina abnuendum: idcirco præter Cœmeterium quædam sint in omni Parochiali Ecclesia sepulchra. In parte, quæ Aram maximam versus jacet, primum esse convenit Ecclesiasticis unice destinatum; immo, ubi commodum fuerit, aliud pro Sacerdotibus, aliud pro inferioris Ordinis Ecclesiæ Ministris paratum sit (2): alterum, in quod inferantur parvuli Baptismate abluti, morte ante præventi, quam rationis compotes fiant: tertium omnium amplissimum ceteros excepturum. Quibus etiam quartum addendum, in quo solæ deponantur fœminæ; res enim erit multo laudabilior.

XIX. Verùm nulla unquam sepulchra sub Altari, nullaque sub Altaris gradibus effodiantur, a quibus abesse debent ad passus saltem duos. Quod si sub Altari, seu ipsius gradibus sepultum cadaver fuerit, nefas est ibi Sacrum facere, donec illa ossa alio translata non fuerint (3). Item nulla sepulchra in loco excelsiore construantur (4), sed omnia satis alte infra terræ superficiem descendant, ad omne latus muris, & superne opere fornicato muniantur, in quo os non angustum pateat. Hoc tamen quemadmodum est accurate marmore claudendum, & calce, vel aptiore cæmento, nequa hiet rima, oblinendum, ita curandum, ne pavimentum idcirco exasperetur, neve quidquam in ipso extet, quod offendiculo esse incedentibus possit.

XX. Præter hæc sepulchra nihil prohibet, quominus aliquis sibi, vel suorum alicui monumentum ad sepulturam constituat, quod nemini præterea habeatur commune: sed præter ea, quæ hactenus ediximus, in Ecclesiis, quæ Nostræ subsunt jurisdictioni, ne id quis-

(1) *Syn. Cresc. pag.* 152. §. Sacra, *& seq.* (2) *Vid. Rit. Rom. ibid.* §. Sepulchra. (3) *S. C. Episcop. ap. Gavantum Par.* 1. *in Rubr. Missal. Tit.* 20. *lit. O. S. R. C. ap. Meratum in Indic. Decret. Tom.* 1. *n.* 712. *Plur. Synod.* (4) *S. Pius V. Const.* Cum primum *V.* §. 6.

quam licenter aggrediatur, nisi auctoritas Nostra intercesserit (1): porro in Ecclesiis Monialium nequit id fieri, nisi & ab Ecclesiastica auctoritate fuerit impetratum, & earundem Monialium consensus accesserit.

XXI. Immo in Ecclesiis, in quibus Nostrum est perpetuum sepulchrum permittere, ne semel quidem liceat pavimenta ad sepulturam perrumpere, nisi Nos ipsi, aut Vicarius Noster Generalis dato scripto concesserimus (2). Quod si itinerum seu longinquitas, seu difficultas aliquando impediat, quominus ad Nos veniant, qui Nostram voluntatem excipiant, cadavere interim celeriter, graviterque putrescente, ne sacræ circa illud cæremoniæ differantur, atque alicui sepulturæ committatur depositi nomine; quumque innotuerit quid decreverimus, illud perficiatur. Sed Parochi sit efficere, ut quæcumque fuerint appositæ conditiones rite serventur.

XXII. Item Nostrum, aut Vicarii Nostri Gen. est concedere, ut inscriptiones, stemmata, dignitatum insignia Metropolitanæ Nostræ parietibus affigantur.

XXIII. Quod tamen quis malit uno sepeliri loco, quam alio, liberum est cuique pubertatem adepto, neque a ratione destituto (3). Hæc tamen electio constet necesse est vel ex ultima Defuncti voluntate legitime significata, vel saltem ex duobus testibus, qui fide digni habeantur (4), neque ad id admittuntur Personæ ejus loci, sive Ecclesiæ, apud quam sepultura electa dicatur. Immo hac in re solius Parochi testimonium admittitur, *modo non testetur ad proprium commodum* (5): hoc idem de Confessario solet haberi. Insuper hæc electio nequit alterius voluntati committi: tandem locus, qui eligitur, sacer esse debet, quique jure cadaveris perpetuo habendi potiatur. Hanc vero sepulturæ sibi deligendæ libertatem Summi Pontifices tam sancte tuendam suscepere, ut excommunicationem latæ sententiæ, a qua liberare ipsi unice valeant, in eos omnes Ecclesiasticos tum Sæculares, tum Regulares intorserint, qui quempiam impulerint, ut voveat, seu juret, seu promittat, se mandaturum, ut apud eorum Ecclesias sepeliatur, vel nunquam mutaturum locum, quem sibi constituit. Hujusmodi præterea sive juramentum, seu votum irritum declaratur (6). Hisce aliæ etiam sunt additæ pœnæ.

XXIV.

(1) *S. C. C. in Valvensi* 10. *Maji* 1727., *& alibi ap. Syn. Fulg. Cap. XXIII. N. I.* (2) *Syn. Cresc. pag.* 152. §. Nunquam. (3) *Cap.* Nos instituta 1., *&* Fraternitatem 3. *De Sepult.* (4) *Plur. Synod.* (5) *S. C. C.* 13. *Febr. 1666.* (6) *Vid.* C.Animarum 1. *De Sepult. in 6., & Clement.* Cupientes 3. *De pœnis*

XXIV. Qui nullam ſibi, dum inter vivos agebat, ſepulturam delegit, in ſua Parochia tumulabitur; vel ſi ſepulchrum habeat Majoribus ſuis peculiare, his Demortuus addetur (1); pariterque uxor apud illum jacebit, quem poſtremo habuit maritum (2). Quod ad impuberes, qui carent eligendi jure, liceat Patri, aut Matri, ſi Pater deſit, pro ipſis nondum extinctis eligere, niſi forte huic parentum juri conſuetudo adverſetur (3).

XXV. Infantes apud nutricem, ſimiliter famuli, ſeu famulæ apud dominum obeuntes ſepeliantur a Parocho, in cujus finibus ſita eſt ſive nutricis, ſive domini domus, quin jus ullum ſibi retineat ipſorum domicilii Parochus. Item ſiqua familia domum habeat intra alicujus Parochiæ fines, & extra hanc ædes domui adjacentes, ubi aliquis obeat, hujus cadaver efferendum, ac tumulandum a Parocho, cui tota familia ſubeſt, eidemque emolumenta omnia ſuperſunt. Atque hæc unice ex conventione inter Parochos in hac ipſa Synodo inita (4).

XXVI. Siquis moriatur Sodalitio alicui adſcriptus, non eſt idcirco in illius Oratorio ſtatim ſepeliendus. Etenim, niſi libera ipſius electione, ſive pactione, vel Apoſtolico Sodalitii Privilegio ſecus conſtiterit, ejuſdem cadaver pertinet vel ad Sepulchrum ſuorum Gentilium, vel certe ad ſuum Parochum. Quod ſi revera in hujuſmodi Sodalitatis Oratorium ſit transferendum, atque humandum, conſuetudine, atque Eccleſiaſticis Decretis conſtitutum eſt, ut Exequias celebret Parochus ille, in cujus Parochia Oratorium ipſum ſitum eſt, integris ſemper pactis in Oratorii erectione mutuo inter partes hac de re initis (5).

XXVII. Siquis ibi decumbat, atque emoriatur, ubi neque domicilium, neque quaſi domicilium habet, Parochus, in cujus curæ finibus id contingit, omnia adverſus tum ægrotantem, tum moribundum boni Paſtoris munia exerceat; at ſepulturæ omnino tradendus in Parochia, in qua ille vivens habitabat, niſi aliam ſibi deſignaverit, vel ad aliam jus habeat. Si longius diſtet ipſius Parochia, quam ad tria paſſuum millia, in ea, ubi deceſſit, eſt tumulandus (6): ſi propinquior, Parochus Demortui proprius tempore moneatur, ut ad aſportandum cadaver vel accedat, vel mittat, &, quæ ſui juris ſunt, poſſit

(1) *Cap.* 1. *De Sepulturis*, *Cap.* Is, qui 3. *eod. in 6.* (2) *Eod. Cap.* Is (3) *Cap.* Licet 4. *De Sepulturis in 6.* (4) *Conventio hæc fuſius exprim. Par. IV. Cap. V. N. ult.* (5) *Vid. Syn. Creſc. pag.* 150. §. Confraternitatum. *Vid. Ap. pag.* 155. *in reſp. ad Dub.* XX. (6) *Vid. Lamb. Inſt. CV. n.* 42.

possit ipse exercere. Quamquam si tempus patitur, quum ingravescit morbus, eundem domicilii Parochum certiorem fieri par est, ut ejus familiares ad ea, quæ sunt ipsis tali tempore procuranda, excitet.

XXVIII. Jam a Prædecessoribus Nostris Beatissimi Caroli exemplo (1) sancitum pluries est, eos, qui a funeribus, ac funebri Officio absunt, sive illis non intersunt ea ratione, quam præscribit Episcopus, sive iis nondum expletis abscedunt, privandos eleemosynis, quibus munerari ceteri consueverunt (2). Plura fel. rec. Prædecessores Nostri de Verme, atque Crescentius decernunt de Officiis, quæ in Diœcesi pro Animabus purgantibus fieri solent; quorum alter prohibet, *quamcumque eleemosynam dari absentibus, ne Parochus injustus arbiter fiat, & recipiens injustus detentor* (3); alter sancit, ut *eleemosyna, quæ ultra consuetum Missæ stipendium erogari solet, ... non nisi personaliter interessentibus distribuatur* (4). Nos itaque volentes, nequis hac in re abusus irrepat, horum, aliorumque (5) vestigiis inhærentes, & quorumdam impulsu sic edicimus. Non solum dum funus agitur, sed quum Exequiæ, Officia, Anniversaria persolvuntur, nequis adsit, sive Sacerdos ille sit, sive Clericus, qui non sit veste talari cum Superpelliceo indutus. Quotquot fuerunt acciti tempestive conveniant, & ne ante discedant, quam expleta omnia fuerint. Quæ siquis minus integre præstet, ac nisi actu illis omnibus præscriptis intersit, eleemosynis, quæ Functionibus hisce respondent, omnino privetur.

XXIX. Illud etiam ad Nos plane pertinere visum est, ut Nostro Decreto certam rationem statuamus pro Generalibus iis Officiis, quæ in Diœcesi per annum pro Animabus Defunctorum ex eleemosynis pia Fidelium largitione in capsis collectis celebrari solent; utque pecuniæ summam statuamus, quam singuli Parochi sibi repetant ratione ceræ, Officii, Missarumque tempore ad Cenotaphium, atque in Aris ad ardendum constitutæ: tale enim consilium iniri posse censemus, quo, suo cuique jure servato, plura in posterum Animabus expiandis obferenda Sacrificia supersint. Verum quum non una, eademque omnibus Ecclesiis sit ratio, re cum iis ipsis, quorum interest, communicata, quæ Nostra sit quod ad hanc alteram partem mens,

(1) *S. Car. Conc. Prov. IV. De Funeribus, & Exequiis* §. Qui in funere.
(2) *Sacramental. Ferrarien. Eccl. pag.* 61. §. Quicumque, *& seqq.*
(3) *Syn. De Verme pag.* 110. §. Præcipimus, *& seq.* Valde absonum.
(4) *Syn. Cresc. pag.* 153. §. Dum Anniversaria. (5) *Plur. Synod., præsert. ex recentior.*

mens, ſingulis Parochis peculiaribus Litteris aperiemus. Interim hæc habeantur.

XXX. Parochus teneatur pro hujuſmodi ſumma, quam ſtatuemus, eas candelas, ejuſque ponderis conſtituere, quas in Taxa funerea deſcribimus (1). Quæ autem in Aris minoribus ponuntur, eæ ſatis eſt, ſi ardeant tempore, quo ibi Sacrum fit.

XXXI. Nulla celebrentur Officia Generalia, niſi ſex ſaltem Sacerdotes interſint, quorum unus Miſſam cantet: id proprie eſt Parochi, in cujus Eccleſia celebratur Officium, niſi alius ab ipſo rogatus ſponte id faciat ſua. At non ita propiores omnes Sacerdotes interſint, ut aliqua Parochialis nullam per eum diem Miſſam habeat, uti cenſuimus alibi (2).

XXXII. Parochis omnibus, Confraternitatum Prioribus, aliiſque quibuſcumque diſtricte prohibemus, ne Officiorum cauſſa cuiquam eleemoſynas mittant, aut tribuant, niſi actu ipſe Sacerdos in ipſa Officii Eccleſia & Sacrum fecerit, & reliquis ſacris Functionibus actu præſens eo habitu, eaque ratione, quam Nos ipſi præſcripſimus de Funeribus, atque Exequiis, pie, religioſeque interfuerit.

XXXIII. Ex capſula, quam memoravimus, extrahatur eleemoſyna, qua celebretur Miſſa pro eo, qui vere pauper obiit, etiamſi exter ille ſit, ſive advena, ſive peregrinus, niſi huic rei alia fuerit ratione conſultum. Sed de hoc ipſo, quemadmodum etiam de tota hac Noſtra Synodali Sanctione, moneri quotannis univerſum populum volumus, atque jubemus: id fieri poteſt recurrente Feſto Epiphaniæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Sic integrior ſervabitur juſtitiæ, ac fidelitatis ratio. Quid de eleemoſynis, quas ſupereſſe conſtat in capſulis, jam ſtatuimus alibi (3).

XXXIV. Rem totam conficimus omnibus, ad quos hæc Noſtra Synodalia Edicta ſpectant, adprecantes (4): *faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis*: quod omen ut feliciſſime omnibus vertat, contendant, ut quæcumque præſcripſimus debita cum pietate, ac religione peragantur. Procul a ſacris hiſce Functionibus quæſtus cujuſcumque nedum aviditas, ſed ſuſpicio abſit. Eccleſiaſtici Ritus plane ſerventur, cantus præcipue ſit clarus, ſuiſque intervallis rite diviſus, ut audientibus citius ſit ad pietatem incitamento, quam offenſioni cuiquam, vel contemptui. Quod etſi curæ ſingulis eſſe debet, majori tamen Parocho ipſi, qui in Eccleſia, ubi

(1) *Vid. Append. pag.* 131. *n.* 9. (2) *Vid. Par. IV. Cap. V. N. XVII.* (3) *Vid. Par. II. Cap. V. N. XXIX.* (4) *Ruth.* 1. 8.

ubi Officia hujusmodi celebrantur, præsit: id igitur ipse curet, suum id esse definimus, atque præcipimus; & sane istiusmodi cura, ac studium minime in ipso desiderabitur, modo hoc unum animadvertat, inanes deinde fore suos apud populum, si in hoc negligens videatur, conatus, quum illum ad proximorum, atque adeo propinquorum suorum animas piacularibus, iisdemque acerbissimis flammis addictas levandas, ac liberandas cohortabitur. Quod tamen charitatis officium non modo sæpe est illi inculcandum, sed etiam quotidie edito campanæ ad primam noctis horam signo commemorandum, atque exigendum.



PARS



PARS QUARTA

DE PERSONIS ECCLESIÆ, ET FORI NOSTRI.



Nimarum Paſtor æternus, ac Princeps Chriſtus Dominus etſi ad Dexteram Dei ſedens in gloria Patris Eccleſiam, quam ſuo ſibi Sanguine peperit, continuo gratiæ ſuæ præſidio tueatur, ac regat; voluit tamen, quum ex hoc mundo diſceſſurus eſſet ad Patrem, eam ipſis hominibus exteriori, ac ſenſibus objecto regimine gubernandam committere. Jamque Apoſtolos ipſe primum divino huic operi præfecit: tum eorum loco poſiti Epiſcopi regere Eccleſiam ſuam. Verum quum multiplici opus ſit Miniſtrorum varietate, atque copia, qui ex hominibus aſſumpti in iis conſtituantur, quæ ad Deum ſunt pro hominibus, Epiſcoporum præſertim muneris eſt, ut horum Eccleſiæ Miniſtrorum mores, ingenium, munera, officia, conſuetudinem, vitamque omnem diuturna, atque eximia ratione inſtituant. Debet porro Eccleſia & ſuas res, & ſacros Miniſtros, eorundemque jura, ac dignitatem tueri, quin hæc ad alienum Tribunal deduci ſinat. Itaque nihil tota hac Synodo perfeciſſe plane arbitramur, niſi de Ec-

clesiasticis Personis, earumque diversis Ordinibus, ac Ministeriis egerimus, quod jam facere aggredimur: quæque maxime ad Personas Archiepiscopalis Nostri Fori spectant, complectemur brevi.

CAPUT I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

QUamvis interna animi pietas, & sanctitas curanda in primis Clericis sit, sine qua sane neque vera potest esse virtus, neque constans, neque ulla dignum laude quidquid in conspectu hominum geritur, id tamen maxime sacri Canones toto hoc Titulo a Clericis videntur repetere, quod ad externam eorundem honestatem, vitamque pertinet: nempe ea distinctim, minutimque persequuntur, & agunt, tum quæ ipsi facere extrinsecus debent, tum a quibus in totius humanæ vitæ consuetudine, atque usu cavere, ut non modo omnem a se impietatem, ac vitium removeant, sed ut ne minimam de se impietatis, ac vitii præbeant suspicionem. Magno id quidem consilio: mirum enim, quantum vel exterior ipsa disciplina ad veram animi pietatem, atque virtutem excitandam, alendamque conferat. Porro necesse est, ut eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, in quos, tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, bonus ubique odor diffundatur. In hosce igitur fines, quæ per Conciliorum Canones, Summorum Pontificum Scita, ac Prædecessorum Nostrorum Decreta jampridem lata sunt, promulganda in hac Synodo, seu potius instauranda suscipimus.

I. Ac primo de Vestibus Clericalibus. Jam decretum centies est, ut superior vestis, qua perpetuo Clerici utantur, nigra sit, eaque ad talos usque producta; sit adeo simplex, ac inornata, ut tantum globulis distinguatur, huic porro superimpositum sit ejusdem coloris, & longitudinis pallium. Quod si locis quibusdam, aut temporibus brevior permissa est vestis, ea sit clausa ante pectus, infra genua delabatur, forma deinde, colore, ornatu nihil admodum a talari differat. Sic enimvero Ecclesiastico semper esset in publicum exeundum (1), isque tantum Nobis probari omnino poterit, qui sic vestitus

(1) *De Habitu Clerical., ejusdemque forma, de potestate, quam in hac re habet Episcopus, vid. Lamb. Inst. LXXI. Item de Syn. Lib. XI. C. VIII. n. 3., & 4. Plur. S. Car. Conc. Prov. I. Par. II. Tit. de Cleric. vestitu.*

ſtitus appareat. Verum quum ad humanæ vitæ commoda, & uſus tolerata quædam fuerint, horum quæ jam edicimus, ne fines unquam prævertantur.

II. Edicimus 1., ut Sacerdos, quicumque Civitatem incolit, horis ſaltem antemeridianis nunquam videndum ſe præbeat ſine veſte talari, niſi a Nobis habuerit veniam utendi breviore: 2. edicimus, ut in ipſa breviore veſte, quatenus ea uti liceat, ſemper formæ ſimplicitas eniteſcat: nunquam feremus, Clericum iis uti formis, in quibus decor, & honeſtas Ordinis minus eluceat. Caveant itaque ſibi continuo eas formas adſciſcere, quæ inter Laicos invehuntur in dies, quum potius gloriandum illis eſſet: *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa* (1)? Nominatim caveant, ne pilei ſint more laicorum inciſi, quod fuit aliquando in Diœceſi reprehendendum: edicimus 3., ut nullus ſive Sacerdos, ſive etiam Clericus in Minoribus conſtitutus tam in Civitate, quam in Diœceſi aliis utatur veſtibus, quam nigri coloris; veſtes alius coloris tolerabimus tantum ruſticandi, vel itineris habendi cauſſa, modo ſubobſcurus ille ſit: item ſubobſcurum tantum tolerabimus colorem in pallio breviore, quo quis per brumalem, vel pluvialem tempeſtatem utatur; ſiquis aliquam horum Edictorum partem violet, multabitur tribus libris ceræ elaboratæ. 4. ſub eadem pœna ſevere prohibemus, ne Clericus, ſive Sacerdos, quicumque ſit, utatur pallio, aut quocumque veſtimenti genere, quod ſit auro ornatum parte vel minima (2); dignus præterea, qui id faceret, haberetur, a quo aurum illud ſtatim diripi juberemus, ac vendi in uſus pios: 5. quotquot horis etiam pomeridianis Templum adeunt divina Officia celebraturi, omnes hortamur, ut & advenientes, & abſcedentes veſte incedant talari: 6. Clerici, & Sacerdotes omnes lineam vittam collo circumductam gerant ſemper, quoties domo exeunt, etiamſi noctu; eam inſuper in omnibus ejuſdem plane coloris, ſubalbi nempe, decet eſſe (3).

III. Præter Veſtes, uti ſtatuimus, Clerici neque admodum leviter cæſariem detondeant, neque eandem nutriant (4): præterea, tanquam ſuæ Dignitatis inſigne, coronam habeant in occipitio, ca-

 pillis

(1) *Cant.* 5. 3. (2) *Vid. Cap.* Clerici officia 15. *De vita, & honeſt. Cleric., ubi prohibentur Clerici quidvis deauratum, aut aliam ſuperfluitatem gerere.* (3) *Plur. Synod.* (4) *Cap.* Prohibete 21., Clerici 22., Non liceat 32. *Diſt.* 23., *& alibi de vita, & honeſt. Clericor.*

pillis in orbem rafis (1), fitque paulo femper amplior in eo, qui altiore fubinde Ordine infignitur (2): qui eam continenter ferre neglexerit, Canones pœnis fubjiciunt. Nulli autem Clerico fas eft adhibere comam fictitiam, five integra ea fit, five dimidiata, nifi obtenta a Nobis facultate (3), neque idcirco geftare illam liceat Sacerdoti in Ara Sacrum facienti (4).

IV. Quod fi hæc omnes Clerici agant neceffe eft, multo id fibi magis agendum perfuadeant, qui Ecclefiæ præcipientis Beneficio habent, unde alantur: qui fi aliter fecerint, etiam pœna privationis Beneficiorum erunt plectendi. Porro fiqui ex hifce Clericis Ecclefiafticæ Dignitati injurii Clericalem habitum dimittere, ac laicalem induere non erubefcunt, fancit BENEDICTUS XIII. (5), ab ipfis Beneficiorum fructus minime fieri fuos, immo nec percipi poffe; fed eos penitus, non expectata Judicis fententia, effe fub pœna lethalis culpæ convertendos in commodum fabricæ Ecclefiarum, in quibus erecta funt Beneficia. Sancit infuper, ab hujufmodi reftitutionis onere a nemine, præterquam a Romano Pontifice reos abfolvi poffe; tandem locorum Ordinariis poteftatem impertit, ac imperat, ut in hujufmodi Clericos fententiam ferant, qua obtentis Beneficiis aliquando priventur (6).

V. Sed ne Clerici quidem minorum Ordinum, fiquidem Privilegiis frui Clericorum velint (præter reliqua, quæ requiruntur), tonfuram, coronam, Clericale veftimenti genus unquam deferant: neque hunc habitum deferant Clerici conjugati, fi Privilegiis tum Canonis, tum Fori in Cauffis & Civilibus, & Criminalibus frui velint, præter reliqua ab ipfis fervanda (7).

VI. At vehementer follicitatur Ecclefia, ut Clerici non modo a quovis impudicitiæ genere abhorreant, fed etiam effugiant quidquid vel minimam præbere poteft hujufce vitii fufpicionem. Ipfi igitur tantæ Matris & Præceptis, & voluntati obfequentes apud fe ftatuant, omnem in primis fœminarum familiaritatem, immo & præfentiam, folius præfertim cum fola fibi effe vitandam, neque ad

collo·

(1) *Concil. Rom. Tit. XVI. Cap. III. Edict. Urb. fub. Ben. XIII. rel. in Appen. Conc. Rom. N. XVIII. §. 1.* (2) *Sic omn. Synod. ex D. Car. Conc. eod. ibid.* (3) *Conc. Rom. ibid. Bened. XIV. De Synod. Lib. XI. Cap. IX. n. 5.* (4) *Vid. Par. II. Cap. V. N. XI.* (5) *Bened. XIII. Conft.* Catholicæ Ecclefiæ regimini *rel. in Appen. Conc. Rom. N. V.* (6) *Vid. Trid. Seff. XIV. Cap. VI. De Ref.* (7) *Vid. Trid. Seff. XXIII. Cap. VI. De Ref. Conc. Rom. Tit. VI. Cap. II. Bened. XIV. De Synod. Lib. XII. Cap. II. n. 1. Cap. unic. De Cler. Conjug. in 6.*

colloquia ipsa veniendum, nisi necessitas, vel charitas urgeat (1). Qui Scripturarum monita, qui sanctissimorum hominum vitam intuetur, qui saltem profanorum judicia, quæ sæpe de Ecclesiasticis ferunt, haud prorsus ignorat, is profecto nihil in hisce cautionibus durum, nihil nimium, nihil non maxime prudens, ac debitum tum ad pericula arcenda, tum ad Ecclesiastici Ordinis Dignitatem tuendam intelliget.

VII. Ea propter est Clericis diligentissime cavendum, ne habeant domum cum fœminis communem, præter eas, quas sive sanguine, sive affinitate sibi conjunctas natura obtulerit ad arctiores tantum gradus (*). Fœmina extranea, neque rei familiaris curandæ caussa subintroducatur, nisi ea sit quadragenaria, & a Nobis, vel a Vicario nostro Generali probata (2). Quæcumque autem sint, utcumque conjunctæ, siquando mala fama laborare cœpissent, ne cum iis habitet Clericus (3).

VIII. Sed in Parochiali domo illud insuper vetamus, quod vetandum judicarat Prædecessor quoque Noster Rufus Cardinalis, ne ibi habitent Parochi fratres conjugati, sorores, vel neptes nubiles, quin totum id Nobis innotescat, ac placeat (4).

IX. Ne audeat Clericus mulieri brachium inter deambulandum offerre, vel cum ea nocturno tempore incedere; id enimvero erubescat manus sacris Mysteriis tractandis deputata: ac similiter ne fœminam ullam doceat legere, scribere, musica instrumenta pulsare, aut similes artes. Nam siquando id expedire videbitur, veniam dare Nos ipsi volumus (5).

X. Meminerint, quod statutum alibi est, ne infantes de sacro Fonte suscipiant, aut puellorum fiant in Confirmatione sponsores (6): hoc quidem etsi ex aliis potissimum caussis decretum, ad id etiam proderit, ut ne Clericus quisquam spirituali cognatione abutatur ad aliquam cum fœminis consuetudinis familiaritatem ineundam.

XI. Sed pudicitiæ æque, ac sanctitatis omnis inimica est crapula, & ebrietas (7): Clerici igitur Nostri vinum sibi temperent, & se vino

(1) *Cap.* Clericus 20., Volumus 24, Clerici 32. *Dist.* 81. (*) *Nempe ad* 1., *&* 2.: *ita communiter* (2) *Cap.* A Nobis 9. *De cohabitatione Cleric.*, *&* *Mulier. Cap.* Interdixit 16. *Dist.* 32. *Cap.* Oportet 23., *& seqq. Dist.* 81. *Conc. Rom. Tit. XVI. Cap. III. Bened. XIV. De Syn. Lib. XI. Cap. IV. n.* 4 *& seqq. Idem. Inst. LXXXII.*, *& LXXXIII.* (3) *Cap.* Inhibendum 1. *De cohabitatione Cleric.*, *& Mulier.* (4) *Syn. Emi Ruffo pag.* 80. §. Edicimus. (5) *S. Car. Conc. Prov. II. Tit. II. Decr. XXXII.* (6) *Par. II. Cap. II. N. X.* (7) *Cap.* Ante omnia 9. *Dist.* 35.

vino; attendant, ne forte graventur corda eorum in crapula: ebriosum autem Sacerdotem, quem nullum unquam futurum confidimus, nullo Ecclesiastico munere fungi diutius patiemur; Clericum ab altiore Ordine arcebimus (1). Verum in loca etiam eodem nomine infamia, in tabernas, in cauponas, vel pedem inferre vereantur, nisi forte caussa necessitatis in itinere constituti (2).

XII. Clericorum convivium, mensamque inter ipsos paulo lautius interdum instrui minime improbamus. At rerum apparatus universus, usus que sit moderatus; ipsæ autem condiantur epulæ sermonibus, qui pietatem, quique doctrinam sapiunt: ea contra indignamur convivia, eaque impedire animus esset, siqua haberentur, in quibus totum hic se se in dapes effundit, ille vino largius indulget, unde mimici risus, tumultus, ac saltem infrænis in loquendo licentia. Ab hisce itaque prorsus abstineant Clerici, item a nuptialibus commessationibus (3); namque Ecclesiastico utcumque gravi ibi adesse cum dignitate fere non licet.

XIII. Epulas plerumque sequuntur ludi: qua in re celebre est, Clericos omnes interdici talis, taxillis, iisque alearum ludis, in quibus sors potissimum dominatur; atque ita quidem, ut nefas illis sit habere ludos hujusmodi, quocumque nomine appellentur, atque ubicumque id fiat, etiam per alios, immo vero eo genere ludentes spectare, itemque pro ipsis spondere, ac domum quoque suam ipsis lusibus commodare, aut quomodocumque concedere. Quidquid vero Clericus sive in aliorum conspectu, sive clanculum in hisce deliquerit, severitatem tum Canonum, tum Nostram non declinabit (4).

XIV. Illos itaque ludos unice permitti sibi posse intelligant, qui ad honestam animi, vel corporis recreationem suscipiuntur; illos proinde, in quibus neque animi, neque corporis vires nimium intendantur; illos, quos ita suis Clericis Beatissimus Antistes Carolus Borromæus definiebat (5), ut loco, tempore, vestis decore, amoto denique pecuniæ amittendæ periculo honestarentur. Quare omnes hæc apud se statuant: non decere, Clericum iis in locis quacumque ratione colludere, ad quæ publicus patet accessus; quod si deprehendatur,

(1) *Cap.* A crapula 14. *De vita, & honestate Clericorum.* (2) *Cap.* Non oportet 2., Clerici 4. *Dist.* 44. *Cap.* Clerici officia 15. *De vita, & honestate Clericorum.* (3) *Plur. Synod.* (4) *Cap.* Episcopus 1. *Dist.* 35. *Cap.* Clerici Officia *supr. memorat. Conc. Rom. Tit. XVI. Cap.* 3. *Vid. Bened. XIV. De Synod. Lib. XI. Cap. X. n.* 2., *& seqq., & Instit. XXXVII.* (5) *Conc. Prov. I. Par. II. De armis, & ludis &c.* §. Si autem. *Qui ludi permitti generat. possint, docet D.Thomas* 2. 2. *q.*168. *art.* 2., *&* 3.

datur, subjicietur omnino pœnis, de quibus Nostrum Edictum (1): neque decere, si in mulierum cœtum ad privatum etiam, ac licitum ludum Clericus se se inferat: item a justo fine animi levandi deficere non modo, quum Clerici pro ludentibus spondent (quod molestiarum aliquid victo præter victoriæ cessionem est allaturum), sed etiam quum vestis Clericalis abjicitur, quum ea pecuniæ summa exponitur, quæ pro personarum, & rei familiaris qualitate non levis habeatur, quum ad horas ea occupatio protrahitur; estque ludus hoc solum nomine vitiosus, ac deformis, perinde quasi seria Clerico unquam deessent, aut ipsa temporis jactura apud illum nihili foret. Itaque siquis in hisce peccaverit, præter ea, quæ sunt in Edicto Nostro sancita, opportuna coercitione punietur.

XV. Quod si tanta est opus sollertia, atque cautione in iis, quæ capere interdum præstat, ac necessarium videtur, quanto studiosius ab iis est Clericis abstinendum, quæ nullum honestatis fucum præferunt, quæque ab se abdicare professi solemniter olim fuerunt, ut uni Deo, ejusque servitio impensius vacarent? Choreas itaque, saltationes, tripudia, ubi mulieres adsint, ne agant unquam (2), ac ne ullo in loco seu publico, seu privato mulieribus saltantibus pulsent, aut inflent instrumenta: itemque ne personati, seu larvati incedant (3). Namque Sacerdotes a Sacro celebrando prohibebuntur; Clerici autem ceteri punientur tum pecunia, tum reliquorum Ordinum dilatione ad arbitrium Nostrum.

XVI. Illos præterea, ut visum fuerit, puniemus, qui comœdias ab histrionibus publice actas spectatum iverint (4), quique deprehensi fuerint cantilenis, clamoribus, aut quovis instrumenti genere quocumque tempore per vias obstrepere.

XVII. A viis etiam, ac locis, ad quæ personatorum hominum solet multitudo confluere, Clericos studiose declinare enixe cupimus, ac volumus: siquem vero in illis subsistere, diuque morari non pudeat, plectetur pœnis, uti videbitur (5).

XVIII. Est & aliud oblectamenti genus venatio: hac etsi penitus

(1) *Edit.* 14 *Jan. an.* 1778. (2) *Cap.* His igitur 3. *Dist.* 23. *Cap.* Non oportet 37. *Dist.* 5. *De Consecr. Trid. Sess. XXII. De Ref. Cap.* 1. *S. Carol. ibid.* (3) *Cap.* Nullus Presbyterorum 35. *Dist.* 5. *De Consecr. Cap.* Clerici officia 15. *De vita, & honestate Cleric. Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. XI. Cap. X. n.* 11. 12., *& Inst. XXXVII., LXXVI.* (4) *Cap.* Non oportet *supr. memorat. Cap.* Clerici officia *supr. memorat.* (5) *Vid. Syn. Cresc. pag.* 96. §. A publicis, *& Edictum, quod edi solet temp. Bacchanal.*

tus interdici Clericos non sancimus, omnem tamen sacris Canonibus, qui eam memorant, reverentiam adhiberi volumus: quare, quum illi spectent potissimum clamorosam, ac populi multitudine celebratam (1), hanc certe sibi plane vetitam Clerici sciant. Quoddam vero levioris venationis genus sic circumscribimus, ut ad venandum nunquam prodeat Clericus sine Clericali insigni, nunquam in locis, ad quæ confluat populus, nunquam multis sibi sociis adscitis, nunquam diebus festis, aut jejunio destinatis (2): magna enimvero hac quoque in re moderatione opus est Clerico, ne Cœlestis Patris sortem cum Esau disperdat in silvis; *& penitus non invenimus in Scripturis sanctis Sanctum aliquem venatorem*, ajebat D. Hieronymus (3).

XIX. Verum arma a venatione deponat: arma Clerico (præter exiles quosdam cultellos ad crebriores usus (4)) permitti nequeunt (5); quælibet, etiamsi intra baculum inclusa, a Clerico gestatore eripienda mandabimus, eodem multato decem scutorum pœna. Clericorum arma sunt lacrymæ, ac susæ ad Deum preces, sunt jejunia, sunt studia, sunt charitatis erga omne hominum genus opera: his animarum hostes frangimus, his quæcumque vere mala homini futura sunt securius avertimus; atque hisce tractandis nullum tempus est, quo non assuescere & nostra, & Ecclesiæ, in qua militamus, plurimum intersit.

XX. Jam vero quum totus in eo sit mundus, ut opes, quantas sibi quisque potest, maximas paret, quumque aperte ab Apostolo (6) doceamur; *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*; hinc omnes intelligent, quanto jure existimatum semper fuerit Clerico turpissimum, atque indignissimum, se se profanis, & quæstuosis officiis miscere, quantoque jure eos Ecclesia ab hujusmodi curis, atque præcipue a negotiatione severissimis sane Sanctionibus abstrahendos, impediendos, &, siquid peccaverint, plectendos censuerit (7). Quæcumque vetustissimis

(1) *Cap.* Episcopus 1. *De Cleric. venat. Cap.* Omnibus 2. *eod. Tit. Conc. Later. IV. Can.* 15. (2) *Plur. Synod hisce legibus venationem tolerant.* (3) *S. Hier. in Ps. 90. rel. in Cap.* Esau 11. *Dist.* 86. (4) *S. Car. Conc. Prov. I. Par. I. Tit. De armis &c.* §. Idcirco (5) *Cap.* 2. *De vita, & honest. Cleric.* Clerici arma portantes .... excommunicentur. (6) 1. *ad Timoth. 6. 9.* (7) *Cap.* Decrevit 1., *Cap.* Consequens 2., *Cap.* Negotiatorem 9., *Cap.* Fornicari 10., *& seqq. Dist.* 88. *Cap. Fin. de vita, & honest. Cleric. Cap.* Multa 1. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant. Trid. Sess., & Cap. eod.*

mis etiam temporibus contra Clericos negotiatores decreta per Concilia, atque Pontifices hactenus sunt, nuper innovarunt felicis recordationis BENEDICTUS XIV., & CLEMENS XIII., (1) eo sane consilio, ut, sicubi antiquiorum ætatum Sanctionibus pristina vis excidisset, penitus restituatur: quamobrem Nostræ Synodo horum saltem Pontificum Scita paucis inserimus (2).

XXI Prohibentur itaque Clerici omnes quamcumque negotiationem agere: jamque declaratum est, eodem loco habendos, iisdemque pœnis afficiendos, quicumque negotiationem exercent interpositis laicis ipsis personis.

XXII. Mandatur præterea, ut Laicorum negotia ad Clericos hæreditate, sive alia ratione delata statim ab his dimittantur. Quod si necessitas urgeat, ut retineantur, est ad sacram Congregationem Concilii confugiendum, cujus erit præfinire tempus, quo retineri queant: quamquam ne tunc quidem eadem geri a Clerico liceat, sed tantummodo per Laicos.

XXIII. Sancitum similiter, ne Ecclesiastici conjunctorum bona, quæ sint negotiationibus implicita, procuranda suscipiant, quantumvis ejusmodi procuratio charitatis, aut necessitatis nomine elevetur. Qualiscumque autem ea necessitas videatur, procurandi facultas est pro Clericis in Italia degentibus petenda ab ipsa Apostolica Sede; quæ jam cessat per se, atque veluti revocata censetur, statim ac sublata fuerit illa conjunctorum necessitas, aut alia idonea se offerat ratio eisdem prospiciendi.

XXIV. Activum, quod dicitur, cambium esse omnino ejus negotiationis partem, quæ vetita est Ecclesiasticis quibusvis.

XXV. Quæ peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permissa, & justis concurrentibus caussis indulta dignoscuntur (exempli gratia ut Ecclesiasticorum fundos certa annua pensione conventa colendos, exercendosque conducerent), ne eadem reliquis Ecclesiasticis, tanquam generaliter omnibus concessa, absque justa caussa, & sine speciali indulto usurpentur.

XXVI. In ipsa bonorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, & ceterorum, quæ in propriis, Ecclesiæve fundis enascuntur, seu aluntur, nec non in com-

(1) *Nempe Bened. XIV. Const.* Apostolicæ servitutis *XIII. Bull. Tom. I.*, *& Clemens XIII. in Encyclica* Quum primum 17. *Sept. MDCCLIX. Legitur hæc in Append. pag.* 134. *N. I.* (2) *Quæ sequuntur a N. XXI. ad totum XXVII. desumpta ex memoratis Const.*

parandis rebus, quæ vel ad proprios usus, vel ad fundos prædictos instruendos sunt necessariæ, nefas esse, si se sollicitum nimis Clericus præferat, ut populus eum omnibus videat in mercatibus interesse, in omnibus contractibus percupidum, subtilem, callidum, litigiosum, perinde quasi majorem, ac ne æqualem quidem divinarum Functionum, aut virtutum exercendarum curam haberet: personam ergo gerere tam indignam exhorreat Clericus; idque propositum animo habeat, ut intelligant homines, quotiescumque vendendo, aut emendo cum Ecclesiasticis agunt, se se cum minime avaris, sed cum moderatissimis viris, quin etiam divitiarum contemptoribus agere.

XXVII. Hæc igitur omnia a Clericis Nostris exacte serventur sub pœnis, quas & sacri Canones, & memoratæ Constitutiones statuunt: siquod dubium inter contrahendum incideret, idne Ecclesiastico liceat, an non; non omittemus, uti a Summo Pontifice monemur, a sacra Concilii Congregatione responsum petere: interim quæ ab ipsa in hisce rebus prodiere Decreta, accurate serventur (1).

XXVIII. Utrum autem avari, an abjecti animi vitium sit, quod Clerici quidam sæcularibus se se locupletum, aut nobilium & virorum, & fœminarum servitiis dedunt, haud facile semper apparet: sed Canones certe morem hunc utriusque sæpissime turpitudinis fontem insequuntur (2), & CLEMENS XIII. (3), ut e Christianis Provinciis extirpetur, vehementer commendat. Quo fit, ut Clericis omnibus præcipiamus, ne Laicis operam suam dent quocumque vocentur nomine Œconomi, Agentis, Domus Magistri, Administratoris: plane enim dedecet, eos, qui industriam, operamque suam totam divino cultui, & proximorum utilitati deberent impendere, se se Laicorum obsequiis, abjectisque servitiis addicere. Qui secus fecerint pœna decem scutorum aureorum, & in subsidium suspensionis a Divinis punientur (4).

XXIX. Siqui vero in Sæcularium domibus suscipi velint ad pium aliquod munus, nempe Sacrum faciendi, aut pueros ad pietatem, ac litteras informandi, moneri volumus, uti Eminentissimus Decessor Noster Crescentius jusserat (5), & assensum scriptis firmare. Sed Laici se se dignos exhibeant, quibus hæc privatim officia a Clericis præstentur, totaque domus iis moribus prædicetur, ut Ecle-

(1) *Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. X. Cap. VI. n. 3.* (2) *Cap.* Sacerdotibus 2. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* (3) *Ead. Const.* (4) *Syn. Cresc. pag. 97.* §. Noverint *sub finem. Const. ead. Clem. S. Car. Conc. I. Par. II. Tit. De negot. sæcul. a Cler. fugiend.* §. Neve parum. (5) *Ibidem.*

clesiasticus vir in ea degere non erubescat. Tandem ne Clerici Sacris Ordinibus insigniti alienam curam, aut tutelam suscipiant Nobis inconsultis (1).

XXX. Debet etiam a Clericali Ordine longissime abesse quidquid sæcularis Fori est, ac veluti tumultum sonat. Quamobrem etsi permittit Jus, & Nos ipsi permittere possumus, ut interdum caussæ alicujus patrocinium in Foro etiam laico suscipiatur a Clerico in Sacris constituto, generatim tamen fieret apud Ecclesiam gravissimarum pœnarum reus, qui sponte id sua præstaret, quemadmodum etiam qui tabellionem ageret, aut jus diceret partibus in laicali Foro litigantibus: quod enormius adhuc esset, siquando sententiam proferret, vel scriberet, vel solum dictaret capitalem (2).

XXXI. Sed cautum etiam est, ne Clericus testimonium apud laicum Judicem dicat absque permissione Ecclesiasticæ Potestatis. Et quum jubeatur testis ante examen jurare, se se rem, de qua rogabitur, testificaturum ad veritatem, fas nunquam erit istud Clerici juramentum a quovis, præter Nos, aut Nostrum Generalem Vicarium, excipi (3).

XXXII. Est graviter quoque Clerico sub gravibus pœnis interdictum, ne Medicum, neve Chirurgum agere instituat (4). Neque enim harum artium profitendarum, exercendarumve potestatem dabit, nisi unus Pontifex Maximus.

XXXIII. Hactenus ea fere, quæ a veteribus Canonibus, a Conciliis, atque a recentiorum temporum Pontificibus de Clericis gravissime sancita fuerunt. Verum nisi charitas Dei in eorum cordibus diffundatur, quis sibi persuadeat, fore eosdem Juris, Legumque suarum observantes, aut ulla suppliciorum comminatione in officio contentum iri? Itaque intelligant Clerici, se se ad eam rationem avocatos fuisse, quæ hominem, veluti ardentem lucernam in Candelabro constituat, unde virtutum omnium splendorem, lucemque diffundant: quare ut ad hanc vitæ sanctitatem adspirent, eamque con-

(1) *Cap.* Cyprianus 4. *cauff.* 21. *quæst.* 3. *Cap. fin. Dist.* 88. *S. C. Episcop. in Verulana* 15. *Febr.* 1647. (2) *Vid. Cap.* Clerici 1. *De postulando*, *Tit. Ne Clerici*, *vel Monachi &c. per plur. Cap. S. Car. ibid.* (3) *Vid. Cap.* Testimonium 9., *ibique gloff.* 11. *quæst.* 1. *S. C. ap. Nicolis V.* Clericus *n.* 35. *Cap.* Clericum 17. *cauff. ead. quæst. ead. Plur. ap. Monacell. Tom. I. Tit. VI. Form.* 3. (4) *Cap.* Ad aures 7. *De æt. &c. præfic.*, *& ibi gloff. Vid. Monacell. T.* 1. *in Append. ad Form.*, *ubi extat Encycl. S. C. Episcop.*, *& Regul. de iis*, *quæ Ecclesiast. dedecent n.* 10., *Bened. XIV. De Syn. Lib. XIII. Cap. X. n.* 5., *& seqq.*

sequantur, hoc a singulis reposcimus, ut certum temporis spatium a reliquis occupationibus ereptum Orationi, quæ mentalis dicitur, religiose, & constanter impendant. Neque enim alia ratio est, qua vera de humanis, divinisque rebus judicia ferre discant, affectiones moderari, actus sapienter regere, totam denique vitam laudabiliter, sanctèque componere (1).

XXXIV. Sed non mediocres etiam fructus parit accurata piorum librorum lectio. Horum aliquem ex probatioribus habeant apud se singuli Clerici, cujus rei rationem ab ipsis in examinibus ad Ordines repetemus (2). Hinc ne ullus unquam elabatur Clerico dies, quin animam hoc quoque pabulo aliquantisper refecerit: ideoque huic pariter operi tempus sibi sedulo habeat præstitutum. Sacerdotibus vehementer commendamus, ut nullum sibi abire diem sinant, quin Sacrum faciant: verissimum enim semper fuit, quotidianam Missæ celebrationem cum Jesu Christi, tum Ecclesiæ sensui esse apprime consentaneam, dummodo, qua par est, interna animi reverentia externaque corporis modestia celebretur (3): atque ut ad hæc tremenda Mysteria paratiores accedant, eaque sanctius tractent, hortamur, ut animam suam semel saltem, sive potius bis in hebdomada Sacramento Pœnitentiæ expient.

XXXV. A Diaconis, & Subdiaconis nihil prætèrea reposcemus, nisi illud, ad quod Christianos omnes hortabatur Augustinus (4), ut nempe singulis quibusque Dominicis, atque solemnioribus diebus Sacram Eucharistiam, quanta poterunt, pietate sumant: ab iis, qui sunt minore aliquo Ordine insigniti, saltem quovis decimo quinto die.

XXXVI. Omnibus interim curæ maximæ sit religiosissimum Corpori Christi Domini cultum exhibere; tum communem in Cœlis Matrem Deiparam singulari pietate diligere, & colere. Quapropter proprium cujusvis sit, Divinam in Templo Eucharistiam horis pomeridianis adorare, atque ad publicam aliquam Matris Virginis Effigiem pias preces effundere: quibus visitationibus id semper enixe precentur, ut digni sacris Altaribus fiant Ministri.

XXXVII. Quod denique animi viribus ad pietatem tum excitandis, tum instaurandis par, quodque Apostolicæ Sedis judicio, & omnium utilitate comprobatum fuit, est spiritualium, ut jam appellari solent, Exercitiorum usus: Nos quidem interdum in Civitate

omnes

---

(1) *S. Bern. De consid. Lib. I. Cap. VI.* (2) *S. Car. Conc. I. Par. II. Tit. Libri a Clericis legend.* (3) *Bened. XIV. De Sacrif. Missæ Lib. III. Cap. 2. §. 10. in fine.* (4) *August. rel. in Cap.* Quotidie 13. *Dist. 2. De Consecr.*

omnes invitabimus, ut publico, ac mutuo exemplo audiant, qui ordine, ac ratione res Clericis quamaptissimas tradat. Verum quoniam commune hoc omnibus esse nequit, Nosque annum vel unum hoc bono vacuum Clericis Nostris præterire nollemus, curent ipsi aliquos in anno dies ad horum Exercitiorum normam, atque regulam legendo, & orando transigere. Attamen quum hæc in pio secessu fieri sit omnium maxime opportunum, non tantum Parochos, sed & reliquos Sacerdotes, Confessarios, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos, ut in Ædibus Congregationis Missionis ad hæc ipsa sancta Exercitia quotannis aut singuli se colligant, aut gregatim conveniant, vehementer optamus, & quanti interesse perspicimus, commendamus. Sunt præterea huic sancto Operi peramplæ adjunctæ Indulgentiæ: atque iis, qui Chori servitio obstricti sunt, qui in religiosa Domo se se hac de caussa continuerint, nihil quotidianarum Distributionum decedet, perinde ac si Chori ministeriis fuissent rite distenti. Duo tamen hi caveant necesse est: alterum, ne pluribus uno tempore ad hæc Exercitia subductis ipsum Chori servitium minus decore impleatur: alterum, ne eadem ista Exercitia arripiant per Adventum, neque per Quadragesimam. Utrumque incommodum expedite declinabitur, si Nostro nunquam denegando permissu secedant, ut ipsis impositum est. Sed jam patent enixa vota sanctæ memoriæ CLEMENTIS XI. expressa in Encyclicis sacræ Congregationis Concilii, quas dabit Appendix pro triennali earundem publicatione Ordinariis injuncta (1).

XXXVIII. Sed aliud jam Clericis est quammaxime proprium, tum perpetuum occupationis genus: nempe liberalium artium, tum humanarum, divinarumque præsertim rerum studium. Jam quod ad eos Clericos, qui Ordines petunt (ut rem paulo altius repetamus), neque probare eos possumus, qui se in cujusvis tradunt disciplinam, multo autem minus qui ipsius latinæ linguæ jejuni ultro se se inter audientes Philosophiam, Jus Pontificium, aut Theologiam conjiciunt: eorum tantum testimonia ad Ordinationem probabimus, quæ fuerint habita aut a publicis Professoribus, aut a Nostri Seminarii Magistris, nisi Clerico alium Præceptorem audiendi facultatem Nos ipsi fecerimus. Præterea volumus, ut studia sua Clerici eo percurrant ordine, qui servari jam vulgo consuevit, neque ad altiorem scholam festinent, quin de bono in inferioribus processu testimonium ferre possint.

XXXIX.

(1) *Vid. Append. pag.* 138. *N. II. Hæc Exercitia Parochis iterum, & Confess. commendat Bened. XIV. Const.* Ubi primum *II.* §. 3. *Bull. Tom. I.*

XXXIX. Quum inſtitutum a Deo fuerit, ut populus quæcumque ad bene, laudabiliterque vivendum faciunt, a ſuis Sacerdotibus exquirat, nihil ferme eſſe deberet in ſacris diſciplinis, de quo commode differere Sacerdos non poſſet: ideoque qui in illas per totam vitam incumbunt, nihilo magis, quam quod Sacerdotem deceat, facere exiſtimamus. Sint itaque Clerici ſacrarum diſciplinarum ſtudioſi: eos teneant libros, atque pervolvant, quibus Catholica Dogmata, Jus Canonicum, Theologia Moralis, Eccleſiaſtica Hiſtoria, Liturgia varie illuſtrantur, neque enim ulla ad diſcendum etiamſi devexa ætas ſera fuerit, Concilium Tridentinum, tum etiam Catechiſmum Romanum juſſu Pii v. editum, & a Clemente xiii. præcipue inculcatum, Noſtram hanc Synodum in promptu habeant, unde petant, quæ & ſibi ſunt uſui futura, & aliis pro munere ſuo tradituri.

XL. At Confeſſarii præſertim morales diſciplinas quovis ſemper tempore excolant; utque exercitationum varietate, atque communione ſtudiorum tum rerum cognoſcendarum levetur moleſtia, tum etiam utilitas comparetur uberior, in primis, quod præceptum jamdudum, ac præſtitum in hac Diœceſi fuit, ut ſingulis menſibus coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali in Archiepiſcopali Palatio, Præſide Canonico Theologo, ſive alio per Nos deputando, cogeretur Congregatio, quæ nuncupatur Caſuum Conſcientiæ, idem confirmamus, eandemque rerum omnium, quæ ibi conſueſcunt, rationem ſervari ſimiliter volumus, atque præcipimus (1).

XLI. Hæc Congregatio cogenda ultima Feria quinta cujuſvis Menſis, exceptis tantum Auguſti, Septembris, Octobris. Siquo ex hiſce diebus impedimentum contingat, Congregatio in præcedente habeatur: ad hanc convenire tenentur quotquot ſunt in Civitate (niſi juſta cauſſa, eademque Nobis aperienda eos excuſet) Parochi Sæculares, ac Regulares, & Confeſſarii omnes Sæculares (2): nam quid de Regularibus ſtatutum ſit, alibi dicetur (3). Sit a Congregationis Secretis, qui notet quoſcumque a ſingulis hujuſmodi Conventibus abſfuerint. Nos eos libra ceræ elaboratæ multandos ſtatuimus, quæ alicujus Eccleſiæ Sacrario applicabitur. Sacerdotes autem alii, qui obeundis olim Eccleſiaſticis muneribus proludunt, ſi crebro, ac frequentes interſint, rem & Nobis pergratam, & ſibi apud Nos haud inutilem facient.

XLII.

(1) *Syn. Creſc. pag.* 24. §. Præter: *indidem omnia ferme deſumpta a N. ſeq. ad tot. XLVI.* (2) *Plur. Decr. S. C. ap. Lambert. Inſt. CIII. a n.* 9. (3) *Par. hac Cap. VII. N. XXIX.*

XLII. Quum de Conscientiæ Casibus actum de more fuerit, interdum jubebimus, Parochos, dimissis reliquis, Nobiscum consistere. Nempe ut inter eos deliberetur de divino cultu, de Clericorum, ac populi moribus, de remediis, quibus tum peccata in populo usitatiora curentur, tum ut Christiana pietas novum, quantum per Nos fieri potest, in dies capiat incrementum. Hæc in Civitate.

XLIII. Namque in Diœcesi sic: eadem Casuum Congregatio habeatur quolibet mense, rem totam moderante in singulis Plebibus Archipresbytero, seu Vicario Foraneo, cui & locum, & diem deligendum relinquimus; quare volumus, atque præcipimus, ut Nostra auctoritate convocet Rectores, Confessarios, Sacerdotes quoscumque Plebis suæ, tum etiam Clericos eadem, quæ in Civitate, pœna proposita quod ad Rectores, & Confessarios: cera applicabitur sacrario Parochialis Ecclesiæ illius, qui deliquit.

XLIV. Sacerdotes omnes, qui interesse debent, ita convenient, ut de Casibus eo mense jussu Nostro propositis sententiam ferant, atque confirment. Immo vero quid unusquisque censuerit ad Congregationem afferat scriptum, ac Præsidi postmodum tradat: hæc enim scripta, eorum adjectis nominibus, qui desideiati sunt, ad Nos transmittentur, quæ Nos a Theologo viro expendenda curabimus, ut suum de propositis quæstionibus judicium ferat quotannis publicandum.

XLV. Mox sit Clericus, qui aliquam Catechismi partem exponat: ad quod ne imparatus veniat, erit a Præside, antequam dissolvatur conventus, in mensem alterum designandus. Deinde unum, aut alterum hujusce Nostræ Synodi Caput legendum, ex iis præsertim, quæ ad Sacramentorum administrationem, atque usum spectant; tandem siquid de populorum moribus, de publicis vitiis, atque peccatis, de Pastoralibus curis agendum sit, fiat id tantum inter Rectores, dimissis reliquis.

XLVI. Præter publicas hasce, quas jussimus, Congregationes, alias privatim, constanterque fieri optamus: non deerit quibus opportunius horis videbitur, Canonicus Theologus, neque deerunt in Civitate Parochi, qui ad rem tanto usui futuram convenire volentibus quodammodo occurrant, atque colloquia, mutuasque de re præsertim morali disceptationes excipiant, moderentur, quavis ratione fovere, atque alere enitantur. Ut igitur exercitationes istiusmodi habeantur, serventurque, iterum, atque iterum commendamus.

XLVII. Atque hæc maxime sunt, quibus Clerici Nostri cum ad veram animi pietatem, tum utilissimarum rerum cognitionem,

atque

atque scientiam instituantur; ut eos semper habeat Ecclesia Ministros, quibus ad Dei Optimi Maximi gloriam, suorumque filiorum salutem uti possit. Quod si aliquibus multa hæc, & magna fortasse videantur, secum ipsi persæpe, atque præsertim in annuo spiritualium Exercitiorum curriculo cogitent, quid Clericorum munera, quid dignitas postulent, quorum imaginem sic describebat Chrysologus (1): Clericus est, *qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter Altaria semper, neque a Dei oculis recedit unquam, qui peccatorum caussas, dolores populi suscipit, fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substitutus.*

CAPUT II.

DE DIGNITATIBUS, ET CANONICIS METROPOLITANÆ NOSTRÆ ECCLESIÆ.

QUæcumque de Clericalis vitæ honestate generatim complexi hactenus sumus, ad eos potissimum pertinere, qui majore inter ipsos honoris gradu præfulgent, facile per se quisque conjiciat. Est in omni honore pondus, & labor: cadunt in Ecclesiasticas Dignitates insigniora animi ornamenta, atque virtutes; atque ita cadunt, ut, si absint, is, qui honor est, honor esse desinat, vel sit etiam summa deformitas. Vos itaque nunc, Venerabiles Fratres, hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Dignitates, & Canonici, Nostrum præsidium, vigiles muneris Nostri Adjutores, lætitia Nostra, & præcipuum Sponsæ Nostræ decus, vos hoc loco appellamus, atque hujusce, quo affecti estis, honoris commemoratione nihil aliud facimus, quam vos hortari, ut vehementiore in Deum charitate flagrantes, quæ ad ipsius Dei Optimi Maximi cultum, Nostræque Ecclesiæ splendorem decernenda in Domino judicamus, sic accipiatis, atque servetis, ut ceteri, siqui inter minores Clericos ad desidiam forent, vel negligentiam propensi, vestram pietatem, vestrum Ecclesiasticæ disciplinæ studium, vestram in divinis Officiis assiduitatem, atque constantiam suspicientes, se se tam illustri exemplo ad Divina religiosius tractanda excitari, atque inflammari sentiant. Non est igitur, cur quisquam in tam præclarum Cœtum plura a Nobis expectet, quum sane quibus se legibus regat, satis per se possit, ac debeat intelligere.

I.

(1) *Serm. XXVI. n. 1.*

I. Quare ſit primo cura Venerabilis Capituli, propoſitis ſibi ſacroſancti Tridentini Concilii, atque aliis Canonum, Sanctæque Sedis Præſcriptionibus, ac ſimul hujus Eccleſiæ Privilegiis, Statuta ſua ſibi ordinare, condere, ac rite componere intra ſex menſes ab hac Synodo edita. Quæ deinde fuerint conſtituta, Noſtrum erit perpendere, rata habere, & quatenus opus fuerit exequenda curare.

II. Eſt præcipuum Canonicorum munus Dei laudibus publice explendis vacare (1); *atque in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei Nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare.* Illud igitur curæ potiſſimum habeant, ut exactum, ac diligens Eccleſiæ ſuæ ſervitium præſtent: quæque de divinis Officiis rite obeundis, de tota Chori diſciplina conſtituta a Prædeceſſoribus Noſtris, aut a Nobis alibi ſunt (2), ea diligenter teneant, eaque non integre modo, ſed debitis etiam horis, cumque omni pietate, ac religione perſolvant. Omnes Canonici diligenter impleant quæ ſunt proprii Ordinis munia: Miſſas, prout ſibi ex ordine obtigerit, per ſe quiſque decantet (3).

III. Nobis Pontificalia in Civitate obeuntibus tenentur ſedulo aſſiſtere, ac miniſtrare: neque id facere deſint ipſi, Nobis aſſiſtentibus Miſſæ ſolemni, aliiſve divinis Officiis (4).

IV. Ut Lectionibus ſacræ Scripturæ, quæ habentur in hac Metropolitana, utque Concionibus, quæ per Quadrageſimam, & Adventum ibidem habentur, ſedulo, ac frequenter interſint, jam commendavimus alias; idque iterum commendamus, ſperantes in Domino fore, ut major ſemper eorum cum pietas, tum zelus eluceſcat (5).

V. Quæ de Canonico Theologo decreta ſunt, ea commemoravimus alibi (6): modo de Canonico Pœnitentiario. Jam ſui muneris eſt Fidelium Confeſſiones audire (7). Ipſe itaque ſe pœnitentibus excipiendis facilem præbeat, quotieſcumque in Eccleſia Metropolitana vocatur, neque diligentiam ſuam deſiderari unquam ſinat, quum eam populi neceſſitas poſtulet: quin immo ſtatutis in anno temporibus, præſertim mane tenetur, quamvis non vocatus, ſua

(1) *Trid. Seſſ. XXIV. Cap. XII. De Ref.* (2) *Par. III. Cap. V. huj. Syn., & in Append. pag.* 116. *N. IV.* (3) *Vid. Trid. Seſſ. XXII. Cap. IV. De Ref. Syn. Creſc. pag.* 102. §. Propria. (4) *S. C. C. ap. Lambert. Inſt. CVII. §. IX. a n.* 57. *S. R. C. in Brunduſina* 15 *Jul.* 1617. (5) *Par. I. Cap. VII. N. XVI., & Cap. VIII. N. V.* (6) *Par. I. Cap. VIII. N. I. & ſeqq.* (7) *Qua facultate polleat jure ſuo, qua jure Diœceſ., vid. Par. II. huj. Syn. Cap. VI. N. I., & ſub fin. ejuſd. Cap. pag.* 99. *n.* 2.

in Sede, ut quemque audiat, adesse (1). Quoties autem in Ecclesia actu Confessiones excipit, perinde ac si Chori Functionibus præsens esset, fiat ipse Distributionum, emolumentorumque particeps (2), quibus Canonici reliqui præsentes gaudent tum in Choro, tum in Defunctorum Exequiis. Quæ tamen omnia eidem decedant, sive in Confessionali Sede moretur otiosus, sive Missam celebret, aut Horas Canonicas privatim legat (3).

VI. Porro Canonicis curæ esse debet, ut quemadmodum ipsi ex suis Præbendis commodum referunt, ita in iis tuendis, augendisque omnem, quam possunt, curam collocent: quidquid enim congruæ ipsorum sustentationi superest in pauperes, aut in pios aliquos usus erogandum. Idcirco qui eliguntur quotannis, ut hujusmodi bona, fortunasque visitent, diligenter observent quidquid ad tuendos fundos, atque ædificia, ad perficiendam agrorum culturam, ad cogendos uberiores cujusvis generis reditus necessarium, aut utile esse potest: totumque id Capitulo referant, ut hac super re, quæ oportuerit, sapienter deliberet.

VII. Atque hoc loco illud in memoriam revocamus, quod ex BENEDICTO XIII. (4) injunctum graviter est: nempe, ut medii fructus primi anni Beneficii cujuscumque, quod affectum non sit, aut Sanctæ Sedi reservatum, sint in Ecclesiæ Metropolitanæ Fabricam conferendi. Hæc observentur: illi, quorum est hosce fructus colligere, diligenter cognoscant, quota fructuum summa ex obtento Beneficio percipitur; deinde a Beneficiato dimidiam eorundem partem jubeant deponi in sacra Æde, aut penes publicum aliquem campsorem, ad hoc ut certa aliqua ratione veluti annua Cathedralis Ecclesiæ Fabricæ dos inde proveniat, nisi ea pecunia sit in ejusdem Fabricæ commodum Nobis consentientibus statim impendenda. Atque hæc omnia Sanctissimus Pontifex tanta diligentia procuranda imponit, sicque eorum conscientiam, qui in hujusmodi re sunt operam locaturi,

(1) *S. C. C. in Fossanen.* 18. *Sept.* 1637. *ad* 4. *ap. Nicolis V.* Pœnitentia *n.* 1. *in fine*, *in Verulana*, *aliisque ap. Crisp. Vis. Past. Par.* 2. §. 24 *n.* 1., *&* 2., *ubi decretum*, *posse quosdam dies ab Episc. designari. Synodus Cresc. designat maxime jejuniorum dies*, *& solemniora Festa*, *& eorundem Octavas*, *nempe pag.* 74. §. Omnium. (2) *Trid. Sess. XXIV. Cap. VIII. De Ref. Conc. Rom. Tit. XXXII. Cap. IV. S. C. C. in Theatina* 18. *April.* 1643. (3) *S. C. C. ap. Garz. De Benef. Par. V. Cap. IV. n.* 124., *&* 125. *Vid. Lambert. Inst. CVII.* §. *IX. a n.* 54., *& Syn. Fulg. Cap. V.* (4) *Const.* Pius, & Misericors *in Append. Conc. Rom. N. XXIV.*

ri, onerat, ut siquod horum culpa Patrimonio Fabricæ præjudicium emerserit, & ipsi, qui defecerint, & eorum hæredes teneantur omnia illata damna reficere.

VIII. At generatim nisi Capitulares Conventus statis, nec raro temporibus celebrentur, in quibus de tenendo divino cultu, atque amplificando, ac etiam de rerum administratione tuenda, seu moderanda agatur, utrumque paulatim deserveat necesse est. Est itaque communiter statutum, ut cogantur Capitulares omnes semel ad minimum in mense (1), non tamen die festo (2); citius vero, siqua urgeat caussa, nunquam tamen eo tempore, quo divina persolvuntur Officia.

IX. Et Capituli quidem indicendi provincia iis relinquenda, qui habent jampridem ex consuetudine: ad hos idcirco caussas unusquisque deferat, ob quas Capitulum convocandum videatur. Ast is, qui Capitulares convocat, schedam ad singulos, qui in Civitate sunt, perferendam curet; in eaque legatur & conventus indictio, & brevibus significata conveniendi ratio.

X. Simul ac quisque nuntium accepit, a Deo se vocatum existimet, ut iis, quæ Dei ipsius sunt, prudenter, viriliterque, quantum in se est, prospiciat. Quanti hoc sit, utque hoc unum, si probe teneatur, sit valiturum, vix dicere possumus. Hinc certe fiet, ut, nisi valetudo aliud revera postulet, nemo alienas, aut inanes, ne intersit, caussas prætexat: in ipsa autem actione privatas utilitates, ac studia partium quilibet privatus abjiciet, jura Ecclesiæ, quibus tuendis se se sacramento obstrinxit, mundana quavis cupiditate posthabita, unice spectabit; quumque satis habeat, unde in disceptandis rebus graviter, & utiliter dicat, totum id aget, ut nunquam facilitas, comitas, modestia desideretur; quæ omnia facile habebuntur, si Deum, Dei cultum, Dei Ecclesiam singuli animo sibi proposita habuerint.

XI. Distincte illud in omnibus Capituli deliberationibus, ac nominatim in electionibus servandum, ut omnes libertatem retineant: nemo igitur quemquam seu publice, seu privatim officiis, promissis, consanguinitatis, beneficiorum, amicitiæ recordatione, sive alia quavis ratione in suam sententiam trahere velle videatur: sola rationum vi, & copia res conficienda.

XII. Ea de caussa siquando hoc loco disceptandum incidat de re,

 quæ

(1) *Plur. Synod.* (2) *S. C. C. in Melitensi ann.* 1602., *in Andrianensi ann.* 1622.

quæ ſpeciatim pertineat ad Canonicum aliquem, vel ad alium illi conſanguinitate, ſive affinitate ad ſecundum uſque gradum conjunctum, ſponte ipſe ſua e concilio decedat, neque ad illud antea revertatur, quam ea tractatio fuerit abſoluta (1).

XIII. Suffragia ad rem aliquam definiendam ne aliter unquam ferantur, quam occulte (2): & quidquid major Canonicorum eo die congregatorum pars conſtituerit, firmum erit, atque decretum (3). Quod perfici pro rerum, ac temporum varietate non poterit, denuo ſubjiciatur Capituli iterum convocati conſultationi, atque ſententiæ. Quidquid non fuerit in iſto conſeſſu hac ratione placitum, vel ſtatutum, irritum eſto (4).

XIV. Quum animarum cura hujus Noſtræ Eccleſiæ Metropolitanæ reſideat penes Dominum Archipresbyterum, atque Capitulum, Capituli munus eſt, ut duos Sacerdotes ad eam exercendam eligat. Itaque Sacerdotes quoties eliguntur, ea ſint ætate, doctrina, vitæ ſanctitate, quos Noſtri Examinatores Synodales probare poſſint, Noſque ad id muneris poſſimus admittere (5).

XV. Litteræ ad Capitulum ſcriptæ non alibi, quam in Capitulo legitime coacto reſignentur, ac legantur, ac ſimiliter quas ipſum reſcribi juſſerit. Erunt itaque a Capitulo eligendi duo, qui ſibi (6) a Secretis ſint, quique tum hæc, tum reſponſiones, teſtificationes, atque alia nomine, & præſcripto Capituli agant: ac nequis Capituli auctoritate abutatur, illius ſigillum eſt duarum clavium cuſtodiæ ſubjiciendum; harum unam alter habeat e Secretariis, alteram alter. Eſt quoque Secretarii Acta Capituli diligenter excipere, eaque fideliter Actuum Capitularium libro committere (7). Jamque eſſet pœna falſi damnandus, ſi vel minimum quidpiam addidiſſe, mutaſſe, detorſiſſe, prætermiſiſſe deprehenderetur.

XVI. Eſt autem in Metropolitana Tabularium, ſeu locus, quem vulgo Archivum dicunt, in quo Tabulæ quævis tum veteres locatæ ſint, tum novæ inferantur in dies, atque apto diſponantur ordine, quæ eidem Eccleſiæ, aut alicui ex peculiaribus ipſius Cœti-

(1) *Plur. Synod., quod ſtatutum eſſe laudabile, atque approbandum expreſſe dixit S. C. C. in Paderbonen. 9. Auguſt.* 1704. *Vid. Syn. Fulg. Cap. III. N. XXVIII.* (2) *S. Car. Conc. IV. Par. II. Tit. quæ pert. ad Capit. &c.* §. Cum de rebus. (3) *Cap.* Cum in cunctis 1. *De his, quæ fiunt a maj. part. Capit.* (4) *De poteſt., quam hac in re habet Epiſcopus plur. ap. Criſp. De Viſit. Par. II.* §. *XXX.* (5) *Syn. Creſc. pag.* 105. §. Quoniam. *Vid. Cap. ſeq. huj. Par. N. X.* (6) *S. C. C. in Verul.* 25. *Jan.* 1744 (7) *Vid. Monacel. Tom. I. Tit. V. Form.* 2. *n.* 34

Cœtibus, five perfonis ufui vel fuerint, vel olim futuræ fint; Teftamenta, Codicilli, Inftrumenta, Fundationes, feu Erectiones Canonicatuum, & Capellaniarum, Anniverfariorum, varia Jura, Privilegia, Epiftolæ ad Capitulum, & a Capitulo, Capitulares Congregationes, ac Deliberationes, Apochæ, Libri diverfarum rerum, & fimilia.

XVII. Et quandoquidem detrimentum, nec raro grave, caperent Ecclefiæ Jura, & res, fiquod ex hujufmodi monumentis periret, aut etiam vitiaretur, decernimus cum Prædeceffore Noftro excommunicationem latæ fententiæ in eum, qui fine facultate fibi a Nobis facta fcriptum quodvis, aut librum quemvis e Capitulari Tabulario transferat extra Capitulares ædes; ac fimiliter in eum, qui ex aliquo eorum quidpiam detrahat, immutet, abradat, feu ratione quacumque corrumpat (1).

XVIII. Jam funt duo a Capitulo electi Tabularii ejufdem Cuftodes: habeant hi ejufdem loci claves; ipfi autem res eas accipiant, quas fubinde ordinate collocent, tum pervigilent, ac fevere prohibeant, nequis depofito fuæ fidei commiffo ullam e memoratis injuriis afferat.

XIX. Rem hanc totam concludimus gregi Noftro fignificantes, Clericis Canonicali Dignitate infignibus quovis loco, ac tempore non vulgarem effe honorem habendum: atque præfertim omnes Sacrariorum Cuftodes, quotiefcumque Canonicus ad faciendam in eorum Templis, vel Oratoriis Rem Divinam acceflerit, hunc honorem ita fignificent, ut eum reverenter excipiant, atque ipfi, prout ferunt Decreta, primas in facris indumentis, in eorundem fumendorum loco, in Altari ornato deferant (2).

De refidendi obligatione actum Par. III. Cap. V. a N. X.

CA-

(1) *Synod. Crefc. pag.* 102. §. Sub pœna. (2) *S. C. R.* 29. *Martii in Recinetenfi.*

CAPUT III.

DE MANSIONARIIS, BENEFICIATIS, CETERISQUE ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MINISTRIS.

PRæter florentiſſimum, quem allocuti hactenus ſumus, Canonicorum Senatum, alios neque paucos, habet Metropolitana Noſtra Eccleſia Miniſtros, ſuis quemque claſſibus comprehenſum, qui generali cum Canonicis nomine Metropolitanæ Clerus nuncupantur. Sunt qui dicuntur Manſionarii, ut ſatis ipſo vocabulo pateat eos, quibus temporibus eſt Choro ſerviendum, in chorali Cœtu adeſſe perpetuo, ac permanere: ſunt Clerici, ſeu Presbyteri Capellani, qui etſi cum Manſionariis unum Corpus, unumque Collegium a Canonicis diſtinctum, ſeparatumque conſtituant, neque ſinguli ſemper ad eadem Chori miniſteria eadem ratione teneantur, eo tamen omnes unice ſpectant, ut, ſive Choro interſint, ſive Miſſas, Anniverſaria, Officia ad pias Teſtatorum voluntates celebrent, decorum ſemper, atque laudabile cum Deo, tum Eccleſiæ famulatum exhibeant. Sunt alii denique, ſive ex iis, qui jam Beneficio potiuntur, ſive aliunde acciti, quibus ut animarum curam exerceant committitur, ut ea in tempore comparent, ac ſervent, quæ Metropolitanæ Functionibus, quæ ſacris Ritibus, quæ Sacriſtiæ Præſidum mandatis conveniant (1).

I. Atque hi omnes, quoties præcipi Clericis quædam audierint, intelligant, iis tanto ſe fortius obligari, quod Metropolitanæ dignitas eo apud omnes loco eſt, ut in ipſam populus univerſus intueatur, non ſecus ferme, ac olim filii Iſrael in ſuum illud Templum tanto honore dignum: hinc plus pietatis, continentiæ, religionis, ſanctitatis a ſuis Miniſtris, quam a ceteris jure ſuo ſibi expectat, ac repetit. Nihil igitur attinet modo apud ipſos dicere, quæ de vita, & honeſtate Clericorum perſtrinximus.

II. At potius generatim mandamus, ut quæcumque de divinis Officiis rite obeundis, de Chori diſciplina, de percipiendis Diſtributionibus ſtatuta alibi ſunt, ea ab ipſis rite ſerventur (2). Hæc autem ſpeciatim a Manſionariis exigimus: nempe, ut in Chori ſervitio

(1) *Vid. Præconium, ac Decr. a Clem. XII. habit. in Conſiſt. pro erect. Eccl. Ferrar. in Archiep.: legitur ſub init. Syn. Creſc. pag.* XXIV. (2) *Par. III. Cap. V. huj. Syn., & in Append. pag.* 116. *N. IV.*

tio strenue, ac sollerter munus suum exerceant, a quo maxime pendet, ut ceteri quoque ordinem, & concentum sequantur, utque retineatur in omnibus dignitas, quæ religionem semper alere solet.

III. Quare ut caveatur, ne dissonum quid inter divinas laudes incidat, nequis hæreat, nequis procurrat, nequid agatur cum clamore, præpropere, uno verbo indecore, Mansionarii mature adeant Chorum, ibique singillatim cuncta provideant. Ita vero tonum, ac tempus, interjectis in recitatione pausis, moderentur, ut commode alii & sequi, & quod pronunciant mente assequi non impediantur (1).

IV. In medio Choro est pulpitum, sive *Lectorium*: quoties aliquid ab eo sive separatim, sive conjunctim Mansionariis canendum sit, eodem semper accedant; neque antiphona ulla, neque toni ulli ab ipsis, nisi stantibus, instituendi.

V. Subsint Præfecto Chori in rebus, quæ ad universum Chori servitium pertinent: ac ille, si minus obsequentes sint, culpam, quatenus meruerint, punctationibus plectat.

VI. Ast ne cujusquam Mansionarii absentia Functiones Chori minus decore obeantur, nemo ex eis vacationibus jure concessis utatur, quin Dominus Archipresbyter, vel qui Præfecti agit vices in Choro, annuerit. Hic autem annuet, si modo tot Mansionarii supersint, ut nullo unquam tempore Chori servitium non impleatur. Præterea, antequam aliquis absit, & Punctatorem admoneat, & illum e Collegis suis, qui esset post se ex ordine acturus. Neque minus hosce omnes a Mansionario moneri necessarium est, quum in morbum inciderit: siquem eorum monere negligat, pœna dimidiatæ punctationis non carebit. Modo de Capellanis.

VII. Atque hi primum advertant, ipsorum Beneficia in hoc Templo fuisse ea etiam mente instituta, ut ex Ministrorum numero major sacris Functionibus & dignitas, & majestas accederet: quamobrem etsi eos ad perpetuum Chori servitium non compellat Ecclesia, tamen monemus, eos non posse ulla Distributionum parte frui, nisi cum reliquis intersint in Choro, ac suam cum iis vocem actu, operamque conjungant: deinde, ut diebus saltem solemnioribus id obsequii Deo, & Ecclesiæ impendant, vehementer hortamur.

VIII. In id universim incumbant, ut apprime cognoscant, impleantque onera Anniversariorum, atque Missarum quod ad Templum, Altare, dies, ritusve, ne suo muneri desint, neve jure percipien:

(1) *Synod. Cresc. pag.* 103. §. Ne vero.

cipiendorum fructuum excidant. Item observent, quum ex fundatione debent celebrare Missas per se, caveantque, ne alios sibi substituant.

IX. Jamque prostat in Beneficiatorum Sacrario Tabella nuperrime jussu Nostro confecta, typis edita, atque a Nobis plane probata, in qua ordinate leguntur onera quæcumque Beneficiatis imposita: extant ibidem jussu Nostro Codices juxta varias onerum species, quibus patent voluntates quæcumque, Legata, & conditiones a Testatoribus, ac Fundatoribus peculiariter habitæ, ad normam Instructionis sanctæ memor. CLEMENTIS XI., & juxta sacræ Congregationis Concilii Decreta. Extat Codex etiam describendis Missis adventitiis, quarum nempe stipendium libere identidem solet offerri. Insuper constituimus ex Beneficiatis, qui horum Codicum Custodes, & ex Canonicis, qui eorundem dicerentur Revisores, & essent in solidum. Quare hæc quæ sequuntur edicimus, atque mandamus. 1. Hi omnes Codices in memorato Sacrario asserventur, atque eo loco, ut in promptu semper cuilibet sint. 2. Beneficiati, qui Missas celebrant ex onere sibi imposito, suum singuli nomen in parato Codice adnotent; at dietim id faciant, quin cuiquam liceat plures uno die Missas describere: item qui per se celebrat, manu ipse describat sua; siquem substituit, qui substituitur, ille describat. 3. Edicimus, ut Custodes semel in mense, vel sæpius etiam, si postulet res, hosce Revisoribus Codices obferant, ut ipsi recognoscant, num satis fuerit omnibus, & singulis oneribus factum; possintque insuper, siquid peccatum, Nobis antea consultis, opportune prospicere. 4. Suus etiam sit Codex, in quo describantur Missæ Conventuales ipsius manu, qui celebravit. 5. Qui adventitias celebrat Missas, ipse eas in suo separatim Codice adnotet; unde quotnam datæ sint eleemosynæ, & quomodo obferentium voluntas impleta, constare cuiquam aperte, ac facile possit. Tandem edicimus, ne hosce libros a Sacrario unquam extrahi Custodes sinant, Nobis non consentientibus.

X. Sacerdotes, qui a Capitulo eliguntur, ut animarum curam exerceant, ea omnia ad se pertinere existiment, quæ de Parochis statuta sunt (1): hoc unum addimus, ut in Canonica Metropolitanæ Ecclesiæ eorum saltem unus continuo pernoctet.

XI. Munus Cæremoniarum Magistri est opportune cognoscere, an quo tempore habenda est quævis Functio, ibi omnes adsint Ministri, qui necessarii fuerint, & an supellex, quæ pro diversa temporum ratione erit varianda, sive augenda, in promptu sit, nec ne;

ac

(1) *Hac Par. tot. Cap. V.*

ac mature eos, ad quos ſpectat, admoneat, ut inſtructa ſint omnia.

XII. Ipſius maxime muneris eſt efficere non ſolum, ut nulli e præſcriptis Ritibus omittantur, ſed etiam nequid geratur minus concinne, ac decore; quare exemplum ipſe omnibus ſit gravitatis. Siquando plures uno tempore errare viderit, ad magnam animi tranquillitatem ſe comparet, ac præſertim, quos in errorem lapſuros ſuſpicatur, eos inſtruere ante ſtudeat, quam in ipſam veluti arenam deſcendant.

XIII. Ad ipſum deinde conficere pertinet annuum Kalendarium, idemque emendatiſſime imprimendum curare; ex eo enim debet quiſque cognoſcere, quanam ratione ſingulis diebus ex Breviarii, & Miſſalis Romani Rubricis, atque ex hujus Eccleſiæ Privilegiis ordinandum ſit divinum Officium, & quænam Miſſa legenda, ac præterea quænam præcipue in Metropolitana Functiones peragendæ.

XIV. Ad ipſum etiam vi Noſtræ juſſionis (1) ſe conferent novi Sacerdotes, priuſquam Sacrum primo facere aggrediantur; neque enim facient, niſi quos ipſe ad id probaverit. Verum per ipſam Rei gerendæ ſanctitatem, perque Altarium decus caveat, ne quemvis probet, niſi quem experimento diligentiſſime capto apprime in tota Actione peritum deprehenderit.

XV. Præter hunc Eccleſiaſticum virum, quem Nos Cæremoniarum Magiſtrum, ſeu Præfectum habemus, alium habet Venerabile Noſtræ Metropolitanæ Capitulum: quorum uterque quum in ſacris Ritibus peritiſſimus eſſe debeat, utrique etiam concedenda eſt facultas, ut Cœtibus ſinguli ſuis, quæ agenda ſunt, præcipiant, eorumque dicto quiſque audiens ſit. Id itaque jubemus; & ſiquis Cæremoniarum Magiſtri præceptiones minus prompte exequatur, pœnam luet.

XVI. Quum vero divina totius Religionis Myſteria ſacris præſertim Ritibus declarentur, ac illuſtrentur, iiſque divina beneficia ſenſibus quodammodo objecta in memoriam redeant, atque in animis Fidelium inſigantur, viderint qui ſacris hiſce Ritibus præſunt, quanta diligentia, quantaque ſibi cura præſtandum, ut quidquid magno conſilio præſcriptum in hac re habemus, adamuſſim etiam, magnaque cum reverentia perficiatur.

XVII. Sacriſta totius deinde Templi curam agat, ſed populi præcipue, qui in ipſum convenit, ut ſiquis Pœnitentiam, vel Euchariſtiam poſtulet, nihil moræ per ipſum ſit, quominus hæc miniſtre-

(1) *Ex Cap. IX. N. XXVIII. Part. II.*

nistrentur: similiter ut est optandum, nulla hora deesse, qui sacrificet, Sacrista ne plures Sacerdotes veluti gregatim sinat e Sacrario ad Aras properare, sed aliquod temporis spatium enitatur, ut inter unius, & alterius Missæ initium intercedat.

XVIII. Universa loci supellex sibi commissa est, ut custodiatur, reficiatur, innovetur, augeatur. In primis autem ea persæpe exquirat, quæ, quum usu quotidiano facile inquinentur, scindantur, obterantur, fiunt sacris Ministris inepta; quæ continuo prohibeat, & alia satis concinna instrui jubeat.

XIX. Pueri sunt in Sacrario, qui tum in rebus aliis, tum præcipue Sacerdotibus ad Aram ministrent: jubeantur ab eo, qui illis præest egregie in suis ministeriis institui, ac summo mane adesse in veste talari, & Superpelliceo ad ministrandum, ubi primum advocentur, parati. Hæc quotidie.

XX. Sed diebus, ac loco, ubi ipsis traditur Christiana Doctrina, ita intersint & frequentes, & arrecti, ut res ad salutem necessarias ediscant, bonisque moribus informentur: item ad Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramenta accedant semel ad minimum in mense; at qui contumaces indociles, malo ingenio videantur, hi dimittendi.

XXI. Fieri omnino non posse intelligimus, ut quo plures ad diversa sæpe munia conveniunt, ibi silentium servetur. Quum nihilominus vehementer id in Sacrariis indecorum videatur, rebus interdum ibidem ordinandis importunum, persæpe etiam iis, qui Sacrificii caussa se colligunt, molestissimum accidat, Sacristæ quidem diligentiam exquirimus, ut neminem saltem vociferari, disputare, aut similia agere permittat: verum nihil efficiet, nisi id omni studio curet quisque per se. Qui igitur in hunc locum conveniunt, id sibi persuadeant necesse est, & modestiam, & silentium, tum mutuæ inter eos reverentiæ, tum vero magis ipsius divini obsequii caussa esse servandum: quod nisi fiat, & confusio, & molestiæ, & offensiones ubi, ac inter quos minus decet, consequentur.

XXII. Denique quod in bene constituta Republica Cives, quodque in familia domesticos beatos maxime facit, est rerum ordo tranquille servatus, quem jucundissimo pacis nomine designamus. Pacem autem sive gignit charitas, sive ipsa est vinculum, quo ordinem, pacemque servamus. Quum igitur ab conveniendi, & simul operandi assiduitate permultæ soleant pacis sive colendæ, sive violandæ occasiones existere, charitatis studium videtur esse, in quod

conti-

continenter Nostræ Metropolitanæ Clerus incumbat. Hi igitur omnes juberi se ab Apostolo existiment, quum Ephesios excitaret, ut servarent unitatem spiritus in vinculo pacis.

CAPUT IV.

DE VICARIIS FORANEIS.

MOnet Nos Episcopalis muneris cura in id omni sollertia, atque studio incumbendum esse, ut quæ a sacris Conciliis, a Summis Pontificibus, a Prædecessoribus Nostris pie, prudenterque statuta sunt, sedulo, ac rite serventur. Verum quum pro Diœcesis amplitudine, atque gerendarum rerum copia neque singulorum aut indigentiis, aut periculis possimus occurrere, neque res omnes, quæ aguntur, per Nos ipsi cognoscere, necesse est, ut alii in Pastoralis sollicitudinis partem vocentur. Habemus quidem in Civitate Vicarium Nostrum Generalem, qui a Nobis in Ministerii Nostri adjutorem assumitur, maximasque cum eo muneris curas partimur. Sed uti mos olim fuit, ut in Pagis, ac Oppidis ab Episcopali Sede dissitis constituerentur Corepiscopi, qui pro Episcopis advigilarent, eorundemque vices in quibusdam supplerent, Corepiscoporum nomine, atque usu sublato suffecti sunt Vicarii, quos Foraneos vocant, qui in partibus, ac locis apte distributis continuo vigilent, &, ne grex a Pastoris longinquitate ullum patiatur detrimentum, diligentissime curent. Nos Vicarios Foraneos declaramus, pro sua quemque Plebe, Plebanos: verum si ipsi commissi muneris rationem animo versent, non erit, cur mirentur, summopere Nobis curæ hujusmodi esse ministerium; & si voluntate erunt in Ecclesiam, ejusque bonam administrationem propensi, præteritam, siqua fuit, in hoc munere obeundo desidiem acri deinceps diligentia compensabunt, neque spem Nostram Diœcesi utilissimam frustrari sine caussa patientur (*).

I. Eos Vicarios Foraneos esse volumus, qui tum Parochos totius Plebis, tum populos veluti e specula prospiciant; & siquid illic ad æternam salutem necessarium aut omitti, aut minus recte agi deprehenderint, remediis per quos spectat adhibitis, perfici,

 seu

(*) *Quæ sequunt. pleraque desump. ex Conc. Rom. Tit. VII. Cap. II*, *& ex Syn. Cresc. pag.* 108. *tot. Cap. V.*

seu corrigi non segniter studeant. Itaque primum de Parochis suis pervideant, an ipsi apud suos greges commorentur, an in Christianam rudium institutionem satis incumbant, an Sacramenta populis suis facile ministrent; quibus charitatis officiis prosequantur infirmos, qua diligentia, atque cura annua funebria, & reliquas obligationes ex variis Testatorum præscriptionibus persolvant, num piorum locorum res, & fundi diligenter habeantur, num pareatur Decretis in sacra Visitatione, & in hac Nostra Synodo habitis: tandem semel in anno Parochiales libros visitent, utrum ea sint ratione comparati, quam Romanum Rituale præscribit, eaque asserventur ratione, qua opus est. Hæc perscrutari maxime Vicarios jubemus; ac siquid a suis Rectoribus peccari in hisce cognoverint, prudenter quidem, atque perhumaniter, sed prompte tamen, ac libere Parochum ipsum, interposita Nostra auctoritate, moneant, atque erratum emendari jubeant. Quod si gravior esse res videatur, & gravius remedium exigere, ea Nobis, vel Vicario Nostro Generali deferenda.

II. Sed Vicariorum sollicitudinem in ceteros quoque Ecclesiasticos proferimus. Est enim a singulis reposcendum quidquid fuit de Clericorum vita & honestate decretum; a Clericis præsertim, ut doctrinam Christianam tradant, inserviant Ecclesiæ, crebro Sacramenta suscipiant, ut impense studiis operam navent, nihil agant, quod Clericali Ordini dedecori esse videatur: & siquid Vicarii peccari deprehenderint, cum eorum Rectoribus communicent, quodnam afferri remedium possit.

III. Quin etiam in Plebis Laicos a Vicariis inquirendum, maxime sicubi periculum Catholicæ Fidei timeatur. Quo circa, ne pravi unquam libri in gregem irrepant, diligentissime curent, ne sint qui se vagis hominibus addant, ne Hebræi diutius morentur, quam concessum ipsis sit, nequis scholas aperiat, quin Fidei Professionem ediderit. Quæ omnia etsi Parochis singulis commendata in primis ex proprio munere sint, earumque rerum ratio ab ipsis reperi debeat, pro iis tamen etiam Vicarios advigilare volumus. Item advigilare eosdem volumus, ut qui testamentum scribunt, aut recipiunt ex jure, quod sibi impositum est, penitus impleant (1).

IV. Sed illud Vicariis etiam sit curæ, ut Parochos, Confessarios, Sacerdotes, Clericos sui Vicariatus semel quibusvis mensibus apud se congregent, ubi de propositis conscientiæ Casibus sententiam

(1) *Nempe Cap. VIII. N. VIII. Par. V.*

tiam dicant: quæ igitur tradita fuit hujus Congregationis habendæ ratio, ea tota Vicarii curæ, atque ſollicitudini credita eſt. Ipſe vero & habitæ Congregationis teſtimonium, & faſciculos eorum, quæ ſcripta fuerint, & quoties, quibuſque de cauſſis in hujuſmodi Congreſſu quis non interfuerit, ad Nos mittet (1).

V. Quocumque tempore alicujus momenti negotium maxime urget, nec moram patiatur, Vicarius conſilium in arena, ut ajunt, capiat, & pro re nata continuo decernat, ac provideat: nihil autem expectandum, quo minus illud ſive coram, ſive per litteras Nobis ſignificet. Ceterum crebra intercedat neceſſe eſt Vicariorum cum Noſtra Curia rerum, conſiliorumque communicatio: idcirco præter litteras, quas Nobis identidem dabunt, quoties in Civitatem venerint, ne eis hinc diſcedere liceat, niſi a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali, ſiqua dicenda illis ſint, ipſi petierint.

VI. Quum Parochus aliquis in morbum incidit, huic Sacramenta ex conſuetudine miniſtret vicinioris Parochiæ Rector: attamen eundem conveniat officii cauſſa ipſe etiam Vicarius. At, Parocho vita functo, Tabularii clavem ſibi accipiat Vicarius, & quæcumque Scripta deprehendet, vel Libros, qui ad Parochiam ſpectant, ſigillo obſignet ſuo; tum hæc omnia nomine depoſiti cuſtodienda committat idoneæ Perſonæ, quæ pœnam violati depoſiti dabit, ſiquid ex illis reſignari, aut alio transferri ſinat, niſi ab eo, quem Nos mandaverimus. Similiter moneat hæredes Parochi de gravi culpa, de excommunicatione, deque crimine repetundarum, ſi rem quampiam Eccleſiæ occupent, ſive ſubducant. Hæc Vicarius Foraneus ex officio, niſi, rebus omnibus ſpectatis, hæc ipſa facere opportunius exiſtimet Parochus vicinior, qui Sacramenta miniſtrat; erga quem malumus, ut Vicarius facile potius, ac benigne ſe gerat, quam imperioſe.

VII. Unum præterea eſt, quod a duobus jam pridem Cardinalibus Prædeceſſoribus Noſtris de Verme, & Creſcentio ſapienter conſtitutum fuit, ut Vicarii Foranei ſimul omnes in Civitate quotannis adſint, atque in Archiepiſcopali Palatio congregati de Diœceſi coram Antiſtite agant. Nos itaque præſcriptionem, quæ magnos, uberesque eſt fructus allatura, vigere cupientes, eandem Legem edicimus, atque mandamus, ut Conventus Vicariorum in Noſtro Palatio ſingulis annis agatur: præfinimus ad id Feriam quintam poſt diem Pentecoſtes. Quæ res, ut commodius, atque utilius perficiatur, totam con-

(1) *Vid. Cap. I. N. XL., & ſeqq. huj. Par.*

confilii Noſtri rationem fuſius in Appendice exponemus (1). Atque hæc ſane Congregatio quamdam veluti annuæ Synodi ſpeciem habebit, a qua maximum fructum extiturum confidimus: hinc enim fiet, ut uno die, quid in tota Diœceſi agatur, penitus internoſcere poſſimus, atque collatis Vicariorum conſiliis rebus univerſis melius proſpicere.

De Synodalibus Teſtibus ſecreto deſignandis actum in Synodo eſt; nibil autem de ipſorum munere: at quodnam hoc ſit, conſtabit maxime ex Append. pag. 140. *N. III.*

CAPUT V.

DE PAROCHIS.

SEd jam vos alloquimur, Venerabiles Fratres, fideles Diſpenſatores Myſteriorum Dei, atque Coadjutores fidiſſimi in opus Miniſterii, ad quod ſumus aſſumpti. Magnus quidem Paſtoris honos, ac dignitas: nam qui animas in æternam ſalutem dirigendas ſuſcipiunt, non modo Apoſtolorum, quos poſuit Deus in lucem gentium, non modo Angelorum, qui miſſi ſunt propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſed ipſius æterni Dei Filii ſimilitudinem referunt, qui evehendis ad Cœlum hominibus factus eſt homo, vitamque, ac mortem huic operi charitate plane Divina totus impendit. Verum magnum etiam Paſtoribus onus impoſitum: nam ſi cuique difficile futurum eſt ſuæ tantummodo animæ rationem Judici ſeveriſſimo reddere, quid expectandum illis, qui præſunt, quibus indictum duriſſimum fore judicium? Nos certe infirmitatem Noſtram ſummopere gravari ſentimus, ac præter alia, quæ conamur efficere, hanc quoque Synodum magno ſane animo celebrandam ſuſcepimus, ut gregi Noſtro, Nobiſque ipſis tremenda illa die non ſit leviter profutura: ipſi vero Parochi, ut tam præclaro, ad quod vocati ſunt, muneri reſpondeant, tantumque onus virtute omnino pari ſuſtineant, quæcumque pravis populorum moribus corrigendis, iiſdemque ad virtutem, atque pietatem inſtituendis decrevimus, conſtanter pro viribus urgeant: idcirco etſi eos tota hac Noſtra Synodo appellemus, hoc tamen loco quædam potiora in unum veluti collecta proponimus, eiſque iterum, atque iterum commendamus.

I. Placet tamen prius commemorare, quid agendum, ſimul ac de Paſtoris officio ſuſcipiendo quis cogitat: nempe ſecum ipſe conſideret

(1) *Vid. Appen. pag.* 140. *N. III.*

fideret, an ad illud vocetur, tanquam Aaron, ab ipso Deo, eo nimirum studio, ut operi vitam devoveat, quod acceptissimum Deo est, magnamque habet apud ipsum remunerationem. Veh illis, qui, ut ajebat Isidorus (1), *suscipiunt sublimitatis culmen non pro pastorali munere, sed pro solius honoris ambitione, atque opere dignitatis solam nominis appetunt dignitatem*. Non enim Pastor bonus est, sed mercenarius, ut docuit Gregorius (2), *qui terrenis commodis inhiat, honore Prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, & impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur*. Siquis a præstituto fine deflectat, præter ruinam, quam animæ suæ struit, inane fore Nostrum quodvis erga ipsum, suumque gregem studium fatemur, inane ferme quidquid sanciri Legibus potest.

II. Sit ergo eorum, qui Parochiam sibi optant, rectissima ad Deum mens, atque animus: sic etiam fiet, ut non solum quidquid simoniam ad Beneficia captanda sapere potest, penitus explodatur; sed ut ne ipsæ quidem admoveantur Magnatum, aut præstantiorum virorum commendationes, adhuc per se abjectæ, ac nullum unquam apud Nos pondus habituræ; quandoquidem in auribus continenter habemus ; *qui non intrat in ovile per ostium, ille fur est, & latro* (3). Insuper fiet, ne dilationem, repulsam, electionem aliorum moleste ferant; & eo honore, quandocumque quisque dignatus fuerit, ita lætabitur, ut nihil nimium a se exposci sit judicaturus, & propositum iter alacri cursu confecturus.

III. Quandocumque fuerit quispiam Parochus renuntiatus, nihil ab eo antiquius habuerimus, quam si in aliquam Regularium domum digressus ibidem Exercitiis spiritualibus ad decem dies vacet, hunc in primis fructum percepturus, ut suæ, aliorumque saluti se totum impendat: atque, hoc veluti jacto fundamento, omnem subinde vitæ suæ rationem moderetur.

IV. Et hoc omnium maxime opportunum est tempus, quo sæculari tumultu remoto, curisque dimissis, secum ipse serio perpendat, atque alte animo insculpat, quænam sibi divinitus injuncta sint. Quare ex Concilio Tridentino, quod divinum plane Præceptum animarum Pastoribus denuntiat, sic habeat: debere eos nempe (4) *oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum cu-* ram

(1) *Isid. de sum. bon. Lib.* 3. *Cap.* 31. (2) *S. Greg. Magn. Hom. XIV. in Evang.* (3) *Joan.* 10. 1. (4) *Seff. XXIII. ineunte Cap. I. De Ref.*

ram paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt... In quæ verba hæc sibi fideliter servanda proponat.

V. Ut Parochus oves suas cognoscat, ipse quum primum Parochiam cœpit, adeat singularum domos, ibique singulas de facie, ac nomine curet cognoscere, ædium ipsarum habitudinem notet, familiæ numerum, variasque ætates, & vitæ conditiones intelligat. Id enim ipsum poterit aliquando, nec fortasse raro, utile esse, ut varia peccata arceantur.

VI. Quos vero novos in Parochiam incolas venire audierit, curet hosce quamprimum cognoscere, aut eos ad se venire jubeat, neque id ultra quindecim dies admodum differat; quin, si externi ii sint, hoc est nondum in vicinitatibus noti, investigare opus est, tum quænam eorum sit vitæ ratio, tum, siquando fœminas instar uxorum habeant, quibuscum vivant, exigendum est Matrimonii testimonium a Parocho, vel qui eos conjunxit, vel saltem a quo profecti proxime sunt.

VII. Eas enim oves præcipue necesse est consectetur, quæ errant, ut ad ovile reducat. Propterea assidue in singularum vitam, ac mores inquirat, num rixæ, odia, inimicitiæ inter ipsas exardescant, num in contractibus admittantur usuræ, num sacris hominibus, rebus, locis reverentia habeatur, num exaudiantur blasphemiæ, num Sponsi commune habeant tectum, & sicubi Conjuges habeant sine Nostra auctoritate diversum; an in alicujus domo obscœnæ asserventur picturæ; qua in re vigilare Parochum diligentissime volumus, quo præsertim tempore domos, atque cubicula lustrali aqua aspergit: quod si ab aliquo pariete hujusmodi tabulam pendere conspiciat, moneat dominum domus, ut eam inde penitus tollat. Quicumque tamen sint in populo abusus, ne animum unquam despondeat; quum enim peccatoris mortem Deus profecto nolit, sed ut magis convertatur, & vivat, ecquid est in hoc genere tam ab humanis viribus remotum, quod divina Gratia remediis interdum vel levibus facillime non superet, quæ tamen sæpe ab hominum mavult diligentia proficisci?

VIII. In eo itaque Pastoris industria versabitur, ut tota prius cognita sui gregis natura, morborumque conditione, ea remedia apponat, unde primo vitia eradicanda suscipiat, quæ horridiora sunt, quæque grassantur latius. In Civitate metuendum semper a peste pro-

proſcriptorum Librorum, ſunt qui in Templis conſpiciuntur parum religioſi, nunquam non eſt fœminarum luxus caſtigandus. In agro, & villis præcipuus gravium malorum fons, & cauſſa ſunt tabernæ, atque cauponæ, ſunt vigiliæ, & nocturni quidam per hyemem cœtus, atque etiam cum diurni, tum nocturni per æſtatem in areis: hæc omnia, niſi cautiſſime habeantur, ſunt periculi plena. Id nempe denuntiandum tum in Concione, tum in privatis ſermonibus, agendumque cum Patribusfamilias, ut fœminarum cœtibus alius omnino, atque a marium cœtibus locus deputetur, nec facile utrovis aditus pateat; aut ubi fœminæ admittuntur, ne alii certe mares tolerentur, quam ex ipſa familia, quos in officio Parentes omnino contineant. Quod ſi non præſtent, hi neque muneri, neque conſcientiæ ſatisfaciunt ſuæ, quum liberorum, aliorumve peccata ad Parochum tantummodo deferant. Qua in re ſervetur ad unguem Edictum Noſtrum, quod promulgari quotannis ſolet.

IX. Eſt tamen Parocho ſemper modus in correptione ſervandus: qui enim Paſtores mittuntur cum virga, cujuſmodi ſe fuiſſe teſtatur Paulus, charitatem primo proferunt, proferunt manſuetudinem, nec virgam, ideſt proferendæ poteſtatis inſigne, & ulciſcendi inſtrumentum doloris adhibent, quin eorum ipſorum, quos arguunt, conſulant voluntatem (1). Præceptum iſtud ne unquam ex Parochi memoria dilabatur; compertum ſiquidem eſt, patientia, & aſſiduis charitatis officiis plures flecti, quam terroribus, ac vi. Quæ tamen publica ſunt, & apta ſaniorem gregis partem inficere, quæque tolerare non conſuevit Eccleſia, publica quoque increpatione, minis adjectis, retundantur. Quæ quidem ſi ad meliorem frugem reos non adducant, Nos ipſi ad extremum aggrediemur contumaciam perfringere: porro quæ Nobis deferre quotannis ſinguli Parochi debent, teneant, quodque in Appendice traditum eſt obſervent diligentiſſime (2).

X. Aliam nunc Parocho indicamus ovium ſuarum agnoſcendarum rationem. Eſt enim muneris ſui ſingulis annis ſub initium (quod erit opportuniſſimum) Quadrageſimæ minutum, atque diſtinctum earum cenſum perſcribere, unde tum ipſarum numerus, tum etiam ſexus, ac ætas legenti facile pateat: item qui nati, qui baptizati, qui confirmati, qui Matrimonio conjuncti, qui defuncti eo anno fuerint. Inſcribatur autem hic Codex: *Status animarum*: ſitque a reliquis Codicibus diverſus. Hujus exemplar apud ſe cum reliquis Parochialibus Libris aſſervet: aliud, cui ſe ipſe ſubſcripſerit,

(1) *Ex. D. Ambroſ. Lib.* 7. *in Cap.* 10. *Luc.* (2) *Vid. Append. pag.* 144.

quodque Parochiali ſigillo obſignarit, volumus ad Curiam Noſtram quotannis pervenire. Is itaque Libellus Vicario Plebis tradatur, cujus erit efficere, ut ad Nos perveniat, quum Olea ſacra a Metropolitana petet, vel petitum aliquem mittet.

XI. Parochiales interim Libri erunt quinque: primus Baptizatotorum, alter Confirmatorum, tertius Conjugatorum, quartus Defunctorum, poſtremus Statum animarum in ſingulos annos continens: omnes firmiter compacti, atque ad regulas Ritualis Romani accurate conſcripti. Alia præterea ſint ſcripta, quæ diverſis nominibus ad Parochiam pertinent, Teſtamenta, Codicilli, Inſtrumenta, Inventaria, multiplicium redituum Rationes, Apochæ, Litteræ, quibus Reliquiæ, vel Indulgentiæ conceduntur, & quibus etiam revocantur, utrarumque Indices, Acta Paſtoralium Viſitationum, Synodus Noſtra, Edicta, atque alia. Habeant inſuper Parochi ſigillum Parochiale, inſculptam referens cum Parochiæ nomine effigiem Titularis ejuſdem Eccleſiæ: hoc utantur in Actis Parochialibus, ac in litteris ad Noſtram Curiam datis, præterea minime. Quæ omnia una cum Libris, quos Parochiales appellavimus, diligenter ordinanda, & cuſtodienda.

XII. Volumus enim, atque præcipimus, ut apud quemvis Parochum ſit Tabularium, ſive Archivum in apto aliquo loculo ſecretiore, quod ſera, & clavi firmiter occludatur. Neque vero hæc clavis alteri unquam permittenda, niſi coram Parocho, vel fidiſſimo aliquo viro, ſitque graviſſime cuique interdictum, quidpiam in illis tabulis vel leviter corrigere, detrahere, alio exportare. Quæ omnia Nos ingentia veriti incommoda, perturbationeſque ex hujuſmodi Librorum incuria profectas ſeveriſſime ſervanda mandamus: quique minus accuratam in ſuo Tabulario cuſtodiendo operam impenderent, rei apud Divinam Majeſtatem fierent, quod metuendum maxime eſt, earum omnium calamitatum, atque damnorum, quæ inde exiſterent. Extrinſecus inſcribatur: *Archivum Eccleſiæ Parochialis*.

XIII. Jam vero illud exponamus, quo animarum Curatores jubentur pro ovibus ſuis Sacrificium offerre; eſt enim aperte declaratum eos, qui curam hujuſmodi actu exercent, ſeu perpetua ea ſit, ſeu temporaria, quocumque nomine donentur, nempe ſive Parochi, ſive Vicarii, ſive etiam Œconomi, ſive Sæculares ſint, ſive Regulares, teneri ſe Dominicis ſingulis, aliiſque per annum Feſtis ex Præcepto Sacrum facere, & fructum medium applicare pro ſuo populo,

neque

neque posse illud pro aliis applicare, aut eleemosynam aliunde oblatam iis diebus percipere (1). Immo vero ne morbo hinc quidem excusantur, sed alteri Sacerdoti id munus est ab ipsis imponendum (2). Igitur inter Missarum onera hæc Parochialis distincte recenseatur; jamque Revisores Missarum hujus quoque oneris expleti rationem ab ipsis exigent: quemadmodum vero a pluribus diligentioribus factum novimus, ut in hujusmodi Missis describendis festum etiam, quo celebratæ sunt, diem indicent; ita hoc ipsum a reliquis omnibus fieri optamus: quod sane in iis revisendis commodum erit.

XIV. Qui tamen hac lege omnes animarum Curatores obstrinxit, idem Summus Pontifex cavit etiam, ut siqui ex illis adeo pauperes essent, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione percipiunt, vivere cogerentur, possent Episcopi eandem legem ita moderari, ut hisce Pastoribus concederent, diebus festis eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, & mox tot infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis intra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem alterius pii benefactoris mentem obtulerint: est itaque in Nostra potestate positum id judicare, &, quatenus opus sit, petenti concedere (3). Sed omnes præterea, qui animarum curam habent, fundant sæpissime pro suis ovibus ad Deum pre ces quibus aliquot corporis afflictationes conjungant, ut Divinam pietatem magis, magisque excitent. Quidquid enim homines ad populorum salutem procurandam efficimus, totum id tandem ab eo necesse est vires sumat, in cujus manibus sunt hominum corda.

XV. Item aliis muneribus instandum: inter hæc Prædicationem divini Verbi, & Christianæ doctrinæ traditionem commemoramus. De quibus etsi plura diximus alio loco (4), nunc Parochis considerandum proponimus: 1. ipsos urgeri Præcepto plane divino pascendi oves suas divini Verbi prædicatione (5): deinde Verbum divi-

(1) *Ex Const. Bened. XIV.* Cum semper *CIII. Bull. Tom. I.* §. 1., *& seqq.*
(2) *S. C. C. in resp. ad dub. ab Emo Cresc. propos. in Rel. Status Eccl. Ferrar. sic. Parochos item infirmitate impeditos negat S. C. C. tutos esse in conscientia, nisi ab eo, qui vicariam iis præstat in pastorali cura operam, Missa pro populo diebus festis applicetur: die 7. Maji 1763.*
(3) *Ead. Const.* §. 8. (4) *Par. I. Cap. VI., & VII.* (5) *Trid. Sess. XXIII. Cap. I. De Ref.*

num, quod prædicandum est, nihil aliud esse præter sacrosanctum Jesu Christi Evangelium (1), docendo scilicet plebes sibi commissas ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: 3. præterea hoc pabulum esse populis a Pastore præbendum pro sua, & eorum capacitate (2), cumque facilitate, & brevitate sermonis diebus statutis, interque ipsa Missarum Solemnia (3): 4. denique esse Episcopis auctoritatem plectendæ etiam per Ecclesiasticas censuras, si opus sit, negligentiæ (4).

XVI. Duo insuper addimus; quorum alterum ad extirpanda vitia plurimum faciet, alterum ad pietatem fovendam: nempe quum Parochus ad populum agit de vitandis peccatis, moneat ipsum, quædam esse tam gravia, atque atrocia, adeoque tantopere Divino Numini injuriosa, ut Confessarius minime possit generali, qua pollet, facultate quemquam ab illis absolvere; itemque horridiorum quorumdam criminum reum multari censuris, &, siquis a quibusdam peccatis cupiat absolvi, ipsum Episcopum esse adeundum, si ab aliis, Romanum Pontificem. Itaque quodnam utrumque genus sit ex iis præsertim, in quæ facilius est populo incidere, exponatur, ea tamen omnino prudentiæ lege servata, ut qui facile possunt culpas illas contrahere, plane, quod volumus, intelligant, atque exhorrescant, qui ab illis sunt remotiores, ne intelligere quidem, aut suspicari illud valeant, quod felicius tota vita ignorarent.

XVII. Quod autem ad opera pietatis: primo nunquam prætermittat Parochus, populum suum, quum frequentissimus adest, monere die Dominico de Indulgentiis, siquæ proxime occurrunt, acquirendis, de festis diebus, atque jejuniis ea hebdomada celebrandis: itemque certis, quæ præscribimus, temporibus legat, ac explicet Constitutiones Pontificias (5), & Archiepiscopalia quædam Decreta: postremo publice annuntiet quæcumque ex rerum, ac temporum necessitate mandabimus. Unum est, quod ægre ferimus, in aliqua Parochiali Ecclesia nullum aliquo die Sacrum fieri, propterea quod Sacerdotes alio sive Funerum, sive Officiorum caussa sacrificaturi se conferunt: neque enim est, cur, si vel unus e Parochialibus audire quotidie Missam velit, tanto fraudetur bono. Quare perficiant in posterum singuli Parochi, ne ulla Parochialis Ecclesia, vel unum diem, aliqua careat Missa.

XVIII.

(1) *Seff. V. Cap. II. De Ref.* (2) *Ibidem.* (3) *Ibid.*, & *Seff. XXIV. Cap. VII. De Ref.* (4) *Seff. V. Cap. II. De Ref.* (5) *Vid. Ind. rerum publicand. inter Missar. Solemn. ad Synod. calcem.*

XVIII. Veruntamen non ſine magna animi Noſtri jucunditate in tota ferme Diœceſi perſpeximus quædam Parochorum ſtudio pridem inſtituta, atque uſu ſubinde firmata, quæ Divinæ Majeſtati ſunt plane gratiſſima, nominatim cantum Veſperarum diebus feſtis, ac recitationem Roſarii Beatæ MARIÆ Virginis, piiſſimam inſtitutionem, quam Viam Crucis dicunt: hæc itaque ſedulo retineantur, ut populus feſtos dies ſancte tranſigat: ipſe etiam ſacra Euchariſtia, ubi uſus invaluit, ſolemniter benedicatur; poſſet ſaltem quovis die feſto cum Pyxide benedici; utque fiat optamus.

XIX. Illud autem non niſi vitio vertere poſſemus, ſiqui piiſſimas ſanctiſſimaſque Functiones, ac cæremonias poſtremo Hebdomadæ majoris triduo in univerſa Eccleſia peragi ſolitas negligerent, aut prorſus omitterent. Nam ſi inopiam ſimul, & imperitiam Miniſtrorum cauſſentur, huic incommodo eſt facile occurrere: quum enim a BENEDICTO XIII. peculiaris editus fuerit hujus temporis Ritus, in quo neque tanta Miniſtrorum præſcribitur copia, neque tantus in ipſis erudiendis, exercendiſque ſit labor impendendus, nihil eſt, cur non eodem utantur. Totum hunc Rituum ordinem in Appendice exponemus (1).

XX. Quin immo inter præclara Parochi geſta referendum eſſet, ſi præter ea populum excitaret ad orationis, quam dicunt mentalem, uſum, eundemque gregi ſuo familiarem efficeret: hoc ſcilicet Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. maxime commendaverat (2), neque ſane difficile cuiquam erit hujuſce rei utilitatem, atque adeo neceſſitatem e Scripturis, Sanctorumque exemplis eruere, materiemque lectiſſimam, atque uberrimam, ac modos ſimul varios cuicumque hominum generi ad orandum accommodatos proponere. Eos libros conquirat diligens Paſtor; indidem quod ſuis ovibus, & quomodo miniſtret, abunde excerpat.

XXI. Conferet autem mirifice ad morem iſtum ſive inducendum, ſive tuendum, ſi curet identidem Parochus (quod a Nobis facillime impetrabit), ut vel Concionator per aliquot Quadrageſimæ dies, vel alius alio tempore populum detineat, & paſcat ſpiritualibus Exercitiis; quippe quæ viam ad Fidei noſtræ Dogmata interius perſcrutanda ſatis commodam ſternunt.

XXII. Sequitur, ut gregem ipſum paſcat Sacramentorum quoque adminiſtratione. Ut rem hanc alibi tractatam paucis colligamus, hæc Parochus diligenter ſervet. Primo Sacramenta ſemper ipſe per

ſe,

(1) *Vid. Append. pag.* 145. *N. III.* (2) *Conſtit.* Quemadmodum *XXIII. Bull. Tom. II.*

ſe, &, quoad poteſt, minime per alios adminiſtret. Deinde id alacri præſtet voluntate, & quod rogandus eſſet, ultro obferat, laboreſque, itinera, aſperas tempeſtates, moleſtias demum, & quaſvis ærumnas flagranti in Deum, ac proximum charitate devoret; nihilque ſibi jucundius tum apud ſe ipſe ducat, tum apud alios comiter præferat. Potiſſime vero diebus feſtis tempeſtive ad meridiem uſque, præter Functiones in Altari, ſedeat audiendis pœnitentibus promptus; quo in munere oportet, eum aſſiduum plane eſſe adventantibus Solemniis Natalis D. N. J. C., a Dominica Palmarum ad aliam in Albis, recurrente Feſto S. Georgii, aut Eccleſiæ Titularis: idcirco hiſce temporibus voluimus eum ampliore ad abſolvendum facultate donatum. Tertio ſemper præſto ſit ægrotantibus eodem charitatis ſtudio ſuccenſus: ſiquando vero contingat, ut quiſpiam in ſua Parochia moriatur ſine Sacramentorum ſubſidio, quæ illi Parochi culpa defuerint, crimen iſtud quantum ſit, gravitate ſaltem pœnarum palam omnibus fiet.

XXIII. At quum pia Mater Eccleſia ad plurimas filiorum ſuorum neceſſitates ſua etiam inſtituerit Sacramentalia, ſuaſque ordinatiſſimas & Benedictiones, & preces, meminerit Parochus, non poſſe hæc ab eo negligi; ſed ea adhiberi, eorumque utilitatem prædicari, ac uſum magnopere commendari debere (1).

XXIV. Quare Aquam luſtralem in vaſis mundiſſimis, ideoque crebro purgandis, ad Templi aditus conſtituat, eamque fere octavo quoque die renovet. Sacros cineres primo Quadrageſimæ die rite diſpenſet. Candelarum die Purificationis, ac ramorum Olivarum, ſive Palmarum die Dominico majoris Hebdomadæ Benedictionem ſolemnem ne omittat. Singulas ſuæ curæ domos per conſueta tempora ex acceptiſſimo totius Eccleſiæ more luſtralis Aquæ aſperſione expiet. Præterea vineis, fructibus, cibis, aliiſque rebus Benedictionem ex Rituali Romano impendat. Cetera denique, quorum idem Rituale meminit, quandocumque opus fuerit, ſumma non ſolum Fide, & Religione, ſed etiam facilitate uſurpet (2).

XXV. Quæ omnia quum Parochis commendamus, non poſſumus, quin eiſdem iterum præcipiamus, ut manibus terant aſſidue Rituale Romanum, ac perlegant, utque adamuſſim exequantur quæcumque ibi præſcribuntur.

XXVI. Utrum vero paſcendis gregibus Paſtor exemplo magis, quam verbis valeat, dici vix poteſt. Noſtrorum ſpectata pietas efficit,

(1) *Vid. Cap. VI. Part. III.* (2) *Cap. eod. Vid. Append. pag.* 156. *N. V.*

ficit, ut minime necessarium sit legibus cavere, ne vitæ, aut morum pravitate quemquam eorum perdant, quibus æternæ vitæ pabulum debent. Canonicis tamen Præceptis, Majorum exemplis, atque ipsa ducti ratione quædam inculcare debemus, quæ summatim complectimur. Primo illud semper meminerit: *Pastor... quum proprias emiserit oves, ante eas vadit* (1), nimirum ipse sit veluti norma, ad quam reliqui mores, vitamque componant; nam quo pudore ureretur Pastor, siquos in se conclamantes audiret: *qui ergo alium doces, teipsum non doces* (2)? aut quantus animi dolor, si vel ad aures amicum audiret ex Hieronymo sic monentem (3): *cur igitur hæc, quæ dicis, ipse non facis? quid dices, quum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, & erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?*

XXVII. Cavendum deinde Parocho, ut omnem a se avaritiæ speciem longissime deprecetur, quæ veluti pestis totam sæpe perdit fructuum spem, qui ab Apostolicis ministeriis capi possent. Quid magis inhumanum (ut hoc unum commemoremus) quam ante ora lacrymantium, graviterque mœrentium ob carorum interitum quæritare funerum lucra, atque hæc ab iisdem, qui vetere inopia, recentique dolore confecti novam offendunt rei familiaris jacturam, & in magna rerum perturbatione versantur? Quem autem? illum videlicet, a quo & inopiam, & animi ægritudines ut levaret, & sibi sumpserat, & omnes expectabant.

XXVIII. Sua quidem jura (sunt enim tandem Ecclesiæ) tueri fas Parocho est, & negligere aliquando iniquum; nam generatim qui pascit gregem de gregis lacte manducat. Quo circa Ecclesiasticos fundos diligenter habere, agrorum culturam industrie gerere, quæ aliunde debentur, exigere, quæ ad Ecclesiam spectant neque donare, neque divendere, & similia, ita non vituperatur, ut negligentia in hujusmodi rebus, ac damna, quæ inde crearentur, punienda censeantur. Debentur hæc, Ecclesia ipsa vindice, tum Parochi vitæ, moderate quidem, sed prorsus honeste sustentandæ; debentur pauperibus ex Ecclesiæ facultatibus alendis: nunquam in Templo, nunquam in reliquis ædibus deest quid reparandum; postulat assidue sacra supellex, ut augeatur, vel certe ut innovetur, unde & nitida semper, atque adeo magnifica servetur, & splendida. At siquæ contentiones, ac lites de aliquo Ecclesiastico jure, vel parochiali forte exoriantur, omnium prius volumus, ut in tempore, ac loco omnia prudenter, in chari-

(1) *Joan.* 10. 4 (2) *Ad Rom.* 2. 21. (3) *Epist. ad Nepotian.*

charitate componantur, cujus caussa siquid privata res detrimenti capiat, ex Christi doctrina lucrum est universis opibus præstantius, atque optabilius. Si res componi, ac facile nequeat, ad Nos totam deferri volumus, atque mandamus. Nam cognita caussa, quod rectum fuerit, constituemus, ac sine ulla adversus ipsos invidia curabimus.

XXIX. Et quoniam grata nuper incidit pauperum mentio, eorundem curam Parocho cuilibet vehementissime commendamus. Permulti sunt, qui pauperum, & miserabilium personarum nomine indicantur: sunt enim orphani, sunt pupilli, sunt viduæ derelictæ, sunt puellæ periculis obnoxiæ, sunt invalidi senes, sunt qui fortuna simul, ac verecundia contendunt, an mendicent. Quos omnes si magna in Christo Parochus charitate complectatur, erit mœrentium consolator, egenorum nutritor, omnium patronus, defensor, ac parens. Quidquid igitur reditibus in moderatam sui ipsius sustentationem insumptis reliquum sibi, atque usibus Ecclesiæ fuerit, totum in eos impendat: quod si ipse unicuique satis esse non queat, suo saltem exemplo ad hujusmodi officia aliorum pietatem excitare vehementius poterit.

XXX. Ad hæc quod Clericis omnibus injunximus alibi (1), idem Parochis præceptum maxime volumus, ne falsa charitatis (neque enim veram avaritiæ metuimus) specie abrepti permittant, se se cujusquam tutores, vel curatores institui. In quo succurrant egentibus, jam satis habent aliunde; neque semel de hoc recurrit in hisce Constitutionibus sermo. Quin laudabilius foret, si suam potius rem alteri curandam ex parte, vel totam etiam concederet.

XXXI. Sæpe quidem Testamentis conficiendis intererunt; interdum etiam scribere ipsimet rogabuntur, nec recusare prorsus licebit. Faciant: sed apprime caveant, ne verbum ullum injiciant, quo Testatorem ad rem aliquam sibi, aut suis, aut ne suæ quidem Ecclesiæ legandam adducere videantur (2).

XXXII. Itemque mandamus, ut ubi excipiendis piis Fidelium oblationibus capsula proponitur (3), munita ea sit duabus seris, & clavibus; quarum alteram ipse Rector Ecclesiæ habeat, alteram Deputatus, quem nuncupare Massarium, seu Priorem solent. At pecuniam, quæ inde tollenda identidem est, numeret uterque. Parochus autem hanc pecuniæ summam, tum educendæ caussam, tum denique

(1) *Cap. I. N. XXIX. Par. huj.* (2) *De rat. scrib Testam. Vid. Append. pag.* 175. *N. III.*, *& pag.* 176. *N. IV.* (3) *Ex Syn. Cresc. pag.* 113. §. Capsulæ.

denique ejuſdem uſum in libro fideliter perſcribat, ut Archiepiſcopo, quoties illi placuerit, rationem facile reddat. Jamque hoc ipſum altercationes, quæ ex hujuſmodi pecuniis interdum manare ſolent, antevertet.

XXXIII. Sed multo abjectius, ac turpius eſſet, ſi gulæ ſe, aut luxui dederent. Quod hoc loco diſtincte meminimus, quia Titulare Feſtum Eccleſiæ, tum Presbyterorum ad Officia concurſus, aliquis fortaſſe eventus eas Parochis hoſpitandi occaſiones objiciunt, quæ nequeunt reliquis Clericis eſſe communes. Ab hiſce itaque conviviis & fœminæ abſint, & Laici etiam, niſi quorum vita plane laudabilis: quodque in hanc rem alibi præſcripſimus (1), ſibi ipſis diſtinctim indictum putent.

XXXIV. At ne tot oneribus plane opprimi Parochi videantur, præter Eccleſiaſticos omnes, quos excitavimus, ut Parochis in procuranda animarum ſalute ſponte, & liberaliter ſint adjumento, habeant inſuper ipſi apud ſe unum, vel, ubi copioſa ſit multitudo, plures Adjutores ordinarios, quos vulgo dicunt Capellanos, iiſque officia, atque functiones, prout res, tempuſque poſtulaverint, ſapienter diſtribuant: at eos ſeligant, quos audiendis Confeſſionibus a Nobis probatos, atque ad alia Miniſteria ſatis aptos cognoverint, eoſdemque vel annuo reditu, vel temporariis, quæ labori reſpondeant, afficiant muneribus: *quoniam qui in Sacrario operantur*, *quæ de Sacrario ſunt*, *edunt* (2). Caveant tamen, quod tam ſæpe commendavimus, ne omnem in hoſce Adjutores laborem conjiciant; quum per ſe ipſe, quoad fieri poteſt, teneatur Parochus, quæ ſunt paſtoralis muneris, partes obire.

XXXV. Quod autem animabus in æternæ ſalutis viam dirigendis fuerit quiſpiam inter multos electus, ipſi primum, atque potiſſime Fideles commendati: hinc animarum Paſtori diſtricte præceptum, ut gregi ſuo tanquam bonus Paſtor & invigilet, & aſſiſtat, neque eum mercenariorum more deſerat. In quam rem Tridentini Concilii doctrinæ, ſacræ Congregationis, & Prædeceſſorum Noſtrorum Decretis inhærentes hæc, quæ ſequuntur, præcipimus. Ac 1. quum in Parochia ſua Parochus habitare debeat, ædibus quoque Parochialibus contentus ſit oportet, nec alias incolere inſtituat, quamquam in Parochiæ finibus poſitas, quin cauſſa Nobis probetur (3). 2. Nequis

(1) *Cap. I. huj. Par. N. XII.* (2) 1. *ad Cor.* 9. 13. (3) *Vid. Append. Syn. Fulg.*, & *ibi alleg. Cap. VII.* §. *II.*

quis per diem in Parochia adſit, per noctem abſit, aut viciſſim (1), licet alius Sacerdos præſens ſit. 3. Nequis e ſuæ curæ finibus ultra biduum abſuturus pedem moveat, quin & hujuſce conſilii cauſſas, & Sacerdotem, quem ſibi ſubſtituere cogitat, Nobis ipſe proponat; quæque Nobis reſcribere placuerit, accipiat, & ſervet (2). 4. Ne ad unum quidem diem ei liceat abeſſe, quin alium ſibi ſubſtituat, qui ſit ad Confeſſiones excipiendas approbatus (3). 5. Si Parochus in Diœceſi repente gravibus a Parochia evocetur negotiis, nec ſibi ſpatium relinquatur, quo Nos præmoneat, tum Vicario Foraneo erit prorſus de diſceſſu, de diuturnitate, de horum cauſſis, deque ſubſtituto ſignificandum: hujus autem erit quamprimum Nos de tota re commonere, ut quid tum agendum in Domino ſit deliberare poſſimus. 6. Et Vicarius Foraneus curam habens animarum ſimili adactus neceſſitate proximiorem Parochum de hiſce rebus omnibus moneat, qui de eiſdem ad Nos confeſtim referet. 7. Siquis abſque Noſtra licentia, vel etiam ipſa ad aliquod tempus impetrata ultra bimeſtre ſive continuum, ſive interruptum abfuerit, graviſſimum Præceptum tranſgreditur, Beneficii fructus toti tempori, quo abeſt, reſpondentes non alios in uſus poteſt convertere, quam pauperum, vel Eccleſiæ, Nobis denique pœnas luere cogetur (4). 8. Caveat quiſque, ne alias, quam veras Nobis cauſſas exponat, ut diſcedendi veniam obtineat: meminerintque omnes, niſi Paſtoris abſentia aliqua rationabili cauſſa honeſtetur, eam quantumcumque brevem reprobandam: attamen neque diebus feſtis, atque Adventus, aut tempore Quadrageſimæ, neque ſolemnioribus Feſtivitatibus fas cuiquam a Parochia vel breviſſimo tempore abeſſe, niſi gravis urgeat cauſſa: immo omnes meminerint boni Paſtoris viſcera ferre vix poſſe, oviculam e ſuis vel unam aut morbo languidam, aut ſua profectione periclitantem ab ipſo deſeri, ut ſibi tantum, vel amicis indulgeat.

XXXVI. Siquis Parochus morbo tentari incipiat, eum vicinior Rector ſtatim conveniat, eundemque, ingraveſcente morbo, Eccleſiæ Sacramentis, aliiſque humanitatis, atque Chriſtianæ pietatis officiis, veluti fratrem, reficiat, atque ſoletur: ſimul etiam Vicarium illius Foraneum de tota re moneat, qui vel per ſe, quæ eidem mandavimus, exequetur, vel Parocho ipſi exequenda dimittet (5): ac ſi ægro-

(1) *Ex Decr. S. C. C. 10. Maji 1687. Vid. Syn. Fulg. ibid.* (2) *Conc. Rom. Tit. XVII. Cap. VI. Plur. Synod.* (3) *Lambert. Inſt. XVII. n. 24.* (4) *Synod. Creſc. pag.* 110. §. Quandoquidem *ſub finem.* (5) *Vid. Cap. ſuper. N. VI.*

ægroti mors consequatur, ab ipso viciniore Parocho moneri Nos protinus volumus: interim ille viduatam Parochiam, donec per Nos constitutum aliter fuerit, administrabit.

XXXVII. Parochis vehementer commendamus, ne se unquam pigro otio, aut ulla desidia capi sinant: ne ullo unquam tempore sibi scientiarum studium dimittendum existiment. Quidquid sibi a piis precibus, a Parochialibus curis, atque etiam moderatis vitæ solatiis supererit, divinis scientiis recolendis impendant: nam si Clericis omnibus commendavimus (1), ut ipsi sæpius evolvant Synodicas Nostras Sanctiones, Romanum Rituale, Catechismum, Tridentinum Concilium, habeantque præterea suos libros, quos terant, asceticos, morum Doctores, sacram Scripturam, Ecclesiæ Patres; quanto id vehementius agendum Parochis est, quibus maxime impositum, ut Sacramenta ministrent, & populum Catechesi, Concionibus, monitis in viam salutis dirigant.

XXXVIII. Illud insuper Parochis omnibus commendamus, ut serio vigilent, quum Nostri Seminarii adolescentes paternam adeunt domum, num hi Sacramenta frequentent, num Ecclesiis rite inserviant, num aliquid ludis, habitu, consuetudine agant, quod hujusmodi adolescentes minus deceat: qua super re Parochorum conscientiam oneramus, nequid Nos celent ex iis, quæ ab ipsis repetimus.

XXXIX. Quandoquidem de Parochialibus juribus diximus, placet hæc promulgare, quæ Funerum, ac Matrimoniorum caussa inter Parochos ipsos sunt constituta. Jam ab immemorabili in hac Civitate sive ex consuetudine, sive ex pacto viguit, servatumque ad hunc diem fuit, ut infantes apud nutricem obeuntes, similiter famuli, seu famulæ apud Dominum, sepeliantur a Parocho, in cujus finibus sita est sive nutricis, sive Domini Domus; quin jus quidquam sive in ista cadavera, sive in ullum emolumenti genus servet, ac reposcat Parochus ille, in quo infantes, sive famulantes domicilium habent suum. Similiter illud ad hunc usque diem viguit in Civitate, ut siqua puella famulatum exercens Matrimonium contrahat, ab eo conjungatur, in cujus Parochia suum ipsa servitium præstat. Quod sive ex pacto, sive ex consuetudine invectum, retentumque, perhosce dies fuit ab omnibus Civitatis Parochis cum Sæcularibus, tum Regularibus ratum habitum, atque novo, quatenus opus sit, inter se pacto firmatum, a quo neque ipsi, neque ii, qui consequentur, queant recedere. Hoc ipsum quum in Diœcesi non satis esset constitutum,

(1) *Cap. I. huj. Par. N. XXXIX.*

tutum, ab omnibus Dioecesis Parochis per hosce Synodi dies, quocumque inter ipsos sive jure, sive consuetudine in contrarium existente, unanimi pacto sancitum, atque firmatum est. Item inter ipsos Dioecesis Parochos hoc ipso tempore legitime conventum est, ut, sicubi familia domum habeat intra alicujus Parochiæ fines, simulque ædes habeat ædibus illis adjacentes in alius Parochiæ finibus positas, in quibus dormire solitus aliquis ex illa familia periculose decumbat, atque ibi moriatur, Parochus domicilii totius familiæ & extrema Sacramenta illi ministret, & cadaver ipsum ex alienæ Parochiæ finibus efferat, quin adjacentium ædium Parochus quidquam juris sive in cadaver, sive in ullum quodvis emolumentorum genus habere possit. Quod quum fuerit unanimi, atque alacri Parochorum omnium consensione pactum, conventum, atque legitime firmatum, fieri non potuit, quin hoc ipsum non minimam Nobis attulerit partem consolationis. Novimus enim, Nostros Venerabiles Fratres omnes unum in Domino sapere, omnesque singulari esse inter se suavissimæ charitatis vinculo, ac lege conjunctos, eosque omnes, uti scriptis ipsi profitentur, hac ipsa conventione spectare, ut populos suos, dilectissimumque gregem & incommodis, & sumptibus levent. Quæ omnia Episcopali & Nos auctoritate Nostra, quacumque in re opus sit, munimus, atque firmamus: atque hujus conventionis monumentum tum in hujusce Synodi Actis, tum in Parochorum Civitatis Tabulis esto.

De aliis Paroch. jur. vid. Append. pag. 152. N. IV.

CAPUT VI.

DE MODERATORIRUS, MAGISTRIS, ET CLERICIS SEMINARII.

SI maximum illud negotium, quo factum est, ut ex universo terrarum orbe ad Tridentinam Synodum convenerint Episcopi, ibique fuerint per tot annos, tanta animorum, studiorumque contentione detenti, nullum aliud Christianæ Reipublicæ beneficium, & commodum peperisset, quam ut sacra Collegia ad juventutem pietate, atque litteris informandam erigerentur, jam satis utiliter, atque præclare & Pontifices Maximos, & sapientissimos Patres suam in hac re perficienda auctoritatem, operam, studium, contulisse existimandum esset: neque enim alia ferme ad collapsam disciplinam restituendam, aut ad

piissi-

piissimos mores invehendos supererat ratio: quum in quavis bene morata Republica instar regulæ sit, tales cives haberi, quales instituuntur (1). Effundantur igitur præcipue in Prædecessoris Nostri Cardinalis Rufi pietatem, industriam, munificentiam laudes, ac præconia, æternaque eidem a tota Diœcesi gratia habeatur, quod, præter reliqua præclaræ pietatis monumenta domi, forisque Ecclesiæ Ferrariensi relicta, ejusmodi Clericorum Seminarium huic suæ Metropolitanæ adjunxit, idemque non mediocriter auxit, ornavit, locupletavit; tantumque legibus, vigilantia, præmiis effecit, ut magna ad eandem Ecclesiam commoda hactenus pervenerint, & ampliora semper in dies esse perventura provideantur. Nihil attinet de hoc plura Nos dicere, quum jam satis opportunæ, atque minutæ habeantur Regulæ, quibus Seminarium ipsum sapienter regitur, quas inviolate servari volumus. Restat, ut quædam tantum generatim, ac per summa veluti capita perstringamus, seu potius pro Nostro singulari in hoc pietatis, ac litterarum domicilium amore, atque studio commendemus.

I. Canonicus Seminarii Præses, Rector, & Sacerdotes quicumque sunt aliquam erga Nostros hosce carissimos adolescentes operam præstituri, sæpe in memoriam revocent, quanti ponderis sit opus, cui præficiuntur: nam si nihil aliud ipsis esset propositum, quam ad pietatem, ac religionem informare eam ætatem, quæ ad mundi voluptates sequendas est prona, magnum opus se urgere censendum esset, Deo maxime acceptum, toti Reipublicæ utilissimum: sed eos instituendos, informandosque suscipiunt, quorum plerisque & Ecclesiarum regimen, & populorum salus incumbit. Hinc non aliquorum tantum privatorum rem se gerere judicent, sed totius Diœcesis, eandemque gravissimam: adeoque tantum negotium ingenti animo aggressi non labori, non industriæ parcant, ut adolescentes tum pietate, tum doctrina abunde imbuantur.

II. Quum autem religio, ac pietas sint in omni hominum gradu primariæ, atque potissimæ, Rector efficiat, ut adolescentes Nostri quotannis, antequam studia ineant per octo dies spiritualibus Exercitiis serio vacent: neque enim opportunum est, studia instaurari, quin ita fuerint adolescentes comparati, ut studia ipsa alacriter aggrediantur, atque in Domino excolant.

III. Qui proinde Nostro huic Cœtui hæc Exercitia proponet, non ea tantum persequatur virtutum officia, quæ sunt reliquis Christia-

(1) *Ex Hist. Conc. Trid. Card. Pallavicini Lib. XXI. Cap. VIII. n.* 3.

ſtianis communia; ſed ne ea etiam omittat, quæ a Clericis, & Sacerdotibus aliquando expectare oportet: quare adoleſcentes jam tum ab ipſo hujuſce vitæ curriculo intelligant, qua & ſapientia, & morum integritate eos præſtare par ſit.

IV. Porro ſtudiis initis piæ illæ meditandi, orandi, Sacrum audiendi, Sacramenta ſuſcipiendi, aliæque exercitationes, quæ Seminarii Regulis ſtatutæ jam ſapienter ſunt, ſedulo habeantur.

V. Quidquid vero temporis ab his reliquum fuerit, ſcientiis, litteriſque omnino impendendum: quique præſunt diligentem a ſingulis curam, atque operam vigilanter repoſcant; quamquam corporibus, animiſque a nimia contentione levandis, hæc ipſa humaniter, prudenterque dividenda.

VI. Suas porro ſive facultates, ſive artes ita tradere Doctores enitantur, ut etiamſi non mediocriter in hac difficili ætate imbuenda ſibi initio laborandum fuerit, quidquid poſſunt, extundant, atque perficiant; meminerintque eos, quos ipſi nunc habent auditores, tales fieri hoc loco debere, ut ad eadem cum laude tradenda eximii, aut ſaltem uſu adhibenda idonei quam maxime efficiantur.

VII. Huc vero maxime conferet, ſi Magiſtri crebras apud ſuos exercitationes inſtituant, repetitiones nimirum, collationes, diſputationes, atque hujuſmodi alia; neque frequentes (quod cujuſque induſtriæ erit) ſtimuli deſint, quibus animi incitentur, ac ferveant, qui facile in rebus huic ætati ſæpe arduis, interdum etiam inviſis elangueſcerent, atque deficerent.

VIII. Præſertim ſint quotannis qui ſtudiorum ſuorum in conſpectu multorum, interdum vero totius Civitatis ſpecimen edant. Quod cum dignitate ut fiat, ac certe nequid publico ſilentio, atque expectatione minus dignum producatur, Præceptores, quorum intererit, accuratiſſime provideant, atque perficiant.

IX. At quum Eccleſiæ Miniſterium decentiſſimis, iiſdemque Religionis pleniſſimis Ritibus perficiatur, adoleſcentes Religioni ſacrandos ita ſubſecivis horis iis addiſcendis incumbere volumus, ut & illos ſæpius in ſacris Officiis obeundis exerceant, & alios facile poſſint in ipſis exercendis inſtituere.

X. Huc etiam referimus Eccleſiaſticum cantum, quem dicunt firmum: in quo pariter ita erudiri illos plane volumus, ut peritiam ſibi comparent neque nimis levem, neque brevi tempore, ut quidam Nobis ægre ferentibus conſuevere, ponendam. Eſt enim jampridem a pluribus Pontificibus conſtitutum, ut ſcienter, *& ex artis Eccleſia-*

ſticæ

ſticæ ratione ab omnibus caneretur (1). Nobis vero hujuſce artis peritia non poſtremæ erit curæ futura, quum de Beneficio conferendo deliberabimus.

XI. Qui igitur in Seminarium Noſtrum ſeu cantui, ſeu Ritibus tradendis vocantur rem hanc Nobis ſummæ curæ eſſe ſciant, & quanta eſt utriuſque in Eccleſiæ ſervitio neceſſitas, ſedulo apud ſingulos urgeant; neque facile eorum excuſationem accipiant, qui naturali ſe ſe ad cantandum habilitate deſtitutos ajunt. Nam etſi cantu excellere, ut in quavis arte, perrarum eſt, in eo mediocriter ſaltem proficere omnino facile: iſque vix invenietur, qui rudis adeo ſit, aut aſper, qui Doctoris patientia non edolari, atque molliri ita poſſit, ut vocem, quantum ſatis eſt, legibus modulari aſſueſcat.

XII. Verum ut, quas hactenus recenſuimus, exercitationes rite, conſtanterque habeantur, eæ rite, conſtanterque tenendæ ſunt Regulæ, quibus ſua cuique horæ eſt occupatio per diem, noctemque diſtributa: harum porro Regularum omnium cuſtos, ac vindex eſt Rector, qui eas cuſtodiri a ſingulis repoſcet, atque in peccantes qua voce, qua pœnis ſalutariter animadvertere: quatenus pro omnibus hiſce rebus advigilare ipſe ſolus nequeat, alter Sacerdos ejus loco ſufficitur, cujus opera utatur. Quare earundem Regularum exemplum unicuique Seminarium primo ad vivendum intranti tradat, quas legat, ac perpendat: ipſaſque ineunte quolibet menſe omnibus ad menſam ſedentibus perlegi jubeat.

XIII. Interea Præfecti, qui diſtinctis adoleſcentum Cœtibus continenter adſunt, intelligant, totam hanc inſtitutionem, quam urgemus, eſſe ſibi ita commendatam, ut, niſi quanta maxima poſſunt vigilantia, atque ſtudio muneri ſuo inſtent, vix ulla ſpes reliqua ſit, ceterorum conatus eſſe admodum profuturos. Quare ipſi in primis probe calleant Seminarii Regulas, ac deinde, nequid contra ipſas peccetur, enitantur, ac ſiquod peccatum noverint, quod ipſis non eſt conceſſum plectere, ad Rectorem ſedulo deferant, ut deliberet, quid agendum in Domino. Ac generatim quicumque aliqua in re aliis præficiuntur, proprias hujuſce Conventus Regulas apud ſe habeant, legant, diſtincte norint, atque, ut eæ obſerventur, quantum ad ſe attinet, diligentes incumbant, neque tranſgreſſionem impune admitti ſinant.

XIV. Anno ſcholaſtico exeunte, aut ſiquando alias Nobis viſum fuerit, reddetur coram Nobis totius adminiſtrationis ratio.

XV. Qui inter Seminarii alumnos cooptari cupit, ſupplicem Nobis libellum

(1) *Ex Act. plur. Pontif.*

libellum offerat, habeatque teſtimonium a ſuis Parochis, & ludi Magiſtris ſubſcriptum, ex quo conſtet, eum eſſe iis rebus omnibus præditum, quas ſæpe memoratæ Regulæ exigunt: nam in Seminarium non omnes indiſcriminatim excipi volumus. Pauperum filii ditioribus ſemper anteponendi; interque hos illi, qui profitentur, ſe velle Eccleſiaſticæ Militiæ nomen dare, quique indolem præferunt bonam, ac ſtudiis aptam, ut divinis olim muneribus obeundis apti ſint futuri. Atque hos Seminarii ipſius impenſis ſive ex integro, ſive ex parte alendos, quatenus piæ ferant teſtatorum voluntates, mandabimus: quum tamen adoleſcens aliquis proponetur ipſius Seminarii ſumptibus victurus, idoneam, atque probatam cautionem ejus Parentes, ſeu Tutores eodem tempore exhibeant, qua certo conſtet, alimenta Seminario refectum iri, ſi forte alumnus Eccleſiaſticam Militiam deſerat.

XVI. Locupletes tamen hinc nequaquam excludimus; ſed hi ære vivant penitus ſuo, deinde inter hos etiam eligantur, quibus nulla earum conditionum deſit, quas ab aliis poſtulavimus.

XVII. At ipſi adoleſcentes, qui ſingulari Dei beneficio ad Seminarium electi ſunt, ut ſub optimis Moderatoribus, & ſub egregiorum Præceptorum diſciplina, ante ipſos ſui Antiſtitis oculos ſtudiis, ac pietati vacent, illud primo, ac ſummopere conſiderent, ac ſæpius animo verſent, quorſum in hanc pietatis, ac litterarum diſciplinam fuerint cooptati, idque præſertim *eo tempore* recolant, quo ſub annuum initium ſtudiorum ſuorum ſpiritualibus Exercitiis vacabunt. Quibus niſi tempeſtive in Seminario peragendis interfuerint, vix cauſſas afferre poterunt, quare eo ſaltem anno aditum huc ſibi non intercludi ſentiant.

XIX. Cetera deinde omnia, quæ ab ipſis repoſcentur, integre impleant: quæcumque pietatis officia ſunt ex Regularum, & conſuetudinum Seminarii præſcripto, ea potiore, ac ſumma diligentia ſuſcipiant; neque quiſquam, ſi ſapere ſibimetipſi velit, ad ea ut compellatur, expectet.

XX. Poſt illa, quæ hominem Deo propius conjungunt, locum obtinent litterarum ſtudia, ad quæ totos ſe dedant omnes oportet, in iiſque verſentur totis animi viribus: deinde profectus ſpecimen, quandocumque juſſi fuerint, præbeant. Nam ſi ab omnibus, qui Ordinibus initiari optant, ſollerter exigimus, ne a doctrina imparati ad Nos veniant, quanto potiore jure ab Alumnis Seminarii faciendum eſt, qui a ſæcularibus impedimentis erepti in hoc uno

diſti-

diſtinentur aſſidue? Quamquam ſiquis hæc minoris habeat, vel ſiquis hominibus ſe callide illudere poſſe cenſeat; ii certe, qui Eccleſiaſticos proventus ſine ea, quæ expectanda erat, utilitate conſumunt, ſupplicium, tanquam alienæ rei, immo vero ſacræ raptores, a Deo vindice prorſus non evadent.

XXI. Contra vero, qui ſelectiore hac inſtitutione, quantum par fuerat, profecerint, quique egregia aliqua animi dote Eccleſiæ commodo, ſive ſplendori futuri eſſe videantur, eos ante oculos perpetuo habebimus, eoſque quibuſcumque poterimus paternæ benevolentiæ, ac beneficentiæ officiis proſequemur.

XXII. Ceterum, dum in Seminario degunt, erga omnes, a quibus aliquam in ſe conferri operam vident, obſequentes, & grati ſint; Rectorem vero tanquam parentem & colant, & diligant.

XXIII. Æquales ea complectantur charitate, iiſque foveant officiis, quæ Regulis ipſis circumſcribuntur: facilitas, atque urbanitas æque in omnes emineat cum quadam dignitate: nam effuſa in aliquem benevolentiæ argumenta non ſecus improbanda, atque odii, vel contemptus.

XXIV. Quum in publicum eſt prodeundum, ſive ut ſacra ſuæ vocationis Miniſteria in Templo exerceant, ſive ut animi cauſſa per Civitatem obambulent, ita veſtem, quam induunt, vereri aſſueſcant, ut modeſtiam, gravitatemque præferant, & qui annis juniores ſunt, ſenſu, & moribus ſeniores eſſe, ac videri incipiant.

XXV. Sed Eccleſiæ ſervitium ut decore præſtent, multo accuratius contendent: in Choro aſſiſtant, quandocumque fuerint juſſi: Diaconum, ſive Subdiaconum, ſiquando ad id vocentur, agant. In ceteris quibuslibet ſacris Functionibus ad nutum Præfecti Chori, ſeu Cæremoniarum ſerviant.

XXVI. Iterum omnes ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, in Domino hortamur. Atque ne deſit quodcumque a Noſtra præſentia, Noſtræque ipſius vocis ſono proficiſci ſubſidium poteſt, in Seminarium, quotieſcumque placuerit, ingrediemur aliquod ab hiſce ſtudioſis & ingenii, & ſollertiæ ſpecimen quæſituri. Denique examen erit a ſingulis exeunte anno coram Nobis ſubeundum.

XXVII. Quod ſi aliquos (verbis utimur Deceſſoris Noſtri) (1), ingenio tardiores, aut litterarum ſtudia averſantes, vel male moratos, intractabiles, ac diſciplinæ impatientes eſſe experimenta docuerint, tanquam arbores infructuoſas, terram inutiliter occupantes

 ſucci-

(1) *Syn. Creſc. pag.* 106. §. Omnibus *ſub finem*.

ſuccidemus, ut alii ſubſtituantur, quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis Miniſteriis aptiores eſſe futuros.

XXVIII. Quum autem e Seminario quis dimittitur, ſive etiam ſponte recedit ſua, ſi nondum ſit Tonſura inſignitus, ne Clericalem veſtem gerere deinceps audeat, niſi facultatem a Nobis obtinuerit: alias namque opus erit cauſſas expendere, ut denuo id concedamus.

XXIX. Sed quando ex Noſtra facultate proprias domos ad aliquod tempus adeunt, Rector efficiat, ut ſinguli peculiares regulas habeant, quas per illos ſervent dies. Deinde, ut Nobis conſtet, quomodo ſe illi toto, quo a Nobis abſunt, tempore geſſerint, volumus, ut, quum ad Seminarium revertuntur, legitimum reportent teſtimonium ejus Parochi, in cujus Parochiæ finibus fuerint ut plurimum diverſati, quod ipſis ſi faveat, benigne iterum excipientur.

XXX. Studiorum curſu confecto, facto ad Sacerdotium aſcenſu, ſiquid in Noſtra poteſtate tum fuerit, quo Miniſtros ad Eccleſiæ ſervitium comparatos ornemus, Eccleſiamque Noſtram eorum Miniſterio juvemus, Noſtrum ſane nec erga Eccleſiam, neque erga ipſos ſtudium, atque propenſio deſiderabitur: verum non id ſemper humanæ res, quod optaremus, patientur, eritque aliquo temporis lapſu expectandum. In hac igitur ſæpe neceſſaria, interdum etiam utili, atque optanda expectatione illud vehementer diſcupimus, ut, quam poſſunt, Parochis ſuis operam facile præbeant, tum ne ſtudiorum contentio unquam torpeat; quinimmo, ut doctrinæ theſaurus in ſtudioſorum animis augeatur in dies, ac veluti ſolidetur, vehementer optamus. Quare opportunum eſſet, ut de honoris gradu in publica ſtudiorum Univerſitate reportando cogitaretur, dumque ſeveriorum diſciplinarum ſtudia privatim repetuntur, jam earum latior, atque profundior, quod ſane minus in primo curſu obtinetur, cognitio comparatur. Interim quiquid de ipſorum rebus, de ſtudiis, de valetudine Nobis relatum fuerit, jucundiſſimum erit cognoſcere, ut ipſorum ſeu neceſſitatibus opitulemur, ſeu commodis, & exiſtimationi quacumque ratione faveamus: quod quidem tum ex animi Noſtri propenſione oriri libenter fatemur, tum etiam ex quo quidquid ſtudii, & beneficentiæ in Clerum Noſtrum conferre poſſumus, Deo ipſi, & muneri Noſtro conveniens, ac plane debitum judicamus.

CA-

CAPUT VII.

DE REGULARIBUS.

QUum Regularium Cœtus singularem Ecclesiæ Pastoribus operam ad convellendum errorem, omnemque pietatem fovendam quavis semper ætate contulerint, ut proinde de universa Ecclesia egregie meriti habeantur, complures ex hisce Familiis Nobis in hac Nostra Diœcesi Dominico agro excolendo præsto esse, insignis a Deo beneficii loco ponimus. Namque ex tanta egregie factorum copia, atque præstantia in eam spem facile erigimur, hosce homines constanter effecturos, ut laudabilis vitæ exemplo, Templorum nitore, sacrarum majestate Functionum, assidua in grege Nostro pascendo industria, atque opera maximo esse Nobis & adjumento, & solatio experiamur. Ut autem omnia ad unius Dei gloriam, atque animarum utilitatem habeantur, spectatis iis tantum juribus, quæ eos Nobis devinciunt, pleraque, uti sæpius ad hujus Ecclesiæ regimen solent occurrere, uno in loco perstringimus.

I. Quæcumque de Parochis in tota hac Synodo edicimus, ita Parochos quoque Regulares in iis, quæ ad animarum curam, ac Sacramentorum administrationem pertinent, afficiunt, atque obligant, ut hi omnia præstare, omniumque rationem Nobis reddere, non secus ac Parochi Sæculares, teneantur ad normam Constitutionis potissimum BENEDICTI XIV. (1). Atque eo sane acrius Regularis ad munus suum impelli potest, quod indecorum toti suæ Familiæ, quæ carissima sibi esse debet, videretur, si pœnas in Parochum sancitas ab eo reposcere cogeremur.

II. Plura sunt de Ordinibus suscipiendis statuta, in quibus Regulares omnes Episcopis subsunt, nisi peculiaris ab ipsa Apostolica Sede facultas, sive Privilegium alicui nominatim, atque directe concessum intercedat (2). Ac primo nulli eorum, qui in hac Diœcesi commorantur, fas est adire alienæ Diœceseos Episcopum, ut ab eo Tonsura, aut aliquo Ordine initientur, nisi habeant legitimum Vicarii Nostri Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii Nostri testimonium, ex quo con-

 stet,

(1) *Bened. XIV. Const.* Firmandis *CIX. Bull. Tom. I.* (2) *Vid. Trid. Sess. XXIII. Cap. X.*, & *XII. De Reform. Decret. Clem. VIII. 15. Martii 1596. Conc. Rom. Tit. XXI. Cap. II. Bened. XIV. Const.* Impositi Nobis *XXVII. Bull. Tom. II. Vid. etiam Inst. ejusd. LVIII.*

ſtet, vel Nos a Diœceſi abeſſe, vel Clericorum Ordinationem non eſſe habituros proximo legitimo tempore per Eccleſiaſticas Leges ad hunc effectum ſtatuto (1). Præterea, quoties ſint ipſi Ordines petituri, ſe Nobis obſerant neceſſe eſt temporibus Eccleſiaſtica ad id Lege præſtitutis: at Litteras habeant ſuorum Prælatorum, ut ajunt, dimiſſoriales, quibus ea omnia contineantur, quæ exprimit formula, quam in Curia Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii Urbis novimus uſurpatam; quamque huic Volumini inſerendam mandabimus, ut ſiquis eam conceptis etiam verbis adhibere velit, facile poſſit (2). Tum ſe Nobis ſubeundo examini paratos exhibeant, quo habito de Ordinandis deliberemus.

III. Qui poſt Vota ſolemnia ſunt ſacris Ordinibus initiandi, præter dimiſſoriales Litteras, habeant a ſuo ſinguli Præſide teſtimonium, qui eos in Religione, cui adſcripti ſunt, expreſſam Profeſſionem rite emiſiſſe teſtetur (3), quippe quæ Paupertatis titulum, ut ordinentur, ſufficiat: immo vero ipſi in Curia Noſtra jurent, & ſcribant, ſe ſe ab omni prorſus humano metu, atque vi liberos, ac ſponte Profeſſionem eandem edidiſſe, eamque libere emiſſam ſe nunc ſincero animo ratam habere. Hujuſce juramenti ab Initiando jam præſtiti cum reliquis ſcriptis, ac Litteris monumentum in Cancellariæ Noſtræ Tabulario ſervabitur (4).

IV. Plura ſunt de Sacramentorum adminiſtratione, de celebratione Miſſarum, de Verbi Dei Prædicatione ſuprema auctoritate ſancita, in quibus Regulares Diœceſano ſubſint Epiſcopo, prout Sedis Apoſtolicæ Delegato neceſſe eſt (5). Ea propter Sacram Euchariſtiam ſuis in Templis aſſervent, cuſtodiant, ac opportune renovent, quæque in hanc rem ſancita alibi fuerunt (6), inviolata ab ipſis quoque, ſanctaque habeantur. Etſi autem liceat ipſis juſtis ex cauſſis Sacram Euchariſtiam populo adorandam privatim proponere, ut id tamen publice fiat, neceſſarium eſt, cauſſa aliqua impendeat, cujus Nos ipſi conſcii ſimus, atque ob eam Euchariſtiam publice exponi aſſentiamur. At generatim, quæ de privatis, ac publicis Euchariſtici Panis expoſitionibus cenſuimus alibi, atque decrevimus, eadem

(1) *Bened. XIV. eadem Conſtitut.* Impoſiti Nobis §. Præterea volumus. (2) *Vid. Append. pag.* 157. *N. VI.* (3) *S. Carol. Conc. Prov. II. Tit. I. Decr. XXIII. Synod. complures.* (4) *Hujuſce juram. form. extat in Append. pag.* 158. (5) *Quod ad Verb. Divin. Prædic., ac Pœnit. admin. Clem. X. Conſt.* Superna X. (6) *Par. II Cap. IV. N. III., IV., V. ad finem, Vid. Bened. XIV. De Synod. Lib. IX. Cap. XV. n. 4.*

eadem plane Regularibus proposita sunt, atque mandata (1)

V. Hujus autem Sacramenti administratio ipsis in suis Ecclesiis libera est præter unum in anno, nempe solemnem Paschatis diem. Hoc enim die ipsis non licet Eucharisticum Panem distribuere homini cuicumque, quantumvis Corpore Christi per dies Paschales in sua Parochia refecto (2), nisi ille fuerit e Regularium ipsorum familiaribus. Verum familiares hujusmodi ne habeantur, nisi qui eo tempore intra Monasterii septa Religiosis communia ita degunt, ut ipsis famulentur, atque ab iisdem vicissim alantur (3).

VI. Quod ad Pœnitentiæ Sacramentum jam definitum aperte est (4), Regulares, nisi Parochi sint, aut ab Episcopo per examen, sive alias judicentur idonei, sintque ab eo ad audiendas Confessiones approbati, non posse Sæcularium quorumcumque, licet Sacerdotum Confessiones audire, eosque absolvere. Nam qui id facere auderent, neque gravissimum crimen effugerent, neque pœnitens in conspectu Dei absolveretur; tamque necessaria hujusmodi est approbatio, ut neque Episcopo præsentatus, & ab eo licet injuste reprobatus Confessiones excipere valeat (5).

VII. Præterea, quod per Nos fuerit aliquis ad id probatus, nequit idcirco absolvere quemquam ab illis sive culpis, sive censuris, quas Nobis Nostro judicio relaxandas reservamus. Sicque leges Episcopali favent juri, ut siquis posset quempiam a casibus, & censuris Summo Pontifici reservatis absolvere, non ideo ille idem possit a casibus, vel censuris Episcopo reservatis (6).

VIII. Insuper quamvis, ut audiant Religiosorum suorum Confessiones, approbatione Nostra minime indigeant, nequeunt (7) tamen sine eadem speciatim obtenta Monialium quarumcumque, etiamsi sibi subditarum Confessiones audire. Hinc qui ad unum probati sunt Monasterium, ne ad aliud probati censeantur, neque semel deputati Confessarii, & ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro

una

(1) *Hac de re plur. Part. II. Cap. V. N. XIV., & seqq. Vid. Ben. XIV. in Epist. ad Episc. Warmien.* Accepimus *Bull. Tom. II. N. VI., & De Synod. loc. eod., & Inst. XXX. S. C. C. pluries.* (2) *S. C. C. sæpius. Vid. Bened. XIV. in Epist. Encycl. ad Primat. &c. Polon.* Magno *XLVIII. Bull. Tom. III. §. 21.* (3) *Vid. Lambert. Inst. LV. n. 7.* (4) *Vid. Trid. Sess. XXIII. Cap. XV. De Reform. Item plur. Pont., præsert. Pius V. Const.* CXXXIII. Romani Pontificis. *Urbanus VIII. Const. XCI.* Cum sicut. *Bened. XIV. Const.* Apostolicum Ministerium. *XVI. §. 7. Bull. Tom. IV.* (5) *Vid. propos. 13. int. proscript. al Alex. VII.* (6) *Clem. X. Const. ead.* Superna. (7) *Clem. X. ibid.*

una vice audiendas approbati, expleta deputatione, possunt iterum vi ejusmodi deputationis illarum Confessiones audire (1).

IX. Hæc ex Conciliorum, atque Pontificum Scitis: verum Romani Concilii auctoritate (2) sacræ audiendæ Confessionis munus Sacerdotibus Regularibus, quamvis ad illud ipsi & peritia, & scientia idonei appareant, non committemus, nisi a Monasterii Præfecti Litteris testatum fiat, eos in probatissimis etiam pro Confessariis datis S. Caroli Monitis instructos esse, & vitæ disciplina, & moribus probatos haberi, ac dignos, quibus id munus laudabiliter imponatur. Hoc in testimonii genere Superior ipse unice advertat, nequid testificando admittat, quod religiosæ suæ conscientiæ fraudi sit.

X. His cognitis superest, ut Regularis ad Pœnitentiam gregi Nostro administrandam designatus cetera, quæ in hanc rem commemoravimus, atque ediximus, sibi ipsi denuntiata etiam existimet, servetque diligenter (3). At desiderium, quo urgemur, ut amplissima Fideli populo se se hoc Sacramento salubriter expiandi commoditas pateat, illud etiam efficit, ut Regulares Prælatos vehementer hortemur, ne plures in suis Familiis pietate, doctrina, prudentia, animarumque juvandarum studio præclaros homines deesse unquam sinant, quorum opera ad tam pium, tamque salutare Ministerium uti valeamus. Debent ipsi in hoc proximorum utilitatem respicere, nec raro necessitatem, cujus caussa si a gravioribus studiis, si a piarum etiam meditationum exercitationibus interdum vacare, si molestias, atque incommoda haud raro subire contingat, totum id lucro, & quidem maximo addiscant apponere.

XI. Sunt autem in sacri Viatici, atque extremæ Unctionis administratione sua Parochis jura a Regularium Familiis rite servanda; namque, nisi necessitas urgeat, sic a Clemente V. sancitum (4): *Religiosi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, Eucharistiæ ministrare..., non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali...,præsumpserint, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendam*. Ipsis tamen licet hæc Sacramenta ministrare familiaribus suis domesticis, quos jam descripsimus (5), sed non iis licet, qui forte in eorum Monasteriis hospitantes ad mortem contenderent (6): hoc enim totum

(1) *Clem. X. ibid.* (2) *Conc. Rom. Tit. XXXII. Cap. II., cujus plane sunt verba.* (3) *Part. II. tot. Cap. VI.* (4) *In Clement. I. de Privil. Gregor. XV. Const.* Inscrutabili *XVIII.* (5) *Trid. Sess. XXIV. De Ref. Cap. XI.* (6) *S. C. C. in Monopolitana 27. Sept. 1670.*

tum Parochorum jus est. Ac siquis ex hujusmodi hospitibus intra ipsorum Claustrorum fines obeat, quin sepulturam sibi designaverit, tumulandus omnino erit in Parochiali, sive in illo, quem jura præscribunt, loco (1).

XII. Ad Nostram quoque pertinet sollicitudinem sacrosanctum Missæ Sacrificium: atque hujus curæ partem fidenter in ipsos Regularium Præsides transferimus, ut omnibus, quæ ad ineffabilem hujusce Mysterii decorem, & cultum decrevimus, aut decernemus in posterum, a Sacerdotibus tum suis, tum Nostris, tum generatim in suis Ecclesiis a quibuslibet penitus pareatur. Atque Præsidum horum pietate freti nunquam futurum confidimus, ut ea, quæ hac in re Nobis competit, facultate utendum sit (2).

XIII. Speciatim caveant, ne dent Sacri faciendi copiam Sacerdoti cuicumque ignoto, quantumvis vestem Clericalem, sive etiam Regularem alterius præsertim Ordinis induat, nisi litteras protulerit a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali signatas, quæ celebrandæ Missæ facultatem concedi posse probent (3).

XIV. Præter quosdam dies solemniores, quibus Nos ipsi permittemus, ne Regularibus liceat adire Ecclesias Monialium, ut in iis Sacrum faciant (4).

XV. Quæ eleemosynæ ratio fuit in hac Synodo pro Missæ manualis celebratione firmata, atque statuta, ne ipsi prætergrediantur (5).

XVI. Quod Nos a Sacerdotibus Sæcularibus omnino reposcimus, ne Missam primo celebrare aggrediantur, quin suam ipsi hac in re peritiam patefecerint viro sacri illius ritus apprime scienti, idem Superioribus Regularium summo animi studio commendamus, ut a Sacerdotibus sibi subjectis exigant, ne maxima illa exterior devotionis, ac pietatis species in tremendo hoc Ministerio unquam desideretur.

XVII. Quæ in Regularium Ecclesiis habentur Altaria, atque Capel-

---

(1) *Cap.* In Nostra 10. *de Sepult.*, *&* *S. C. C. in Raven.* 20. *Jan.* 1674, *& alibi*. (2) *Vid. Trid. Sess.* XXII. *de observ.*, *& evit. in celebr. Miss.*, *in quod Decr. vid. Fagn. ad Caput* Grave *n.* 46. De Officio Ordinarii, *Bened. XIV. De Synod. Lib. IX. Cap. XV. n.* 5. (3) *S. C. C.* 17. *Nov.* 1594 *S. C. C. in Bonon.* 2. *Jul.* 1620., *& in Neapol.* 17. *Aug.* 1630. *Supr. Sacr. Inq. Congr. Litt. Encycl. dat. die* 20. *Febr.* 1649. *eadem aliis Litter. datis die* 26. *Januar.* 1692. *Vid. Bened. XIV. Const.* Apostolicum §. 6. (4) *Vid. Monacell. Tom. I. Tit. IX. ad Form.* 23. *n.* 8. (5) *S. C. C. in una Romana* 15. *Januar.* 1639. *Vid. Bened. XIV. De Synod. Lib. V. Cap. IX. n.* 2.

Capellæ, ad quas servandas, seu manu tenendas Laici, sive Sodalitia Laicorum tenentur, Nostri plane juris est & ea sive Altaria, sive Capellas visitare, & qua fide, quaque diligentia pia legata impleantur, exquirere (1): quin si forte in piis testamentis exequendis (quod nunquam futurum confidimus) male se gererent Regulares quicumque, possent ad rationem coram Nobis reddendam cogi, & pro culpæ ratione puniri (2).

XVIII. Quod ad populum Fidelem sacræ habeantur Conciones, eæque frequenter, tum Nobis pergratum esse professi sumus, tum ab Regularibus in suis Ecclesiis cum fructu semper habendas speramus. Nihilominus illud cavendum, ut qui ad id muneris a suis Superioribus designantur, Benedictionem ab Episcopo petant, neque ipso contradicente Concionem habeant (3). Si enim adversaretur Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus posset Concionantem censuris, aliisque Ecclesiasticis pœnis plectere (4). Idem servandum, quum ad Moniales eorum Ordini subjectas, etiamsi januis clausis, nullusque sæcularis intersit, Concionem sint habituri (5).

XIX. Sed ad Moniales Nobis subjectas, ac universim ad populum in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sint, Concionem habere non possunt, nisi, Superioribus suis annuentibus, facultatem ab Episcopo obtineant (6). Ne tamen Concionem habere in suis Ecclesiis aggrediantur, quum ad populum suum in Civitate verba facit Episcopus (7).

XX. Postremo quum de Verbi Dei Prædicatione non pauca dixerimus, ea etiam legere Regulares, & omnia custodire studeant (8).

XXI. Ad publicas Supplicationes sive annuas, sive publicam aliquam ob caussam interdum a Nobis indicendas veniendum a Regularibus est, nisi jure, aut Privilegio directe post Tridentinum concesso eximantur. Hoc ipsis auctoritate illa injungimus, qua eosdem, si abessent, plectere etiam possemus (9). XXII.

(1) *Bened. XIV. De Syn. Lib. XIII. Cap. ult. n. 6. S. C. C. in Foroliv. Visit. Sacr. Limin. 23. Mar. 1764. apud Syn. Foroliv. ejusd. ann. S. C. C. in Nucerina 23. Junii 1759. in Ravenn. 7. April. 1731., & alibi.* (2) *Clement. unic. De Testamentis.* (3) *Trid. Sess. V. De Reform. Cap. II.* (4) *Gregor. XV. Const.* Inscrutabili *XVIII. Clemens X. Const. ead.* (5) *Clem. ibid.* (6) *Trid. ibid. Gregor. XV., & Clemen. X. loc. eisd.* (7) *Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. IX. Cap. XVII. n. 7.* (8) *Part. I. huj. Syn. Cap. VII. vid. Append. pag. 29. N. XV.* (9) *Trid. Sess. XXV. Cap. XIII. de Regul. Congreg. partic. jussu Urbani VIII. 27. Julii, 21. Aug., ac 19. Sept. 1628. ap. Pignatelli Tom. I. Consult. 122. Vid. Bened. XIV. De Synod. Lib. IX. Cap. XV. n. 11.*

XXII. Atque hoc tempore, ac loco siquæ controversiæ inter diversorum Ordinum Regulares, vel ipsos, & Clerum Nostrum fortasse emergant, sciant, eas a Nobis ipsis quavis appellatione sublata, & non obstantibus quibuscumque esse plane finiendas: quod idem dictum volumus de iis Processionibus, quæ de ferendis Defunctorum cadaveribus instituuntur. Quæ omnia ad normam Apostolicarum Constitutionum spectanda (1).

XXIII. Nemo Energumenos sine Nostra concessione in scriptis exorcizet, ne in sua quidem Ecclesia, ne dum aliis in locis (2).

XXIV. Nemo mulieres a partu admittat ad Benedictionem (3), quam dicunt Purificationem.

XXV. Nemo Aqua lustrali aspersum eat Sæcularium domos Sabbato Sancto (4).

XXV. Eodemque die usitatum illud erga Metropolitanam Ecclesiam in Civitate, & Parochiales in Diœcesi obsequium præstent, ne scilicet pulsent Campanas e Turri, antequam ab illis pulsari audierint (5).

XXVII. Novas ne exponant Reliquias, nec Effigies insolitas; nec nova miracula, nec novas evulgent Indulgentias, quin totum id relatum Nobis fuerit, quidque, & quatenus sibi de singulis licuerit, legitime acceperint (6).

XXVIII. Quum sit quibusdam Regularium Ordinibus potestas Pontificiæ Benedictionis aliquando populo impertiendæ, advertant, ne facultate sibi tributa utantur, quin licentiam a Nobis in scriptis obtinuerint, antequam Benedictionis diem publico Edicto significent, si per Edictum significare velint; sin minus vero, triduo saltem, antequam Benedictionem impertiantur, veniam impetrent. Hujusmodi autem Benedictio ne sit more Episcopali trina, sed simplex, neque adjunctam habeat Diaconi, & Subdiaconi solemnitatem. Omnia tandem serventur, quæ tum a BENEDICTO XIV., tum a CLEMENTE XIII. hac in re statuta sunt (7).

XXIX. Regulares, in quorum Monasteriis habenda est sacræ

 Scri-

(1) *Trident. ibidem, ac præterea Const. Greg. XIII.* Exposcit *LXXXIV., S. Pii V.* Divina *LXXI., Clem. VIII.* Inter cetera *XIII.* (2) *Vid. Litt. Encycl. C. S. Offic. in Append. pag.* 16. *N. IX.* (3) *Vid. Append. pag.* 153. *ad Dub. VI.* (4) *S. C. C. apud Barbosa de Paroch. Part. I. Cap. XII. n.* 12. (5) *Leo X. Const. XXII. Lambert. Inst. XX.* (6) *Trid. Sess. XXV. De invocat. Sanct. Bened. XIV. De Syn. Lib. IX. Cap. XV. n.* 5. *exeunte.* (7) *Bened. XIV. Const.* Exemplis *XLVIII. Bull. Tom. II. Clem. XIII. Const.* Decet Romanos 30. *Aug.* 1763.

Scripturæ Lectio, pro ea, quæ hac in re Nobis tradita est, potestate excitamus, ut sedulo recogitent, quid sibi facto opus sit, quidque sibi a reliquis rebus liceat, ut satis jam declarata Concilii Tridentini mens impleatur, neque id patefacere Nobis graventur (1). Insuper Regulares Sæcularium Confessionibus audiendis approbatos monemus, ipsos eatenus tantum eximi ab iis Congregationibus, quæ habentur de re morali in Nostro Archiepiscopali Palatio, quatenus in eorum Monasteriis, sive Cœnobiis juxta CLEMENTIS VIII. Decretum casuum conscientiæ Lectio, & Collationes hujusmodi habeantur. Itaque tenendum sedulo, quod sacra Congregatio Sanctissimo Papa BENEDICTO XIV. approbante censuit (2).

XXX. Superiores eorum Ordinum, qui Sanctimoniales habent sibi subjectas, quoties Nobis Sacerdotem obferunt, quem ad earum Confessiones audiendas probemus, is sit, qualem descripsimus, nempe prudentia, charitate non ficta, moribus ceteris commendabilis. Iidem Superiores quotannis statis vicibus ipsis Monasteriis Confessarium deputent extraordinarium, qui a Nobis, non secus ac ordinarius ad id approbetur. Hic autem esse debet saltem semel in anno Sæcularis Sacerdos, aut alterius a suo Ordinis. Quod si facere Regulares negligant, Nostri juris erit, quem maluerimus ad hæc Monasteria designare, atque mittere. Quidquid autem tum a Concilio Tridentino (3), tum deinde uberius hac de re a BENEDICTO XIV. (4) fuit constitutum, omni ex parte impleatur. Quamobrem quæ Nos de Monialium Confessariis sive ordinariis, sive extraordinariis in hac Synodo habemus (5), legant & ipsi Confessarii Regulares, serventque diligentissime. Ad ea tantum addimus: Regularis Confessarius intra Monasterii septa ingrediens socio utatur sui Ordinis provectæ ætatis; huic vero nunquam fas sit per Monasterium vagari; sed ita se habeat, ut Confessarius, ac socius videri invicem possint. Quæ nisi serventur, suæ inflictæ sunt pœnæ (6).

XXXI. Meminerint autem Regulares omnes cujuscumque Ordinis, atque Instituti, severissime sibi vetitum esse colloqui cum Moniali-

(1) *Vid. Trid. Sess. V. Cap. I. De Ref. Conc. Rom. Tit. I. Cap. IX.* (2) *Tit. XV. Cap. IX. S. Congr. Discipl.* 8. *Nov.* 1752., *ut in Append. ad Tom. IV. Bullar. Bened. XIV.* (3) *Trid. Sess. XXV. De Regul. Cap. X.* (4) *Bened. XIV. Const.* Pastoralis curæ *LVI. Bull. Tom. II.* (5) *Nempe Capite sequen. exeunt.* (6) *Vid. Const. Alex. VII.* Felici sacrarum *CLVI.*

nialibus, aliisque mulieribus in Monialium Claustris viventibus, etiamsi Superiores eæ sint, aut sui Ordinis, seu Instituti, seu sibi subjectæ: neque id sane liceat per quodcumque modicum temporis spatium, & ob quamcumque honestam, ac rationabilem caussam; neque liceat, etiamsi de rebus spiritualibus sermo habeatur, post Concionem, aut Missam in earum Ecclesia celebratam. Nempe & Apostolicæ Sanctiones, & sacrarum Urbis Congregationum Decreta declarant, Regulares hujusmodi colloquio lethalis culpæ reatum contrahere, privari voce activa, & passiva, posse a Nobis excommunicari. Neque hac tamen lege includuntur quod ad Monasterium, cujus curam gerunt, & eorum habent jurisdictioni subjectum, Confessarius, Superior, cui Monasterii ejusdem cura incumbit, Visitator Ordinis. Insuper possunt cum iis, quas habent conjunctas primo, aut secundo consanguinitatis gradu, colloqui, modo facultatem a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali in scriptis retulerint, quam tamen quater solum in anno faciemus, neque unquam Adventus, ac Quadragesimæ tempore, neque nisi servatis aliis, de quibus Decreta (1). Paucis tandem verbis cautum a GREGORIO XV. (2). *Ad hæc tam Regulares, quam Sæculares hujusmodi nullis Privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram... Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum ab Episcopo loci similiter, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.*

XXXII. Neminem e Regularibus ignorare arbitramur, esse eorum cuilibet jure Tridentini Concilii interdictum moram trahere extra Claustra Superiorum etiam adeundorum obtentu, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint (3). Hac in re peccantes ab Ordinariis plectendi.

XXXIII. Regularis interim, qui in Nostra Diœcesi extra sua Claustra degens, quantumvis non sine suorum Præsidum facultate, deliquerit, poterit a Nobis corripi, & puniri (4).

XXXIV. Si Regularis vero in suo utique Monasterio degens, extra Claustra ita notorie deliquerit, ut dilectissimo gregi Nostro offensionem, & scandalum pariat, Nobis instantibus a suo Superiore intra tempus a Nobis constituendum severe puniatur: Nosque ip-

(1) *Vid. Const., ac Decr. hac super re in Append. pag.* 158. *N. VII. Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. IX. Cap. XV. n.* 7. (2) *Const.* Inscrutabili. (3) *Trid. Sess. XXV. Cap. IV. De Regul.* (4) *Trid. Sess. VI. Cap. III. De Reform.*

ſi de hoc certiores fieri debemus (1). Verum ne Regularis Superior committat, ut nocens e Noſtræ Diœceſis finibus ante elabatur, quam pœnas ſubeat, quin etiam ſi elapſus forte fuerit, ad ſuum revocet Monaſterium: quod niſi Regulares Superiores præſtiterint, pœnis obſtringentur a Concilio Tridentino, & a CLEMENTE VIII. conſtitutis (2).

XXXV. Hæc generatim quod ad omnes. Ceterum etiam aliquando ſunt ſive Domicilia, ſive Conventus, in quibus niſi alantur duodecim Religioſi; alia, in quibus niſi ſex ſaltem actu exiſtant, poteſt iis Ordinarius & Paſtoralem Viſitationem indicere, & rationem obligationum ab ipſis ſuſceptarum exigere, ac alia muneris officia juxta Apoſtolicas Conſtitutiones, & S. C. Decreta exercere (3).

XXXVI. Tandem Regulares omnes hortamur, ut quum Chriſtianæ Religionis ipſi ſint ſpecioſiſſima portio, ſingulare quoque inter Chriſtianos reliquos virtutis ſpecimen præferant, ſintque exemplo Fidelibus in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, uno verbo digne ambulent vocatione, qua vocati ſunt. Deinde eos hortamur, ut Nobis, quemadmodum hactenus fuere, ſubſidio eſſe pergant in omni opere bono fructificantes. Quum enim eorum, quos Deus palam a ſæculo ſegregavit, & aſſumpſit, ſit non modo circa Præcepta omnibus communia verſari, ſed ſtudioſiſſime etiam, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, inquirere, ac ſequi, fieri ſane nequit, quin animarum, quæ Divino Redemptori Noſtro tanti fuerunt, ſaluti procurandæ pro ſuo quiſque Inſtituto animum vehementer adjiciat.

CA-

(1) *Trid. Seſſ. XXV. De Regul. Cap. XIV.* (2) *Trid. ibid. Clem. VIII. Conſt. XXXIX.* Suſcepti muneris. (3) *Nempe ſpectand. Conſt. Innoc. X.* Inſtaurandæ *XXVII.*, *& ejuſd.* Ut in parvis *XXXII.*, *atque alia Innoc. XII.* Nuper *CLV. Plur. Declar. memorati Decr.* Ut in parvis *a S. C. ſuper ſtatu Regul. edit.*, *atque ab Alex. VII. approb.*, *legunt. apud Monacel. Tom. I. in Append. ad form. De tota hac re Bened. XIV. De Synod. Lib. III. Cap. II.*

CAPUT VIII.

DE MONIALIBUS,
Ubi & de Tertiariis.

Vos hic, facræ Virgines, alloquimur, quas candor lucis æternæ, Unigenitus Dei Filius arctiſſimo ſibi fœdere conſecravit, quæque ſub Religionis jugo Chriſto Salvatori in caſtitatis holocauſta famulari diſcupitis: eſtote ſtabiles in fide, in timore humiles, in pace concordes, quod ſolemniter Chriſto Sponſo juraſtis, in charitate ſervate; & pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, impleat corda veſtra. Interim, quum ſub obteſtatione divini Judicii commiſſum ante omnes, & ſingulariter Epiſcopis fuerit, ut clauſuram, quam BONIFACIUS VIII. (1) ſolemni Conſtitutione inſtauravit, ac reliqui Romani Pontifices confirmarunt, diligentiſſime in quovis Monaſterio, vel quomodocumque exempto, cuſtodiant (2); quæ jam ſunt hac in re cuique notiſſima, iterum monemus, atque præcipimus. Præterea quo in Deum, inque veſtram Profeſſionem animo eſſe debetis, ut vobis diſtincte ex Pontificum, Prædeceſſorumque Noſtrorum Statutis proponitur, habetote.

I. Nulla Sanctimonialis unquam (præter caſus a jure permiſſos, ſervatiſque de jure ſervandis) e Monaſterii finibus clauſura comprehenſis pedem efferat. Siqua id audeat, quod Deus maxime avertat, ab Eccleſiæ Dei communione ſe ſtatim ſeparat, ad quam redire, niſi per Romanum Pontificem, non poſſit. Deinde nemo cujuſvis generis, conditionis, ſexus, ætatis Monaſterii cujuſcumque, licet Regularibus ſubjecti, iiſdem ſub pœnis, ſepta ingredi præſumat (3). Item iiſdem plane cenſuris obnoxiæ ſunt tum perſonæ, quæ Monialem egredientem comitentur, & eam recipiant (4), tum Moniales, quæ extraneos in clauſuram inducant (5). Quamvis vero infantes, qui ratione nondum utuntur, neque peccatum contrahere, neque cenſuris affici poſſint, prohibentur tamen Moniales ſub pœnis violatæ clauſuræ ipſos utriuſvis ſexus intra clauſuræ fines admittere

(1) *Cap.* Periculoſo *unic. De ſtatu Regul. in 6.* (2) *S. Pius V. Conſt.* Decori *VIII. Gregorius XIII.* Ubi gratiæ *XXVIII. Paulus V.* Monialium *LXXIV. Alexan. VII.* Felici *CLVI. Ben. XIV.* Salutare *XL. Bullar. Tom. I.* (3) *Greg. ibid.* (4) *Pius ibid.* (5) *Monac. Tom. I. adn. 6. ad Conſt.* Decori.

mittere (1). Neque id unquam faciant, etiamsi illi tantum in rota ex clausuræ parte consistant. Superiores Regulares, quibus subsunt Monasteria, ne hæc aliter unquam ingrediantur, quam servatis ad unguem iis, quæ præscribuntur in Apostolicis Constitutionibus (2).

II. Siqua mulier a Romano Pontifice facultatem obtineat in aliquod Monasterium intrandi, eorum omnium, quorum exprimitur, consensus obtinendus, quod nisi fiat, neque impetrata facultas quidquam prodest, neque idcirco formidandæ violatæ clausuræ pœnæ queunt declinari.

III. Nos autem, quandocumque jura patiantur, facultatem dabimus, ut Sæculares sacros hosce recessus penetrent; aliis ad annum, aliis, quorum ministerium non tam crebro exquiri videbitur, dabimus ad brevius tempus, vel singulis vicibus. At severitas Nostra palam tum fiet, quum ea negligi acceperimus, quæ jam proponimus, quæque servari plane volumus, atque jubemus.

IV. De Confessariis quidem, quoniam præcipua eorum res est, agemus separatim. Nunc de Medicis, de Chirurgis, deque variis mechanicarum artium professoribus. Nam primo volumus, ut quicumque Nobis proponuntur, ut in Claustra intrent, sint viri ætate graves, tum vita admodum in Christo laudabiles: deinde, ne quisquam proponatur leviores ob caussas, sed eas, quas ipsa Superior & justas, & graves censeat: porro nequis introvenire permittatur, nisi quum caussa instat; ac, nisi necessitas aliter postulet, nemini ingressus pateat ante solis ortum, aut ibidem ille post occasum detineatur (3).

V. Quum autem quisquam est intraturus, audiatur a Monialibus certum campanulæ signum, quo omnes intelligant secedendum sibi esse. Interim duæ e provectioribus, quas ipsa Superior Monasterii designarit, ad januam accedant, aperiant, hominemque itinere brevissimo deducant ad locum, ubi ejus opera fuerit necessaria; qua celerius expedita, eundem similiter, ceteris recedentibus, ad limen comitentur, & fores obserent (4).

VI. Ne fas sit iis, qui intrant, sermonem habere cum alia quapiam, præter eas, quas postulat res, ob quam illis aditus patuit: multo autem minus fas illis sit moras ibidem inutiles ducere, cibum

(1) *S. C. Episcop., & Regul. in Tudert., in Neapol., & alias*. (2) *Const. Alex. VII.* Felici *CLVI*. (3) *Syn. Cresc. pag.* 127. §. Licentias. (4) *Syn. Cresc. ibid.* §. Ministri, *& plur. Synod. passim*.

bum ſumere, cellas, aut officinas, aut alio, quo non pertinet, divagari. Porro inceſſus, oculi, totus corporis habitus ſerium hominem deceat, ſermones præcipue non alii ſint, quam quos modeſtia, gravitas, atque Chriſtiana prudentia laudarint. Quas leges qui tranſgredi auſus fuerit, non leviter animum Noſtrum læſerit, nec tulerit impune.

VII. Quæcumque clauſuram muniunt, parietes, fores, feneſtræ, cuſtodiantur ſevere: quæque temporis injuria, aut uſu ipſo excidunt, uti murorum ſoliditas, aut continuitas, feneſtrarum repagula, januarum poſtes, fores, vectes, annuli, ſeræ, claves, obſerventur identidem, ut reficiantur: arbores ad clauſuræ confinia nimium ſuccreſcentes ſuccidantur; & quidquid integræ ſecuritati clauſuræ officere poſſe videatur, tempeſtive reparetur. Quibus in rebus parendum omnino Decretis a Nobis, atque a Prædeceſſoribus Noſtris hic, illic pro locorum habitudine conſcriptis.

VIII. Porta curruum munienda clavibus intrinſecus, atque extrinſecus: exterior habeatur a fido Monaſterii miniſtro; interior a ſola Superiore, quam janitricibus tradet, quamdiu tantum, & quatenus ea utendum: ac niſi neceſſitas urgeat, ne hujuſmodi claves ad aperiendum admoveantur ante ortum ſolis, vel poſt occaſum. Quæ portæ clauſuram defendunt longinquius, haſce mandamus eadem ratione cuſtodiri.

IX. Et alia porta clauſuræ ſit perpetuo, ac rigide occluſa, niſi vera illius aperiendæ ſuperveniat cauſſa, reſque intromitti ad vitæ uſus oporteat, quibus rota ſatis non ſit: hujus autem portæ claves ne ſint cuique Monialium perviæ; de die penes janitricem ſerventur, de nocte penes Superiorem. Ipſa quoque Collocutorii claves recuperet ſtatim a ſolis occaſu, neque illud aperiri cuiquam iterum ſinat, niſi mane poſtquam in Choro recitatum fuerit Matutinum.

X. Uſum namque Collocutorii etſi omnino deleri non expedit, illud tamen ſibi Moniales perſuadeant, eum, ſi paulo frequentior ſit, eſſe totius clauſtralis diſciplinæ perniciem: eſtque experientia ubique locorum comprobatum, ea Monaſteria virtutibus florere, ac ſumma pace potiri, in quibus Moniales ab exterorum conſuetudine, quanto magis fieri poteſt, ſegregantur. Hiſce de cauſſis conſortium hujuſmodi deteſtata ſemper eſt Sancta Mater Eccleſia, pœnamque ſuſpenſionis in Clericos, excommunicationis in Laicos, qui Monialium Monaſteria frequentare præſumpſerint, ferendam ſtatuit (1).

Ut

(1) *Cap.* Monaſteria 8. *De vita, & honeſtate Cleric.*

Ut tanta præcaveantur incommoda, neque hasce pœnas, aliasve carceris a Decessore Nostro sancitas (1) sumere Nos ipsi unquam cogamur, caveant omnes sive Clerici, sive etiam Laici accedere ad Monasteria Monialium, cuicumque potestati subditarum, ut cum earum aliqua sermonem habeant, quin retulerint a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali & adeundi, & colloquendi facultatem: excipimus consanguineos in primo, vel secundo gradu, modo neque per Adventum id fiat, neque in solemnioribus Festivitatibus, vel quo tempore Sacrosancta Eucharistia publice est ad adorandum proposita, vel divina Officia peraguntur (2).

XI At siquis Monialibus larvatum se offerat, aut cum instrumentis musicis, aut profanas cantiones modulans, hunc sive virum, sive mulierem, quicumque ille tandem sit, pœna scutorum decem, vel etiam carceris dignum habebimus.

XII. Districte præcipimus, ne mares colloquantur cum Monialibus, aut fœminis intra Monasterii cujusque septa degentibus ad januas apertas, nisi expressam ad id facultatem a Nobis obtinuerint: quod Præceptum si ipsi violaverint, non poterunt, nisi a Nobis, absolvi. Sed ipsis etiam fœminis, quæcumque eæ sint, prohibemus severe, ne cum Monialibus ad easdem januas apertas sermonem habeant, nisi venia a Nobis impetrata: plectemus peccantes pœnis, quibus videbitur.

XIII. Quod siquis eo temeritatis, vel potius furoris evadat, ut verbis, nutibus, scriptis, internuntiis, actu quocumque obscœnum aliquid cum sacra Virgine, sive etiam cum aliis fœminis in Monasterio quocumque degentibus agere, sive attentare, aut coram ipsis quantum satis advertentibus agere, loqui, attentare aggrediatur, a nemine, præterquam a Nobis, absolvi poterit: & ob actus obscœnos in excommunicationem quoque illico incidat, quam tollere Nobis item unice reservamus. Quæ de iis tantum dicta habeantur, qui externi Monialibus sunt, sive illi ad ipsarum crates deliquerint, sive etiam ex licentia Monasterium ingressi.

XIV. Verum ne Leges hæ Nostræ, totaque Pastoris vigilantia in irritum cedat, necesse est, ut ipsæ Moniales iis, quantum fieri potest, seclusis, quæ animam a Deo avocare facile possunt, suæ semper vocationi obsequi, atque ad eam vitæ perfectionem contendere curent, & studeant, ad quam omnes, qui se Deo in Claustris solemniter dedicarunt, ex gravi sui status obligatione tenentur: quare

(1) *Syn. Cresc. pag.* 125. §. Nemini. *Syn. Rufo pag.* 84. *N. IV.* (2) *Syn. Cresc. pag.* 125. §. *eod.*

re contracti cum Christo connubii in Votorum vinculo frequentissimam, atque carissimam memoriam habeant, quæ & acriores ad currendam perfectionis viam stimulos addet, & suavissima animum consolatione perfundet.

XV. Ut pudor, qui Virgines ante omnia ornat, atque commendat, integerrimus servetur, nihil æque conferet, quam ut Sanctimoniales, quum jam nuntium mundo publice miserint, rerum mundanarum odium, atque solitudinem in suis Claustris consectentur. Siquando cum Sæcularibus agendum fuerit, modestiam nec sane mediocrem præferant. At nulla ad crates descendat, nisi impetrata a sua Superiore venia; neque veniam unquam roget diebus, horisve singulariter vetitis; neque ad colloquendum cum Sæcularibus adeat, nisi auditura adsit socia, quam Superior designaverit; colloquia autem ipsa sint de rebus non inutilibus, eademque studiose brevia.

XVI Utque longius removeatur quidquid sæculi vanitatem sapit, prohibemus, ne alantur in Monasterio canes, ac præterea, ne ulla unquam libros apud se habeat, quos non Confessarius probarit.

XVII. Est etiam modestiæ, quam prædicamus, haud sane congruens, sacras Virgines, suis positis vestibus, viriles induere, ut ut joci caussa faciant; jamque hoc facere omnino prohibentur (1): sed etiam minus decere videtur, eas unquam proprium mentiri habitum, ut agant in scena. Quare nunquam hoc; nisi Nos ipsi rogemur, utrum hac in re quidquam possimus sine reprehensione concedere: quamquam ab iis, quibus cor sapit, vix unquam id foret ab auctoritate Nostra exquirendum (2). At non Moniales modo, sed & puellæ ad educandum concreditæ caveant omnino, ne unquam habitu ementito se dent in Sæcularium conspectum, aut nequando suam agendi in scena dexteritatem apud eosdem præferant.

XVIII. Sed quod solitudinis, ad quam sacras Virgines tantopere hortamur, [illegible]oda magna ex parte etiam everteret, earumque animos mundanis [illegible] non sine mundi ipsius pulvere, ac sordibus detineret implicitum, id est, si cum externis commercium, missis, & acceptis mutuo epistolis, foverent. Est igitur hoc a singulis cavendum: utque animus Deo sacer totus Deo vacet, efficiendum, ne sæculares sollicitudines gerat, immo ne mundanis tangatur eventibus. Superior interea diligenter animadvertat, nequid nimis hac in re fiat: quare litteras vel crebriores, vel e quibus prudens ali-

(1) *S. C. Episc. in Ferrar. 27. Apr. 1604.* (2) *Cresc. 129.* §. Repræsentationes.

qua oritur ſuſpicio, intercipiat, reſignet, legat, & ſiquidem futilia, minuſve religioſa in ipſis contineantur, Nobis ſignificet (1).

XIX. Pleràque ex iis, quæ dicta ſunt, ad caſtitatem contuendam referuntur: alterum religioſæ Profeſſionis Votum, Paupertas ſcilicet, quæ omnium Regularium Ordinum appellatur, vereque eſt quaſi alter murus, ſeveriſſime cuſtodiendum.

XX. Jamque altius Nos hanc cuſtodiam exordientes, jubemus in primis, Moniales omnes animadvertere, nemini Paupertatis voto adſtricto licere bona immobilia, vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, aut etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria poſſidere, vel tenere (2): ſic autem mobilium bonorum uſum permitti, ut a Superioris voluntate pendeat; porro res ipſæ uſui traditæ Paupertati conveniant, quam profeſſi ſinguli ſunt.

XXI. Nulla idcirco Monialis apud ſe retineat pecuniam, quomodocumque aut ex annuis conſanguineorum præſtationibus, aut aliunde ſibi obvenerit: at ſingulæ eam conferant in capſam communium depoſitorum, quam cuſtodiri volumus, atque mandamus a tribus ad minus triplici diverſa clavi: nunquam vero id fiat ultra quatuor. Ex hac eadem capſa quæque Monialis ſingulis vicibus ſumet quod fuerit ſibi a Superiore conceſſum, ut expendat. At iſta caveat, ne Moniali cuipiam facultatem tribuat retinendi apud ſe pecuniam ultra ſcutum decem juliorum: quod tamen de quotidianis uſibus intelligi volumus; nam poterit majorem ſummam concedere ob ea comparanda, quæ ex Monaſterii conſuetudine ad ſingulas pertinet, & pluris valent. Quamquam ſi faciendus ſit a Moniali ſumptus ultra decem ſcuta, ne id illi Superior Monaſterii ſine Noſtra facultate permittat.

XXII. Ac generatim, ubi nulla intercedat legitimorum Superiorum facultas, nihil omnino licet Evangelicam Paupertatem profeſſis ſive pecunia, ſive rebus emere, vendere, permutare, deponere, dare mutuum, commodatum. Quod ſi faciat Monialis, in crimen incurrit, quod in Jure appellatur *Proprietas*, cujus pœna eſt, ut biennio voce activa, & paſſiva privata ſit, atque etiam juxta ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur (3).

XXIII. Quamobrem eo potius animum omnes intendant, ut quamvis ex ſui Inſtituti, ſeu Monaſterii conſuetudine liberior aliquis rerum uſus varie permittatur, velint tamen omnia ita habere, ut a ſuæ Superioris voluntate unice pendeant. XXIV.

(1) *Vid. Criſp. De Viſit. Par. II.* §. *XXXXII. n. 66.* (2) *Trid. Seſſ. XXV. Cap. II. De Regul., & Monial.* (3) *Trid. ibid.*

XXIV. Interim res, quas habere sibi licet, sic habeant, quasi a Deo sibi ad breve tempus commodatas, & confestim in Superiorum manus integre, si juberentur, dimittendas, quin dolere, aut jure conqueri possent.

XXV. Huc mirifice conferet, si unaquæque peculiarem sibi conficiat indiculum singularum rerum, quibus utitur, atque hunc ad Monasterii Superiorem perferat, omnia coram illa sponte dimittens: quumque divinæ beneficentiæ thesauris freta pro certo habeat, nihil sibi necessarium ad vitam fore negandum, aut unquam defuturum, eo item animo sit, ut nihil sibi deinceps, nisi quod invisibilis Deus per Superioris vocem permiserit, velit retinere.

XXVI. Id faciendum saltem singulis annis, ac in mortis periculo (1): neque vero liceat Sanctimoniali quidpiam testari, aut rem quampiam alicui, quamvis sibi sanguine, aut amicitia junctæ, aut bene de se ob famulatum promeritæ, velle suo nomine dari. At ejus morte consecuta, Superior res illas Monasterii nomine occupabit, & qua erit charitate, & prudentia poterit distribuere.

XXVII. Ex his proclive etiam est assequi, quantopere curandum, ut omnis e Monasteriis mercimonii, aut quæstus species exulet proh quam abjecta, & ne dum Deo, sed mundo ipsi invisa! Quare quæcumque Nobis hac in re decreta fuere, iterum urgemus, atque mandamus.

XXVIII. Munera, quæ induxit consuetudo, ut a Monialibus ad quosdam grati animi caussa mittantur, efficiet ipsa Superior, ut ea moderata sint, magisque Paupertate commendentur, quam luxum præferant (2). Deinde ut nulli mittantur nomine ullius sibi subditæ, sed totius Monasterii: præterea ut in hac re cetera omnia serventur, quæ decreta fuerunt Constitutionibus Pontificum Clementis VIII., & Urbani item VIII., quum violatores gravissimis pœnis damnentur (3).

XXIX. Nos autem in virtute sanctæ obedientiæ, indictaque vocis activæ, & passivæ privatione ipso facto incurrenda præcipimus, ne ulla Monialis cujuslibet Instituti, & in quocumque Monasterio degens, quæcumque ea sit, Superior, Cameraria, Vicaria, Sacrario, vel rotæ præposita, ratione cujuslibet officii sibi demandati, sive dimittendi, sive occasione Festivitatum sumptus faciat, aut donet quidquam, quantumvis parvum Monialibus, Superioribus etsi Regularibus, offi-

(1) *Syn. Cresc. pag.* 123. §. Hac eadem *sub finem*. (2) *Syn. Cresc. pag.* 124. §. Caveant. (3) *Clemens VIII. in Const.* Religiosæ *XXVIII.*, *&* *Urbanus VIII. in Const.* Nuper *CLVIII.*

cinæ, vel Confessario, vel ministro cuilibet, ac ne ipsi quidem Ecclesiæ, seu Sacrario: eodemque gravi Præcepto obstringimus Superiores quascumque, ne id unquam fieri permittant (1). Nam quidquid videatur in hoc genere necessarium, sive conveniens, totum id communibus Monasterii sumptibus fieri volumus, atque præcipimus: & quoniam neque eædem sunt cujusque Monasterii res, neque consuetudines, quomodo unumquodque se gerat, Nostris Litteris declarabimus.

XXX. Siqua ab externis commodanda petantur, sintque pauca quædam, ac facile recuperanda, Superioris solius judicium esto, an dare expediat, jamque ut iis præsertim, qui sunt bene de Monasterio meriti, concedat annuimus. Sin autem sint multa, vel pretiosa, id prohibemus severe; ipsaque sine ulla nota se se hoc Nostro Præcepto apud quoslibet excusabit.

XXXI. Horum tamen plura, ubi vita esset in rebus omnibus communis, facile præciderentur, seu sponte conciderent. Atque hoc quidem illud est vivendi genus, quod post Spiritus Sancti illapsum amplexi sunt primitivæ Ecclesiæ Fideles; nam uti ex Apostolicis Actis habemus: *erant illis omnia communia* (2); quod sanctissimi Religiosorum Ordinum Patres Filiis suis præscripserunt, quodque veluti fundamentum spectavit Ecclesia, cui Religiosæ vitæ Institutum inniti voluit, dum, proscripta a virorum, mulierumque Monasteriis proprietate, communia omnia inter eos esse voluit. Ast hoc ipsum vitæ genus nondum rerum, ac temporum difficultatibus licuit in omnia hujusce Civitatis Monasteria inducere: quare iis Monialibus, quibus eo uti deprehendimus, vehementer gaudemus, ac gratulamur in Domino, easque, quantum possumus, hortamur, ne tam pium, tamque laudabile Institutum vel minimum excidere patiantur. Reliquas hortamur, ut communem diligant vitam, ut eam animo saltem, atque corde consectentur: sibique persuadeant, hac vivendi ratione sacras Virgines & lætius vivere, & securius mori (3).

XXXII. De Obedientia sic omnes habeant, eam esse virtutem, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Quantum

vero

---

(1) *Clemens XI. in Epist. Encycl. ad omnes Ital. Episcopos* 28. *Jul.* 1708. *S. C. Episcop.*, & *Regul. jussu Bened. XIV.* 26. *Januar.* 1742. *Clemens XIII. in Chirogr. ad Vices gerentem in Urb.* 30. *Junii* 1759. *Vid. Append. pag.* 163., *ubi legit. Epist. Emi Præd. Nostri Cresc. in hanc rem N. VII.*, & *memorat. Chirogr. legit. in Append. pag.* 165. *N. VIII.* (2) *Act.* 4. 32. (3) *De hac re plura apud Bened. XIV. De Syn. Lib. XIII. Cap. XII. n.* 18., & *seqq.*

vero quæque in Christianæ perfectionis via progredi cogitat, tantum in ea excolenda, exercendaque studii sibi putet esse collocandum. Est autem ea præstanda non solum erga Superiores Monasterii, sed etiam ergà quemlibet habentem ab his aliquam in Moniales potestatem. Idem namque fons est, nempe Deus, a quo omnis potestas, quam vereri, eidemque in omnibus necessarium est obsequi.

XXXIII. Eam autem Obedientiæ speciem sibi quæque proponat, quæ nunquam excusationes obtendit, nunquam ea sibi, quæ optabiliora sunt, demandari curat; sed ita imperata excipit, ut in iis perficiendis summum obsequium, & charitatis in Deum argumentum constitutum esse judicet.

XXXIV. Peculiares actiones moderatur, tanquam Obedientiæ pars, Regularis Disciplina: has inter, quum præcipuum locum habeant quæ Dei cultum propius attingunt, eas ceteris anteponi, & cupidius suscipi justissimum est. Chorum frequentent, ubi divinas laudes statis temporum intervallis studiose, devoteque persolvant memores, se in eo munere Angelorum socias esse. Ad sacram Verbi Dei Prædicationem humiliter, quandocumque habeatur, conveniant. Bis in die per semihoram in loco constituto dent piis meditationibus operam. Sacrosancto Missæ Sacrificio summa cum religione, ac pietate quotidie intersint. Per decem dies quotannis spiritualibus Exercitiis vacent, quo potissimum tempore in solitudine, atque secessu recogitent annos suos in amaritudine animæ suæ, atque ad novum spiritus fervorem excitentur. Neque ulla sane publicis hisce Christianæ Religionis officiis se se subducat sine Superioris facultate, cujus oneramus conscientiam, ne ullam sine justa caussa ab his liberet.

XXXV. Omnes suscipiant Sacramenta Pœnitentiæ, & Sacrosanctam Eucharistiam saltem singulis mensibus: quamquam hæc prætermitti nolumus iis quoque diebus, quos singula Monasteria præcipuos habent ex sui Ordinis, vel consuetudinis præscripto (1).

XXXVI. Quod præterea Tridentini Patres ab universis Christi Fidelibus optabant, ut crebrius, atque quotidie Corpori Christi communicarent, a quibus potissimum expectandum id esset, quam a sacris Virginibus, quarum spiritus eximia vitæ integritate mirifice parari, atque perfici potest? Hac tamen in re Confessarii judicium singulæ plane sequantur (2). XXXVII.

(1) *Clement. I.* Ne in agro §. Sane *De statu Monachorum*, *&* *Trid. Sess. XXV. De Regular.*, *&* *Monial. Cap. X.* (2) *Confessarii præ oculis habeant Decret. S. C. C. circa Commun. quotid. relat. in Append. pag.* 38. *N. II.*, *&* *quæ dicemus infra hoc ipso Cap. N. LXXIX.*

XXXVII. Sunt aliæ Chriſtianarum virtutum exercitationes, ut jejunia, & variæ carnis afflictationes Regulis, vel conſuetudine inductæ: illas Monialis quæpiam ne omittat ſine debito permiſſu; eſtque ſemper privatis potius, ſive ſponte ſuſceptis parcendum, ut quæ publicæ, vel communes ſunt, impleantur.

XXXVIII. Dum corpus eſca reficitur, ne ſuum ſpiritui ſimul pabulum deſit, ſacra ſcilicet pii alicujus Libri lectio, quam omnes curent, ut audiant, ac mente percipiant. Sed antequam ad menſam communem aſſideant, publica illius Benedictio præcedat; neque ulla e Monialibus a Triclinio diſcedat, quin actæ Deo gratiæ fuerint.

XXXIX. Ad Chriſtianam humilitatem tuendam, ad leviora peccata extirpanda, ad omnia Regularis obſervantiæ munera diligentius obeunda illud eſt inter Regulares Familias ſanctiſſime inſtitutum, ut ſinguli ſive propria in adminiſtrandis officiis, in Regulis obſervandis errata publice fateantur, ſive eorum, quæ Superior judicaverit, reprehenſionem ſubeant, ac etiam poſtulent. Id ipſum apud Sanctimoniales ſervari jubemus. Quapropter ſingulis hebdomadis omnes in Capitulum convocentur, ibique is ordo teneatur, ut ne ſingulis locus intra menſem deſit id perficiendi: ſunt huic operi adjunctæ Indulgentiæ, quas ſibi poſſunt acquirere, & magnum hinc ſibi ad virtutem incitamentum ſentient (1).

XL. Sed capitularis Conventus cogendus interdum, ut de rebus gravis momenti deliberetur. Huc ita comparatæ ſingulæ veniant, ut eam partem ſincere teneant, quam toti Monaſterio utiliorem judicaverint, privatis quibuſvis rationibus plane rejectis. Utilius autem illud primo habendum, quod utilitatem affert ſpiritualem, deinde quod ad familiarem rem magis confert. Quæ niſi præ oculis eo tempore habeant, ſeveriſſimam Deo Judici rationem reddent. Hæc mens, atque animus ſi in ſingulis rebus, quæ in deliberationem veniunt, habendus eſt, tum vero maxime, quum agenda eſt Superioris, & reliquarum Officialium electio. At per menſem, antequam Superior cujuſcumque Monaſterii eligatur, Nos de hoc certiores fieri debemus, ut per Nos ipſi, aut per alium, prout magis in Domino judicaverimus, præſentes adeſſe poſſimus (2).

XLI. Ut autem in capitularibus Comitiis ſuam quæque ſententiam liberius ferat, ſuffragia ſecreta ſint; quænam in alterutram par-

(1) *Paulus V. pro ſalutari hac exercit. conceſſit Indulg. ann. 3., & totid. Quadrag. in Conſt.* Romanus Pontifex *XXI.* (2) *Trid. Seſſ. ead. Cap. VII., & quod ad Monaſteria exempta Gregorius XV. Conſt.* Inſcrutabili *XVIII.*

partem ſuffragium tulerit, perpetuo lateat (1): ſiqua impediatur morbo, quominus Capitulo interſit, ſcribat illa ſuffragium ſuum, obſignetque, non reſignandum deinde, niſi per eam, quæ in Capitulo eſt veluti a Secretis, ac Superiore ipſa teſte; neque hiſce unquam liceat pandere, unde alicui parti ſuffragium illud acceſſerit. Si neque ſcribere valeat, quæ Capitulo eſt a Secretis ad aurem illud excipiat, fideliter perferat, & eodem ſilentio teneat.

XLII. At quæ in electionibus ſe omnibus Præpoſitam noverit, ſi unam ex illis eſſe velit, quas Dominus prudentes prædicavit, diu, diligenterque perpendat, quanti ponderis ſit aliis præeſſe: ſimul etiam ſibi perſuadeat, hanc ſui muneris molem imminui maxime poſſe, ſi munus ex obedientia ſuſcipiat, ſeque humilem, omnibus comem, atque omni tempore humanam exhibeat, & auctoritate potiſſimum in eo utatur, ut nullam unquam a ſe arceat, ac ſingulas charitatis officiis cumulet.

XLIII. Attamen charitatem repoſcimus ſecundum Deum ordinatam, quæ nempe nihil patiatur, quod ipſius Dei offenſam redoleat, ſed quibus remediis prudentia ſuadet, illud omni etiam vi e medio tollere enitatur.

XLIV. Locus autem, ſeu tempus, quo charitatis ſuæ viſcera veluti effundat, illud eſt, quum aliqua ſibi ſubdita ægritudine ſeu corporis, ſeu ſpiritus laborat: ſæpe ipſa poteſt, ac debet mœrentem blande excipere, ſolari, atque propoſito ſeu momentaneo præſentis vitæ labore, & æternæ gloriæ pondere, ſeu ſanctiſſimorum hominum, ac potiſſimum Chriſti Filii Dei angoribus, atque ærumnis erigere: denique, ubi nihil aliud ſuppetat, ſciat cum flente humaniter flere.

XLV. Item charitas emineat cum iis, quæ corporis morbo tentantur: ne dies prætereat, quo non ægrotantes inviſat, maternis ſoletur verbis; neque cubitum eat, quin certior facta ſit, nihil ipſis vel ad animi, vel ad corporis medelam neceſſarium deeſſe.

XLVI. Efficiat, ut Medicus pluries etiam in die, ſi morbus exigat, ægrotas viſitet, ſicque Monaſterium quidquid ad id neceſſarium eſt, ſuppeditet, ut Medentes nihil amplius ab ægrota poſſint exigere. Efficiat iterum, ut ii omnino parentur cibi, quos Medicus præſcripſerit: neque Superior ulla committat unquam, ut ad aures Noſtras, quod profecto acerbe indignaremur, perveniat, aliquam coactam fuiſſe cibos communes, quum non alii ſibi a Monaſterio admini-

(1) *Trid. Seſſ. XXV. De Regul. &c. Cap. VI.*

ministrarentur, divendere, ut escam sibi compararet aptiorem (1).

XLVII Quotiescumque aliqua excedit e vivis, perficiat Superior, ut pro illius anima duodecim saltem Missæ quam primum celebrentur, præter eam, quæ cantari solemniter solet, & reliqua juxta Regulas. At Superior non modo ipsa eximiam in filias charitatem exerceat, sed etiam curet, atque omni ratione perficiat, ut ipsæ mutuam inter se, tanquam sorores optimæ charitatem foveant. Quare siqua inter ipsas vel minima suboriantur dissidia, ea etiam statim componi suaviter studeat, omnemque dissidii caussam penitus tolli: neque ullam sinat alienum ab alia animum præferre, quin eas invicem conciliet.

XLVIII. Sed prudentiæ etiam semper meminerit; ea enim primus est officii fons, qui in ceteras virtutes derivatur, ac Virgines cœlestibus nuptiis dignas reddit: quare ne facile sibi uni fidat, sed aliquas in Christo sorores, easque rerum usu peritiores, neque partium studiosas in consilium adhibeat. In paulo gravioribus Capitulum audiat: in gravissimis, vel difficillimis Nos consulat.

IL. Ceterum pervigilet, ut Monasterii munera accurate obeantur, & omnes Regulam summa servent fide, ut totum denique Monasterium in iis, quæ Dei sunt, occupatum cœlestem in Terris Aulam, in qua millia millium Deo assistunt, & decies centena millium eidem serviunt, beatissime æmuletur.

L. Nunc distincte de iis, quæ admittuntur ad vitam in Monasteriis agendam. Nam duplex earum genus est: aliæ scilicet Regularis vitæ desiderio, ut in Novitias censeantur, postulant; aliæ ut ad tempus duntaxat bonis moribus apud Dei famulas imbuantur. De his deinceps. Modo quod ad illas in medium revocamus celebre illud Concilii Tridentini Decretum (2) excommunicationi subjiciens omnes, ac singulas personas, quæ aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, Monasterium ingredi, aut habitum Religionis suscipere, aut Professionem quomodocunque coegerint emittere, aut consilium, auxilium, vel favorem dederint, aut scientes eas non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut Professionem emittere, adhuc quoquomodo eidem actui vel consensum, vel præsentiam, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque censuræ subjiciantur ii, qui sanctam Virginum, aliarumve mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo sine justa caussa impedierint.

LI.

(1) *Syn. Cresc. pag.* 125. §. Abusum. (2) *Trid. ibid. Cap. XVIII.*

LI. Quum igitur constiterit, plane voluntarium esse sacrificium, quod puella de se ipsa Deo offerre desiderat, neque eadem esse ad hoc vitæ genus inepta videatur, admitti ad probandum poterit: non enim eodem die vestienda, quo Monasterium ingreditur. Interim Confessarius Monasterii, & Probandarum Magistra illius periculum prudenter faciant: ipsa etiam Superior certiorem sibi acquirat notitiam de puellæ loco, moribus, ingenio, peritia legendi, & scribendi, valetudine, ætate; neque enim hodie vestem Religiosam illi tradere liceat, quæ nondum decimum quintum vitæ suæ annum expleverit. Item edoceatur puella, quantum modestia ferat, quidnam sint Vota in Professione emittenda, quid valeant, quid prosint, quidque oneris imponant; ac præterea quænam, quantaque sit vis Regularum, aliarumque Legum, atque consuetudinum, quibus omnis deinceps vita erit impendenda.

LII. Fraus esset, captiosaque simulatio, si quæ in Monasterii disciplina ardua sunt, ideo Candidatam celarentur, ne illa in rerum difficultatem intuens animo concideret, aut siquam notans in Regulis observandis negligentiam se se a Religiosa vita ineunda prorsus averteret: quamobrem Superior Regularum Librum illi legendum tradat, & quidquid possit difficile ad intelligendum occurrere, aperiat. Quod si a Superiore neglectum deprehenderimus, illam munere prohibebimus; neque enim puellæ habitum suscipienti, neque Monasterio ipsi utile unquam esse potest, ut aliqua Professionem improvida emittat.

LIII. Quod si puella propositum firmiter teneat, res ad Nos deferenda: in tanto siquidem negotio a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali exploranda voluntas virginis (1): quod Nobis facere licet in Monasterio etiam Regularibus subjecto (2). Facti de vocatione, quantum cum Domino possumus, certi Capitulum cogi mandabimus, quod si postulanti faveat, hæc moneatur, ut ad Religiosam vestem suscipiendam religiosius se comparet; atque, ne ullis a Dæmone terroribus exanimetur, enixis precibus, atque aliqua corporis afflictatione, Sacramentorumque susceptione divinam pietatem imploret, & exposcat.

LIV. Sunt præterea a Superiore curanda ipsius Candidatæ alimenta, quæ dotis nomine plerumque significantur: idque illi adeo injunctum est, ut nisi ea curet, sit jam Monasterii regimine interdicta

(1) *Trid. ibid.* (2) *S. C. C. 16. Dec. in Dertonensi ann. 1645., & alibi.*

dicta. At dotis nomine bona etiam ſtabilia, mobilia, annui nummorum cenſus, privatæque apocæ ſine Apoſtolicæ Sedis facultate ne recipiantur, ſed numerata tantum pecunia legitime depoſita apud Montem Pietatis, vel apud publicum aliquem Campſorem ad Monaſterii creditum (1), neque inde amovenda, niſi edita Profeſſione ſolemni. Hanc porro pecuniam Syndicus ex Noſtra facultate collocabit in bonis, unde annuus, ac certus Monaſterio fructus accedat: quamquam Nobiſcum agere poterit de aliis etiam uſibus, ſiquid Monaſterii neceſſitas exigat; niſi tamen Candidata ſit præter earum Choralium numerum, quas Monaſterium alere poteſt; tum enim ſemper in bonis, quæ ſtabilia vocantur, aut ſi hæc deſint, in cenſibus ejus dos impendenda (2).

LV. Immo vero ipſa Superior efficiat, ut antequam Tirocinium capeſſat puella, alimenta Monaſterio ſolvantur per ipſum annum, quo illa inter Novitias detinebitur. Atque ſatis erit, ſi idoneam de hoc habeat cautionem.

LVI. Hiſce omnibus conſtitutis, tempus eſt, ut Candidata per decem dies Exercitiis ſpiritualibus vacet (3), tum Religioſum habitum induat, deinde tradatur Magiſtræ Novitiarum ſuæ Religionis ſpiritu imbuenda. Ipſa vero Magiſtra in mentem ſibi revocet, rem maximi momenti ſibi creditam fuiſſe; ac talem ſe ſe Monaſterio, immo Deo ipſi Religioſam daturam, qualem ipſa formaverit Novitiam.

LVII. Regulas ſuæ in Chriſto alumnæ minutim aperiat, ſingula Regularis obſervantiæ exercitia in horas & præcepto, & exemplo repoſcat, errores, ac vitia vigilanter notet, ac emendet, ſanctis monitionibus inſtet, eamque ad omnem virtutem excitet.

LVIII. Diſtincte curabit, ut Novitia rationem ordinandi, ac recitandi Horas Canonicas probe cognoſcat, & calleat, tum quotidie jubeat, illam aliquid ex divino Officio, vel ex aliis publice legendis apud ſe legere, ut quod in publico deinde faciendum erit, non inepte fieri contingat.

LIX. Illud quoque neceſſe habemus ex Concilio Tridentino commemorare, nullam renuntiationem, aut obligationem antea factam, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſſæ piæ valere, niſi cum licentia Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis fiat

intra

(1) *S. C. Epiſcop. in Camerin.* 28. *Maji* 1588., *in Interamn.* 2. *Maji* 1614. *Ex Chirographo Clemen. XIII. in Append. edit. pag.* 166. *N. IX.*
(2) *S. C. Epiſcop. pluries*. (2) *Juxta Epiſt. Encycl. S. C. Epiſcop.*, & *Repul. juſſu Ven. Pontif. Innoc. XI. legend. in Append. pag.* 168. *N. X.*

intra duos menſes proximos ante Profeſſionem; idque etiamſi expreſſe quis huic ipſi favori renuntiaſſet (1).

LX. Interim vero dum Candidata ad renuntiandum properat, caveant Moniales, ne illius Propinquos, ſive Cuſtodes gravioribus ſumptibus onerent præter eos, quos Nos permittimus, aut ipſi ſponte ſua omnino maluerint. Sed ipſæ in ſuarum ſororum Veſtitione, & Profeſſione hoc unum ſolemne eſſe velint, bonam ſcilicet de Candidatæ virtutibus famam, ac ſpem magnam in Domino: nam quæ ſenſibus magnifice objiciuntur facile eſt vanitatem ſapere, atque invidiam parere. Moniales vero in recipiendis ad Profeſſionem Novitiis, ſive etiam puellis ad habitum prohibentur ſub pœna excommunicationis eo ipſo incurrenda quidquam a Candidatæ propinquis exigere, ac petere nomine propinarum, ſtrenarum, ſeu alio hujuſmodi titulo, quæ pœnæ Romano Pontifici reſervatæ (2).

LXI Sed jam quum Profeſſionis tempus accedit, iterum virginis voluntas a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali exploranda, ut innoteſcat, utrum eadem animum ad ſæcularia vota converterit, an ea adhuc ſit voluntate totam ſe Deo inter ſacras Virgines devovendi. Itaque moneri debemus in tempore (3). Si Profeſſura in ſacro propoſito perſtat, ſi quæcumque de dote, de alimentis, deque reliquis rebus præſcripſimus, fuerint integre impleta, ſi Moniales in Capitulari actu a Nobis indicendo conveniant, iteratis, quas paulo ante innuimus, pietatis exercitationibus (4), expleto decimo ſexto ætatis, & integro poſt ſuſceptum habitum Probationis anno Religioſum Inſtitutum Novitia e ritu profiteatur, ſeque per ſolemnia Vota Omnipotenti, ac Sempiterno Deo dedicet.

LXII. Sit porro in ſingulis Monaſteriis Liber, in quo ſcripta ſint ſingularum nomina, ætates, dieſque tum Veſtitionis, tum Profeſſionis: firmentur hæc omnia quo die contingunt ipſius ſeu Novitiæ, ſeu Profeſſæ ſubſcriptione, tum duarum Monialium. Hoc ipſo Libro quæ Virgines, quoque die e vita decedunt, adnotandæ. Quod ſi Tirocinii tempore Novitia in mortis articulo conſtituta ex ſuæ pietatis ſenſu, & ut ſacras Indulgentias lucretur, etiam annuentibus Monaſterii Superioribus, Profeſſionem emiſerit, eadem tamen, ſi convaleſcat, complere debet integrum Probationis annum, & ſo-

 lemnia

(1) *Trid. Seſſ. XXV. Cap. XVI. De Regul. &c.* (2) *Ex Cap.* Quoniam 40. *De Simonia, & Extrav.* Sane *eod. tit. S. C. C. in Leodien. 9. Febr. 1697. Vid. Monacel. Par. 1. tit. 11. Form. 7. n. 8.* (3) *Trid. Seſſ. XXV. Cap. XVII. De Regul. S. C. Epiſcop. in Neap. 21. Mart. 1621.* (4) *Juxta eand. Epiſt. Ven. Innoc. XI.*

lemnia iterum Vota nuncupare; quum nulla ſit ex Tridentino (1) quæcumque Religioſa Profeſſio, quæ ante expletum decimum ſextum ætatis, & continuum, ac integrum Novitiatus annum emittatur. Quamobrem ſi infra hoc tempus e vita deceſſerit, non proinde dos Monaſterio acquiſita cenſenda eſt (2).

LXIII. Alterum genus fœminarum, quæ vitæ partem inter Moniales acturæ admittuntur, ſunt adoleſcentulæ educationis, & cuſtodiæ cauſſa. De quo notum eſſe arbitramur, atque omnino volumus, nullam ſæcularem puellam poſſe in Monaſterium introduci, niſi facultate impetrata a ſacra Romana Congregatione, ſervatiſque iis, quæ ab ipſa præſcribi conſueverunt: nulla inſuper eſt in clauſuram excipienda, quæ non ſeptimum ætatis annum exceſſerit, quæque ſecretis Monialium ſuffragiis non probetur, cui denique facultas ingrediendi a Nobis facta non ſit (3).

LXIV. Notum item eſſe debet, hujuſmodi puellam, ubi primum quintum ſuæ ætatis annum ſupra vigeſimum impleverit, non poſſe in Monaſterio diutius commorari, uti ſæpe decretum. Eſt igitur ipſi e Monaſterio diſcedendum, vel Religioſus habitus induendus, vel denuo, ut permanere liceat, obtinendus ab eadem ſacra Congregatione conſenſus; qui conſenſus æque ac Noſter omnino eſt neceſſarius, ut in Monaſterium admittantur aliæ fœminæ non ſolum ad vivendum ſimul, ſed etiam ad famulandum quæſitæ (4).

LXV. Quod ſanctiſſime inductum comperimus, ut ſæculares adoleſcentulæ in Monaſterio educandæ uni ſubſint Magiſtræ, atque in Monaſterii parte verſentur a Monialium habitatione diverſa, atque ſejuncta, totum id conſtanter, ſancteque retineri diſtricte præcipimus.

LXVI Quare prohibemus ſevere, ne ulla Monialis, tametſi ſanguine cum aliqua ex iis puellis conjuncta, vel minimum ſe ſe in earum educatione immiſceat, aut quidquam agat, quod liberam Magiſtræ inſtitutionem impediat. Siqua improvido zelo contra Magiſtram conqueri audeat, eam Superior corripiat, ac puniat. Nam ſiquid Magiſtra ipſa peccet, rectiores aliæ ſuppetunt viæ, quibus & ipſa emendetur.

LXVII. Harum puellarum veſtis ne ſerica ſit: color ſit unus in

(1) *Seſſ. ead. Cap. XV.* (2) *Ex Trid. ibid. S. C. C. in Narnien.* 25. *Januar.* 1744 *Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. XIII. Cap. XII. n. 6.*, & *Monac. ibid. n.* 13., 14 (3) *Bened. XIV. Conſt.* Per binas *XXVI. Bull. Tom. II.* (4) *Ibid.*

in quovis Monasterio, qui prudenter præscriptus jam est. Neque ulla præterea comam exquisitius colat, neque utatur pretiosioribus inauribus, annulis, aliove ullo hujusmodi ornatu. In loco enim sancto nulla prorsus pompa, aut exquisitior ornatus ferendus: quum morum elegantia, atque Evangelica sanctitas præ omnibus exquirantur.

LXVIII. Veruntamen Præfecta ista tum ætate, tum moribus gravis sit, eoque omnes animi sui nervos intendat, ut alumnæ suæ ad omnem pietatis, virtutisque laudem evehantur. Quare certam apud se habeat rerum omnium agendarum rationem, & quæcumquæ ibi geruntur ad rectam institutionem sapienter, & commode sint ordinata.

LXIX. Distincte jubeat, ab omnibus recitari quotidie Officium Deiparæ, sæpe Sacramenta Pœnitentiæ, & quibus per ætatem licet, Eucharistiæ suscipi; Doctrinam Christianam non solum ad verbum, sed etiam explicate, perque sententias edisci.

LXX. Prohibeat, & sedulo quidem, ne cum externis colloquantur, nisi saltem aut ipsa, aut alia audiendis in Collocutorio sermocinationibus præposita adsit, & similiter ne litteras ullas, quas aut Superior Monasterii, aut ipsa non legerit, sive dent, sive accipiant.

LXXI. Ipsæ vero alumnæ in perdiscendis non solum quæ ad legendum, & scribendum, & varia opificia pertinent, sed etiam, ac potissimum, quæ ad pietatem, vitamque Christiana professione dignam, omni se se studio exerceant: leges sibi præscriptas custodiant, dicto obedientes sint, mores universim ne loci dignitatem dedeceant.

LXXII. Siqua sæculares cogitet nuptias, sitque contractura Sponsalia, hanc diutius in Monasterio detineri nolumus; atque præcipimus, ut suis quamprimum reddatur seu Parentibus, seu Custodibus. Tota res tamen Nobis prius deferenda.

LXXIII. Alimenta pro hujusmodi puellis in quovis Monasterio educandis in posterum æquent summam scutorum in singulos menses ad minimum trium. Quare Monasterii Præfecta caveat, ne in summam utcumque minorem, Nobis insciis, nec annuentibus, consentiat: nam & culpam admittet in re minime levi, & Nostrum animum non leviter offendet. Hæc autem summa erogetur semper ante proximos futuros sex menses; eaque deponatur apud publicum Campsorem ad Monasterii creditum.

LXXIV. Superest nunc, ut de Monialium quoque Confessario pauca dicamus. Ob hoc namque munus Nos Sacerdotem Monasteriis

Nobis

Nobis subjectis mittemus scientia, prudentia charitate non ficta, moribus ceteris commendabilem: ut hujusmodi hominem Nobis approbandum offerant ii, ad quos pertinet, vehementissime hortamur. Qui vero id muneris obeunt, operam præstent, ut animas Nobis singulariter in Domino carissimas, suæque curæ commissas sine personarum acceptione ad perfectionem non segniter provehant.

LXXV. Eidem commendamus, ut ejus, qui sibi præcessit, rationem in dandis consiliis, inque toto animarum regimine prosequi studeat, quantum fieri potest; nequando fiat, ut quod unus laboriose fortassis ædificavit, id alter improvide destruat.

LXXVI. Sumat sibi præcipuam Novitiarum curam quod ad Vota, & Regulas spectat; efficiatque, ut Religiosi status vim, obligationem, spiritum intelligant, atque erga hujusmodi statum magnopere afficiantur, eas de orandi, ac meditandi ratione instruat: sicque facilius de ipsius Novitiæ vocatione poterit judicium ferre.

LXXVII. Confessiones non excipiat, nisi illucescente jam die, neque audito Angelicæ Salutationis sub vesperam signo, neque ad alium, quam constitutum locum: fenestella audiendis Confessionibus parata, præter ferream cratem muro undique infixam, obseretur firmiter metallica bractea crebris pertusa foraminibus, atque huic ipsi obductus hæreat tenuis aliquis pannus non amovendus.

LXXVIII. Altera vero fenestella, per quam Sacra Eucharistia Monialibus porrigitur, claudatur intrinsecus, atque extrinsecus valvulis, clavibus insuper additis: clavem interioris apud se habeat Superior Monasterii; exterioris autem Confessarius, quam cum aliis Tabernaculi, uti etiam extremæ Unctionis clavibus servet, ut statuimus alibi (1). Hæc porro fenestella non ulli unquam erit usui aperienda, quam divino Pani distribuendo.

LXXIX Quod ad sacræ Communionis usum ea præ oculis habeat, quæ sacra Congregatio statuit, annuente INNOCENTIO XI.: nempe Moniales quotidie sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut diebus ex earum Ordinis Instituto præstitutis communicent. Siquæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Samenti perceptione videri possint, id illis a Superiore permittatur (2).

LXXX. Quæcumque ad conscientiæ regimen proxime non faciunt, siquidem in eo versari utilius velit, studiose declinet; quum præsertim reliqua omnia in designatos Ministros, qui cum Monialibus tractent, rejicere facile possit. LXXXI.

(1) *Par. II. C. V. N. II. Vid. Ben. XIV. Quæst. Canon. q.* CCCCXXIV. (2) *ibidem*.

LXXXI. Non eſt Confeſſarii concedere Monialium cuipiam facultatem rei vel minimæ, quæ ad Paupertatem ſpectat. Totum id in ejus auctoritate ſitum eſt, quæ toti præeſt Monaſterio. Illud potius curet diligenter, ne Monialis librum legat, quem non illi ipſe probaverit: quo circa auctoritate Noſtra jubeat, ſingulas deferre ad ſe indicem quorumvis librorum, quos apud ſe habeant: hos recognoſcat, quique legi ab ipſis poſſint, in Domino deliberet.

LXXXII. In clauſuram ingredi Confeſſario non licet, niſi quum miniſtranda ſunt ægrotantibus Eccleſiæ Sacramenta, aut eæ in ſpiritu juvandæ, quæ ſunt in extremo vitæ agone conſtitutæ. At præter ea, quæ de aliis, qui clauſuram intrant, diximus, Confeſſarius intraturus induat, neque ibi demoratus unquam deponat Superpelliceum, & Stolam, dumque alicujus Confeſſionem excipit, ita cellæ fores pateant, ut, etſi audiri ab aliis nihil poſſit, ipſe tamen videatur (1).

LXXXIII. Quum autem neceſſarium ſit, ut Confeſſarius alicui in extremis laboranti diutius adſit, ne cibum idcirco, vel ſomnum in Monaſterio capiat; ſed ſatis hiſce naturæ neceſſitatibus faciat in proxima Miniſtri, ſeu famuli domo, unde facile queat, quoties viſum fuerit, ad opem infirmæ ferendam acciri.

LXXXIV. Siquis in hiſce deficiat, eum confeſtim a Confeſſarii officio removebimus. Ut autem alias ob cauſſas, quamquam a vera pietate profectas in Monialium Monaſteria quis ingrediatur, nempe aſpergendi Aqua luſtrali cellas, vel officinas, celebrandi Defunctorum Exequias, aut ſimiles, opus eſt, id ſibi conceſſum fuerit auctoritate Apoſtolica.

LXXXV. Confeſſario ordinario, uti Canonicis Sanctionibus jubemur, ſufficiemus extraordinarium in Monaſteriis Noſtræ auctoritati integre ſubjectis. Præſtent in eadem re, quod ſuum ſimiliter eſt, Regulares Prælati (2). Hujus extraordinarii auctoritas eadem plane eſt, iiſdemque legibus contracta, quibus ipſius ordinarii (3); quam ut liberius exerceat, omnino prohibitum, ne ordinarius ullum ipſi impedimentum objicere audeat, multoque minus alicujus Monialis, ſive cujuſquam in Monaſterio degentis Confeſſionem audire præſumat (4). Omnes vero quotquot vitam in Monaſterio agunt, quacum-

(1) *Vid. Conſt.* Felici, *& Litt. Encycl. S. C. Epiſcop. de mandat. Innoc. XI.* 21. *Mart.* 1682. (2) *Trid. Seſſ. XXV. Cap. X. De Regul.* (3) *Bened. XIV. Conſt.* Paſtoralis curæ *LVI. Bull. Tom. II.* (4) *Bened. XIV. ibid.* §. Quoniam.

cumque ratione sit, extraordinario singulæ se sistant, ut ab eo saltem monita salutis, ac Benedictionem pie accipiant. Ita autem se plane gerat cum ægrotis extraordinarius, uti solet ordinarius. At periculose decumbentibus plane liberrimum esse volumus, ut ipsæ postulent, quem sibi malint: quare & Superiori Monasterii, & aliis quibuscumque Monialibus districte vetamus, ne illis persuadeant, ut ordinario potius Confessario, quam altero utantur. Placet Nobis eis quovis tempore omnem, quam possumus, consolationem in Domino afferre; multo autem magis curæ esse debet, ne ullum pietatis, sive charitatis officium difficili præsertim ægritudinis tempore illis desideretur.

LXXXVI. Illud Confessariis quibuscumque Monialium, sive qui toti Monasterio generatim, sive peculiari alicui personæ in Monasterio degenti concessi, ac deputati extraordinarii fuerint, in memoriam revocamus, *districte inhibitum esse sub pœnis adversus accedentes ad Monasteria Monialium, & cum ipsis conversantes, præsertim Regulares statutis, ne, postquam suum officium impleverint, ad idem Monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum continuare, & fovere, etiam sub spiritualis caussæ, aut necessitatis obtentu, & colore audeant, aut præsumant* (1).

LXXXVII. Confessarii est sacras in Ecclesia Monialium Functiones obire, qui sunt earum Ecclesiarum veluti Rectores. Ne itaque in iis Capellani, nisi de Confessariorum licentia se se immisceant. Quod ad Sacerdotes, qui ob celebrandum accedunt ad Monialium Ecclesias, servetur consuetudo, ne id faciant Nobis, sive Vicario Nostro Generali inconsultis (2).

LXXXVIII. Quum denique ad mortalem hanc vitam sustentandam rei familiaris subsidiis indigeamus, sitque illius cura magna saltem ex parte sacris Virginibus adempta, reliquum est, ut ea Syndicis, aliisque sæcularibus Ministris imponatur. Qui propterea eliguntur, homines sint probatæ vitæ, ætatis non adolescentioris, rerum usu periti, atque industrii. Horum munus præcipue est contrahere nomine Monasterii quacumque de re necessaria, ac sibi demandata, tum etiam interesse aliis Monasterii contractibus, ut rite celebrentur, inque omnibus utilitati ejusdem summa fide, atque dexteritate servire.

LXXXIX. Attamen ne contractus ineant præter summam scutorum

(1) *Ibid.* §. Ac demum. (2) *De Sacerdot. Reg. vid. Cap. super. N. XV.*

torum quinquaginta (1): hinc neque graviores impensas suscipiant, neque ædificia nova, neque grandes eorum instaurationes, neque aliud magni momenti in posterum per se ipsi moliantur; sed quod expediat, aut necessarium sit, ad Nos, Nostrumve Generalem Vicarium referant; & quidquid acturi deinde fuerint, communicatis in Curia Nostra consiliis, Nostro item permissu firmari debet.

XC. Qui Factores vulgo appellantur, vel Agentes singulis mensibus sistant se Syndico suo, omnesque Monasterii rationes, quod ad ipsos spectat, aperiant. Syndici idem apud Nos, seu Vicarium Nostrum Generalem præstabunt quotannis: quod idem facere tenentur Administratores bonorum Monasteriorum, quæ Regularibus subsunt (2). Omnes autem diligenter ea cognoscant, ac servent, quæ de piorum Locorum administrationibus in hac Synodo censebimus (3).

XCI. Nuper jussimus, Superiorem Monasterii describere in Libro Vestitionem, Professionem, obitum suarum Monialium: sed Librum quoque alterum volumus habeat, in quo describantur quæ pertinent ad educandas; nempe ætas, Parentes, dies, quo quælibet est Monasterium ingressa, cetera hujusmodi. Item tertium, unde cognoscatur quinam, quo tempore, quanam caussa, quoque permissu in clausuræ fines admissi fuerint: deinde quartum, qui doceat quid, & quantum pecuniæ singulæ Moniales in memorata communi capsa deposuerint, ac deinde retulerint. Postremo quintum, in quem referantur impensæ in dies factæ: siquidem harum reddenda est ratio, quando eam reposcere Nobis placuerit.

XCII. Hæc itaque in animis omnium, ad quos pertinent, versentur, atque ea, qua in Domino par est, sedulitate impleantur. Idcirco perficiemus, ut hoc Nostræ Synodi Caput in italicam linguam fideliter, & clare vertatur; sicque cujusque Monasterii Superiori probe descriptum tradetur, quod statim, ac subinde ter quovis anno in Mensa communi omnibus elata voce prælegatur.

XCIII. Ceterum Decreta, quæ in sacra Visitatione fuerunt a Nobis constituta in hac Synodo confirmamus: atque hæc omnia si constanter serventur, erunt Nostra sacrarum Virginum Claustra deliciarum Cœlesti Sponso Paradisus, ut re quidem esse pro singulari earum pietate confidimus.

XCIV. Monialibus proxime accedunt, suntque iis quodammodo affines Fœminæ, quæ etsi nullum solemne Religiosæ Professio-

 nis

(1) *Syn. Cresc. pag.* 129. §. Nemini. (2) *Greg. XV. Const. ead.* Inscrutabili *S. C. C.* 28. *Sept.* 1754. (3) *Par. V. Cap. X.*

nis Votum emiserint, neque clausuræ legibus obligentur, solent tamen proprium alicujus Religionis habitum induere, & *Bizoccæ*, seu *Sorores Tertii Ordinis* nuncupantur. Nihil de illis, quæ disjunctim in privatis singulæ ædibus morantur, quum nullæ ex ipsis in hac Nostra Civitate, neque Diœcesi morentur. Habemus in Civitate piissimos earum cœtus, quæ collegialiter vivunt: hisce omnibus in memoriam revocamus, eas interim Ordinarii jurisdictioni penitus subdi. Hinc nequeunt in Sacramentali foro absolvi, nisi ab iis, quibus facta a Nobis fuerit audiendi Sæcularium Confessiones: Paschalem Communionem, sacrum Viaticum, & extremam Unctionem debent ab eo Parocho sumere, in cujus Parochia domicilium habent: earum cadavera, nisi sepulturam sibi ipsæ elegerint alibi, aut in Regularium, cujus habitum ferunt, Ecclesiis commune, atque distinctum sit pro iis sepulchrum constitutum, sunt in Parochiali Ecclesia sepelienda. Eas monemus, ne ad propriæ Religionis habitum admittantur, quin facultatem a Nobis scripto obtinuerint: interim ne alio, quam ad Ecclesias, aut ad pias caussas se conferant, ne in Laicorum ædibus versentur, ne sæcularibus se se negotiis, seu curis immisceant; sed sicuti in sanctarum Pœnitentium habitu, sic in earundem imitatione glorientur (1).

CAPUT IX.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

QUoniam animarum saluti summopere expedit, ut earum cura viris doctrina, & sanctitate, aliisque rebus præstantibus committatur; sapientissimi Patres in Tridentina Synodo coacti, quum de præficiendis Christiano populo Parochis cogitarent, eos Episcopis Consiliarios adjungendos censuerunt, qui de illis sapienter judicarent, nec posset Episcopus Parochum quempiam creare, quem ipsi non examinassent, atque idoneum ad id esse non renuntiassent (2). Proponentur igitur per Nos ex Tridentinorum Patrum Decretis, quinam futuri sint hujusmodi Examinatores, ac Synodus Nostra

(1) *Vid. Const. S. Pii V.* Circa *VIII.*, *& quamplur. S. C. D. rel. a Card. Petra ad Const. XV. Martini V. n. 19. Tom. IV. Matthæuc. Offic. Cur. Cap. 52.: de hisce Tertiariis vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. IX. Cap. XV. n. 11.* (2) *Trid. Sess. XXIV. in Decr. De Ref. Cap. XVIII.*

ſtra, quos ſibi placuerit, probabit: quamvis vero muneris gravitas, ac magnitudo quemlibet ad illud vocatum per ſe facile moneat, quanta fide, atque cura implendum, attamen ea in mentem revocamus, quæ ſacroſanctus ille Eccleſiæ univerſalis Cœtus conſtituta reliquit.

I. Inter quæ jurare jubentur in primis, ſe quacumque humana affectione poſthabita examinandi munus fideliter, & integre executuros: hoc ſacramentum, qui adſunt, in hac ipſa Synodo dicent: abſentes dicent, antequam munus obire incipiant coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali (1).

II. Quos itaque ipſi vere idoneos ad paſcendum Sacramentis, verbo, & exemplo Dominicum gregem judicarint, hos tenentur probare; quos ſecus, eos ſuffragio ſuo prorſus privabunt: quod ſi ad ſententias ferendas anteceptis opinionibus, aut privato aliquo ſtudio ferantur, Deum violati ſacramenti judicem, ac vindicem reformident.

III. Verum quum multæ ſint res, eæque præclaræ, quæ in Parocho ſunt neceſſariæ, idcirco qui Parochiam petit, ille non eſt obtutu quodam negligentiore cernendus, ſed ejus virtutes, ac dotes per partes veluti ſpectandæ. Quare non omnes licet doctrina præditi ad animarum curam ſtatim probandi, quum & præcipuam rationem habere opus ſit probitatis morum, prudentiæ, ætatis, & ceterarum qualitatum, quibus præditus eſſe debet, cui animarum regimen committitur (2). Eodemque jure inquirendum eſt de illius charitate, quam Scripturæ zelum nominant, de gravitate, corporis habitudine ad perferendos labores, deque aliis hujuſmodi. Obſervandum inſuper, num aptus cenſeatur peculiari illi Eccleſiæ, de qua agitur. Quapropter neque de eo pariter cogitandum, qui magna apud populos invidia, vel odio laboraret, neque de eo, qui ad perferendos in ampla præſertim, vel inſalubri regione labores imbecilliore uteretur corporis valetudine.

IV. Hæc omnia rite ſpectanda: namque ſacra Congregatio pluries edixit, Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum judices eſſent, nec inquirerent, qui præ aliis probitate morum, laboribus, præſtito antea Eccleſiæ obſequio, ceteriſque dotibus ad officium Parochi cumulate obeundum neceſſariis eſſent idonei, & commendabiles. Et ſiquando ad ipſam delatum eſt, non fuiſſe ſimul rerum omnium rationem habitam in judicio ad exercendam animarum

(1) *Trid. ibid.* (2) *Vid. Trid. ibid.*, & *Bened. XIV. De Syn. Lib. IV. Cap. VIII. n.* 3.

rum curam, tale judicium nullius esse roboris declaravit, quæque inde consecuta est Ecclesiæ Parochialis, collationem irritam, atque inanem decrevit (1).

V. Itaque iis probe cognitis, atque perpensis, quæ in examine fuere sive lecta, sive audita, cum ceteris Requisitis, quæ ad considerandum proponuntur, tandem Examinatores suffragium in Domino ferant, unde constet, quotcumque ab ipsis ad eam Parochiam idonei renuntientur.

VI. Hic autem hominibus, quibus tantum negotium a Diœcesi universa committitur, inutile ducimus prohibere, ne sociis Examinatoribus quemquam commendent, neque cuiquam, quid respondeat, ullo pacto significent. Jam per se ipsa res loquitur. Item ipsorum prudentiæ sit nosse in iis examinibus, quæ per interrogationes solent absolvi, eum diutius non esse detinendum, quod inutile esset, sive cujus inscitia, vel imprudentia sit satis explorata, sive de cujus prudentia, atque doctrina palam non est dubitandi locus, quod fere esset injuriosum. Res etiam est tanta, quantam vix possumus verbis exprimere, ut quæcumque fuerint in hujusmodi examinum actu vicissim pronuntiata, aut, siquando constet, quid hi, vel illi in communicandis rebus, in suffragiis ferendis senserint, æterno apud eos, qui examini non adfuerint, silentio prematur: quod nisi fiat, malevolentias, querelas, accusationes, invidias, ultiones, perturbationesque magnas consequi facillimum est. Ipsi itaque Examinatores rei gravitate permoti hanc sibi nunquam violandam legem indicant, serventque diligentissime.

VII. Nos hoc unum ex Concilio Tridentino (2) commemoramus: siquando Examinator offerri sibi quidpiam examinis sui caussa perspiciat, penitus respuat. Nam siquid accipiat, tum ipse, tum callidus oblator simoniaci fiunt, quo crimine absolvi nequeunt, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; ad alia in posterum inhabiles redduntur.

VIII. Hisce propositis fore omnino speramus, ut a Nostrorum Examinatorum judiciis tales viri Parochiis præficiendi probentur, ut in dignioribus eligendis non admodum Collatori laborandum supersit: unde summo Divinæ Majestati honori, animarumque utilitati creatio Parochi cedat.

Nomina Examinatorum, qui universa approbante Synodo deputati fuerunt, leguntur post V. Partem.

CA-

(1) *Ap. eund. Bened. ibid.* (2) *Ibid.*

CAPUT X.

DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

SUnt etiam Judices cauſſarum Eccleſiaſticarum deſignandi; quos ex Concilii Tridentini ſententia in hac Noſtra Synodo nominabimus: ſed antequam de iis quidquam dicimus, ut quæ ſit Concilii mens pateat, placet illius verba huc afferre (1). *Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſſæ mandantur, uſque adeo haberi non poteſt; hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis cauſſæ in partibus delegantur: ſtatuit Sancta Synodus in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem* BONIFACII VIII., *quæ incipit* Statutum, *& alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſthac cauſſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur*. Ad hæc BENEDICTUS XIV. cenſuit (2), Synodalium Judicum deſignationem habendam eſſe inter graviora negotia, quæ Epiſcopus in Diœceſana Synodo tractet, atque expediat: idemque Apoſtolica auctoritate pollens graviſſima Conſtitutione commendat (3), ut coactis Conciliis, ac Synodis, talis eorum numerus definiatur, qui amplitudini, ac frequentiæ Diœceſeos reſpondere cenſeatur: tum præcipit, ut Pontificio ſupplicum Libellorum Secretario lectorum Judicum nomina ſignificentur. Hiſce omnibus inhærentes Judices deſignamus, quibus nullam requiſitis qualitatibus deeſſe arbitramur, quibus hæc placet commemorare.

I. Non alia magis in ſuis judiciis ſcientia juvabuntur, quam ſacrorum Canonum, prout de Eccleſiaſticis judiciis ſtatuunt: neque operam ſeu juſtiorem, ſeu utiliorem collocabunt, quam in iiſdem ſervandis, atque in cauſſis præſertim Locorum piorum, alimentorum, mercedum miſerabilium perſonarum, quam celerrime poſſunt, definiendis.

II. Meminerint, nulla ſe ſe juriſdictione pollere, antequam ab Apoſtolica Sede delegatam acceperint, uti jam a ſacra Congregatione Concilii declaratum (4). III.

(1) *Trid. Seſſ. XXV. De Ref. Cap. X.* (2) *De Syn. Lib. IV. Cap. V. n.* 5. (3) *Conſt.* Quamvis Paternæ *XXVIII. Bull. Tom. I.* (4) *In una Ianuens.* 15. *Mart.* 1601.

III. In harum caussarum actis conficiendis Nostræ Curiæ Notariis utantur (1).

IV. Ex horum Judicum numero jus habent Regulares Ordines eligendi suos, si velint Conservatores; id autem constare debet intra sex menses Curiæ Nostræ: quibus Conservatoribus est Apostolicis jampridem Sanctionibus cautum, qua jurisdictione, quave forma in Regularium judiciis uti debeant: eas itaque apprime calleant, serventque necesse est (2).

VI. Sic denique rem hi Judices agant, ut, quum homines judicant, vices plane agant justitiæ Dei, qui hominum justitias, & maxime has ipsas aliquando judicabit.

Nomina horum Judicum, qui designati fuerunt in Synodo, leguntur post V. Partem.

CAPUT XI.

DE FORI ARCHIEPISCOPALIS MINISTRIS.

At justitiam quoque publice administrent, suæque Sponsæ jura tueantur Episcopi, eorundemque justi vindices sint necesse est. Quare ipsis est Forum, suntque ipsius Ministri. Quinam judiciorum ordo, quæque forma tenenda sit, tum sacri Canones satis late tradiderunt, tum alia ipsis Decreta deinceps accessere. Hæc quidem iis omnibus, qui in Nostro Foro ministerium exercent, tenenda diligentissime sunt: quæque in hanc rem scripserat magnus ille Mediolani Præses Ambrosius (3), teneri ab omnibus volumus: *bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta Leges, & Jura pronuntiat. Scitis Juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, sed, sicut audit, ita judicat, & sicut se habet negotii natura, decernit, obsequitur Legibus, non adversatur; examinat merita caussæ, non mutat.* Qua ipsa oratione explicare visus est divina illa verba ad Moysen (4): *non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo.* Sed hæc jam ab omnibus teneri dubitandum prorsus non est.

Quo

(1) *S. C. C. in Alben.* 15. *Januar.* 1656. (2) *Vid. Const. Greg. XV. Sanctissimus IX.* (3) *Sermone XX. in Ps.* 118. (4) *Levit.* 19. 15.

Quo circa, quæ Noſtra potius ſit mens, quidque in Archiepiſcopalis Noſtri Fori Miniſtris maxime ſpectemus, palam facere, quam Præceptis quemquam novis onerare ſtudebimus.

I. Ac ne judicii majeſtas, atque impenſa in res leviores fundatur, quod in Noſtro Foro ſervari diu ſolitum fuit, retineatur, ubi nimirum controverſia non excedat ſummam trium ſcutorum, acta judicialia ne conficiantur: ſed Judex ſummatim cognita ſola facti veritate pronuntiet (1).

II. Item cauſſæ miſerabilium perſonarum, & Legatorum piorum abſque ſtrepitu, ac figura judicii, vel ſaltem, quanto magis fieri poteſt, ſummatim finiantur (2).

III. Quotieſcumque inter actorem, & reum ſit compenſationi, vel tranſactioni locus, atque hanc viam habere jura permittant, omne tum æquitatis, tum charitatis officium impendatur, ut lites præcidantur, & partes ſe ſe inter componant: Eccleſiaſtico Judici placere ſemper debent humaniora, ac mitiora conſilia, immo etiam mitiores & multæ, & quodvis pœnarum, ſeu ſuppliciorum genus.

IV. Si tamen cauſſæ agendæ, & definiendæ ſolemniter ſint, eas quanta maxima fieri poſſit celeritate expediri jubemus: ſicque, ut litigantium artibus, qui judicia malitioſe protrahunt, modis omnibus occurratur (3): eaque ſit Epiſcopalis Fori ratio, iſque ordo, ut qui ad illud confugiunt & moleſtiis, & impenſis, quanto magis fieri poteſt, leventur; timeantque omnes quotquot in hiſce rebus agunt, ne ab neglecta hujuſmodi celeritate reficiendorum damnorum obligatio ſibi proveniat. Eſt tamen ſemper ſtandum Legibus tum veteribus, tum recentibus, tum Fori Noſtri conſuetudini. Hæ totam adminiſtrandæ juſtitiæ rationem ſufficient, a quibus, vel latum unguem diſcedere ſit nefas: verum hæc præſertim commemoramus.

V. Nunquam jubendi ſunt rei crimine accuſati jurare ſe reſponſuros ad veritatem, quum ut principales tantummodo conſtituuntur: namque ipſius cauſſæ acta in irritum mitterentur: exigi tamen juramentum poteſt ab eiſdem, quum uti teſtes, quod ad alios examen ſubeunt (4).

VI. In quæſtionibus de Matrimonii valore adamuſſim ſervetur, quod conſtitutum fuit a BENEDICTO XIV. (5). Ac niſi omnia, quæ ibi præſcribuntur, præſtita fuerint, ne ulli parti afferatur nova novarum

---

(1) *Syn. Creſc. pag.* 165. §. Cauſſæ. (2) *Ibid.* (3) *Trid. Seſſ. XXV. Cap. X. De Ref.* (4) *Conc. Rom. Tit. XIII. Cap. II.* (5) *Conſt.* Dei miſeratione *XXXIII. Bull. Tom. I.*

varum nuptiarum libertas. Qui vero caussam dicit pro Matrimonii cujusquam valore caveat, ne id frigidius, seu negligentius agat, maxime vero, dum utraque pars ad vinculum rescindendum conspirat: namque illi & gravem, qua obstringitur, culpam, & magnam, quas a Nobis non evadet, pœnarum severitatem objicimus.

VII. Id ipsum edicimus, quum agendum fuerit de valore religiosæ Professionis; quibus in caussis serventur, quæ ab eodem Sanctissimo Pontifice constituta sapienter sunt (1).

VIII. Nostri Fori Ministri ejusdem jura totis viribus tueantur, ne scilicet caussæ, negotia, seu lites, quæ ad Ecclesiasticum Forum pertinent ratione personarum, vel rerum, seu connexionis de jure, vel consuetudine, ab aliis cognoscantur, quam in Foro Nostro in prima instantia: siquis vero vel per se, vel per alium a Nostro Foro hujusmodi caussas avertat, vel ut avertantur curet, aut etiam, ne pars altera caussam ibi prosequatur, opera, seu consiliis, seu quavis ratione impediat, in excommunicationem ipso facto incurrat, a qua nullatenus absolvatur, nisi tam Judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio usurpata, quam parti, quæ turbata in prosecutione sui juris prius per eundem integre fuerit satisfactum (2): quod ad delicta vero criminalia, quæ non sunt mixti Fori servetur Constitutio CLEMENTIS XIII. (3).

IX. Quamvis vero Clericus, sive cælebs ipse sit, sive conjugatus, qui non præstiterit ea, quæ prius a BONIFACIO VIII. (4), tum a Concilio Tridentino (5) præscripta fuere, nequeat Clericale Privilegium ad sæculare Forum declinandum afferre, adhuc tamen plenum est Episcopis jus, in ipsum si velint animadvertere, eundemque a sæculari potestate repetere: hoc scilicet ratum sæpe habuit sacra Congregatio Concilii (6), dummodo tamen nunquam aut a jure, aut ab homine per declarationem rite factam Clericalibus fuerit Privilegiis privatus: hæc quoque jura serventur.

X. Actis judicialibus merces debetur. Hanc præscripsit INNOCENTIUS XI., partim etiam in Curia Nostra Prædecessores Nostri. Hujusmodi ergo præscripta ne vel minimum quisquam prætergrediatur.

XI.

(1) *Const.* Si datam hominibus *LXVII. Bull. Tom. II.* (2) *Cap.* Quoniam, ut intelleximus 4. *De Immun. Eccl. in 6.* (3) *Const.* Præstat Romanum Pontificem. (4) *Cap.* Clerici *De Cler. Conjug. in 6.* (5) *Sess. XXIII. Cap. VI. De Ref.* (6) *S. C. C. in Alatrina S. C. Immun. in Seguntina, & alias: vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. XII. Cap. II. n.* 3.

XI. Siquid pecuniarum a reis multatis cogatur, in cauſſas certe pias erogandum. Interim a Depoſitario deſignato ſervetur; in quas enim cauſſas, quoque loco, aut tempore impendatur, decernemus.

XII. Aſſidue Vicarius Noſter Generalis invigilet, an quilibet in univerſo Foro Miniſtri ſollerter, fideliterque in ſuis officiis ſe gerant; quorum aliquem ſi delinquere deprehendat, Nos confeſtim moneat. Nam quæ cum ab omnibus, tum a ſingulis ſervanda ſunt, exhibemus.

XIII. Triplex habet Curia Noſtra Cancellariorum, ſeu Notariorum genus. Primus nuncupatur Eccleſiaſticus, qui in iis tantum cauſſis verſatur, quæ Eccleſiaſticas res, & Perſonas afficiunt: alter Civilis, qui cauſſis tantum civilibus: tertius criminalis, qui Criminalibus eſt unice addictus ad vindicativam juſtitiam exercendam. Quibus præcepta primum communia hæc ſint.

XIV. 1. Ubi aliquis munus ſuſcepit ſuum, juret coram Nobis, vel coram Vicario Noſtro Generali, ſe ſe illo perfuncturum ſedulo, ſine fraude, ac omni fide. 2. Statis diebus, ac horis quiſque in loco ſibi in Curia deſignato continenter adſit. 3. Proceſſus ad informationem, antequam publici ſint, ne cuiquam tradat. 4. Generatim Curiæ ſecreta ſeveriſſime cuſtodiat. 5. Præter mercedem, ſeu taxam legitime conſtitutam, ne vel minimum exigat: namque hoc emolumenti genus ut injuſtum eſſe decernimus, ita & reſtitutioni eſt obnoxium, & dignum habemus, quod gravius etiam plectamus. 6. Similiter ab accipiendis pro ſui officii exercitio, vel ſponte oblatis muneribus, quæ etiam excœcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum, prorſus abſtineat. 7. Acta deſcribantur non in paginis ſeparatis, ſed in bene conjunctis, ac ſuo quæque loco aſſerventur, opportuno quotannis indice adjecto.

XV. Diſtincte deinde Cancellarium Eccleſiaſticum eſſe eum virum optamus, qui ne ab ipſa quidem aſſidua occupatione videatur aliis moroſus, ſed qui comiter quotquot ad eum veniunt, excipiat, operam omnem ſuam libenter offerat, ac revera ſedulo, atque omni mora abjecta lætus impendat.

XVI. Eſt huic Cancellario Tabularii cura concredita: quæ quidem quanta eſſe debeat, per ſe quiſque facile intelliget. Nam ſi tanta religione ſervanda ea ipſa Tabularia, quibus patriæ leges, ac ſæculi negotia ad poſterorum utilitatem continentur, quanto diligentius cuſtodiendum illud, quo Chriſti patrimonia, Eccleſiæ illius Sponſæ dotalia jura, & quæ traditam reſpiciunt Religionem, perennitati aſſervantur.

XVII. Nullas igitur paginas, aut Libros in hoc Tabularium relatos Cancellarius Ecclesiasticus extra Curiam efferri patiatur: idem aliis Cancellariis injunctum plane volumus. Immo, si aut ipsi, aut alii Libros, sive scripta ad Forum, seu Curiam Nostram spectantia apud se habeant, spatio unius Mensis ab hac Synodo edita, ad eandem ut perferant mandamus, atque præcipimus. Siquis vero horum scriptorum quidquam occultare, perdere, lacerare, ac litteram vel unam delere audeat, quicumque is sit, illico excommunicationi subjaceat; neque ab hac censura absolvi possit, nisi ablata restituerit, aut illatam scripturæ injuriam reparandam curaverit (1); eas deinde pœnas subibit, quas sumere Nobis integrum erit.

XVIII. Notarius, seu Cancellarius Civilis sit & ipse erga omnes humanus, ac præsertim erga rudes in proponendis suis juribus tardos, dubios, impeditos, hærentes, quos patientissime audire, sapienter interrogare, & amanter solari convenit.

XIX. Quod gravius deinde est, totis ingenii sui viribus, totisque industriæ nervis incumbat ad caussas tum aliorum, tum præcipue viduarum, & pupillorum celeriter expediendas.

XX. Sed neque humanitatis, benignitatisque expertem unquam volumus ipsum Cancellarium criminalem. Quod ipse non difficulter assequetur, si, dum vel acriter in veritatem, & justitiam quærit, hanc unam constanter spectet, hominem ipsum, quamvis nocentem diligat: quamquam nullius rei caussa animum ab illa, vel tantillum avertere unquam debet.

XXI. Præter fidem in querelis referendis, in conficiendis actis, in aliis suis functionibus servandam, ac præter procurandam quam celerrimam caussarum expeditionem, silentium quoque sibi de reorum malefactis extra quæstionem, & judicium imponat.

XXII. Cognoscere insuper curet, an rei eo plane modo habeantur, quo judex præscripsit. Neque enim sive mollius, sive asperius fas est illos a carcerum custodibus tractari.


XXIII. Inter alia curabit Vicarius Noster Generalis, ut miseros illos pius aliquis Sacerdos identidem adeat, Pœnitentiæ Sacramentum ipsis ministret, atque eorum saltem ærumnas piis sermonibus levet. Quique Sacerdos ordinarie sit hoc pietatis officio functurus, jam designavimus.

XXIV. Omnibus diligentiam, ac fidem iterum commendamus: Procuratoribus autem, & Advocatis caussarum, quibus implicantur ege-

(1) *Syn. Cresc. pag. 166.* §. Archivium.

egeni, orphani, pupilli, peregrini, ſive alii hujumodi, addimus, ut hiſce laboris ſui mercedem remittant, atque aliam longe potiorem intueantur, olim ſibi ab iiſdem reddendam, quos prudenter ſibi fecerint amicos de mammona iniquitatis.

XXV. Poſtremo Epiſcopalis Curia hoc ſibi proprium ducat, ac velut inſigne habere velit, ut homines ſint nedum in jure præſertim Canonico ſcientiſſimi, ſed vel maxime probi, inque ipſa juſtitia adminiſtranda nunquam Chriſtianæ manſuetudinis, atque charitatis immemores.





PARS QUINTA

DE LOCIS, AC REBUS TUM SACRIS, TUM PIIS.



Evitarum Nostrorum, aliarumque & Ecclesiæ, & Fori Personarum vita, atque muneribus ordinatis, Loca modo, Resque Deo sacras, immo etiam quacumque ratione pias postrema hac Parte complectimur. Præter enim illa, de quibus agere visum est alibi, sunt hujus generis quamplura Templa, Puellarum Domicilia, Domus hospitales, Sodalitia, generatim Pia, ut vulgo nuncupantur, Opera, quorum pleraque commoda, non pauca etiam largius, ac magnificentius ædificiis, atque reditibus aucta: quæ facili cuivis, & toti huic genti perhonorifico, & Nobis perjucundo sunt argumento, ex quo cognoscatur, quanta Ferrarienses munificentia, atque pietate præstiterint. Eadem igitur ob eximias, quibus instituta fuere, utilitates magno studio servanda: jamque Nos, quatenus Pastoralem singulis impendere possumus curam, sic decernimus.

CA-

CAPUT I.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

QUamvis nullum toto orbe terrarum, nullum universo cœlorum ambitu sit spatium, quod non Deus immensa sui præsentia pervadat, & complectatur, & in quo debita illi non sint quæcumque a creatis naturis proficisci possunt obsequia, quædam nihilominus loca sibi a nobis in terris dicari jussit, in quibus publice, ac magnificentius coleretur (1). Nempe primum Salomoni Regi gloriosissime obtigit, ut Domum Domino Deo suo præstantissimam sane, ac pretiosissimam ædificaret; quam Deus per mysticas in Dedicatione nebulas majestate, & gloria sua implevit (2); tum plurimas ipsi Regi partim rogatus, partim sponte sua est pollicitus, quæ non nisi jucundissimo queunt grati, & obsequentis animi sensu recenseri (3). Sed etiamsi tantas illas Judaici Templi opes æquare non valeamus, longe præclarius, ac felicius actum nobiscum est, quum nostris in Templis longe diviniora perficiantur, longeque præ antiquis præstantissima, ac summo Numini acceptissima per Christianos victima offeratur. Ecquis igitur Pastorum in sacrarum ædium extructione, reparatione, ornamentis, aut in earundem reposcenda veneratione deses, vel parum diligens esse queat? Immo vero quantamcumque in servandis hac super re Ecclesiæ Canonibus curam contulerimus, non solum quisque rectissime collocatam, sed etiam tanto negotio vix parem denique existimabit.

I. Jam vero ut Nos ab ipsa sacrarum hujusmodi ædium ædificatione exordiamur, præcipimus, ut nulla Ecclesia, nullum Oratorium, nullum Sacellum, quod Capellam dicunt, nullum Altare excitetur, nisi ædificandi facultatem scripto concesserimus (4), & nisi prius Nos ipsi, aut Vicarius Noster Generalis locum, si libuerit, inspexerimus, deinde primus lapis a Nobis, aut ab alio per Nos designato ex ritu benedictus ibidem fuerit collocatus. Qui tamen Parochi Templum sibi de novo construendum sumunt, prudenter provideant, ne ædificium in tantam evadat amplitudinem, ut subjecti sibi populi frequentiam longe superet, aut pendere interruptum diutissime debeat. Nullæ autem Ecclesiæ dirui possint, nisi facultate a Nobis

(1) 2. *Reg.* 7. 13. (2) 3. *Reg.* 8. 10. 11. (3) 2. *Paralip.* 7. 13., *&* *seqq.*
(4) *Cap.* Nemo 8. *De Consec. Dist.* 1., *&* *alibi*.

Nobis præhabita, & juribus quibuscumque servatis (1).

II. Super hujusmodi sacrorum ædificiorum laquearibus, sive fornicibus cubicula ad cubandum, vel ad sæculares usus extare, vel ibidem ali columbos, turtures, aut hujusmodi omnino prohibemus. (2) Immo quidquid sordidis, vel clamosis artibus, aut vilioribus usibus esse solet, longe ab iisdem sacris ædibus constituendum; quod eo spectat, ut non solum nihil cernatur, quod sit oculis invisum, sed ne auribus quidem orantium in Templis obaudiatur molestum: eademque de caussa ludi, vociferationes, cantiones, tripudia, sonitus, venalia, & similia quovis tempore hinc sedulo arcenda (3).

III. Palam Domus Dei a profanis ædibus internoscantur: hinc in anteriore earum fastigio metallica semper Crux, neque exilis appareat: muri extrinsecus expurgati serventur ab hederis, vepribus, aliisque virgultis; ac ne arbores iisdem vicinæ lucem erepturæ permittantur. Adsit ad æris campani custodiam Turris; quæ tamen janua, & clavi munita minime sinat, ut quivis se se intus occulat, aut æs pulset injussus. Ingressis in Ecclesiam marmoreum vas ad dexteram januæ partem offerat Aquam lustralem. Januæ firmissimis valvis sera, clavibusque sint munitæ.

IV. Ne sint in ulla Ecclesiæ parte fenestellæ vel minimæ, e quibus possit quis extrinsecus ea, quæ ad Altaria geruntur, introspicere, & siquæ adhuc pateant usui alicujus, quamquam Ecclesiastici, solide obstruantur; nisi Parochiales sint ædes, aut Apostolicum Privilegium aliquem juvet (4).

V. Aræ ad sacrificandum ita sint dispositæ, ut earum maximam nulla respiciat fronte adversa, nulla columnæ cuipiam adhæreat; nulli suggestum, vel organum impendeat. Cetera immobiles sint (5).

VI. Nullus potest esse sacer Templi usus, nisi consacretur, vel benedicatur. Illud fit solemniter ab Episcopis, hoc fieri potest etiam ab alio, cui potestatem Episcopus fecerit. Et si forte (quod avertat Deus) per crimen aliquod in Jure expressum illud violetur, ibi immolare, vel divina Officia peragere nefas: quare ejusdem Ecclesiæ Rector rem ad Nos deferat, ut de reconciliationis remedio ex sacris Canonibus deliberemus. VII.

(1) *Vid. Trid. Seß. XXI. De Ref. Cap. VII.* (2) *Edict. S. Pii V. pro Urb. 28. Nov. 1596. S. C. C. pluries. Plur. Synod.* (3) *Vid. S. Carol. Conc. IV. Par. I. De profan. usu a sacris locis tollendo.* (4) *S. C. Episc. in Casert. 8. Jun. 1646., in Cusent. 14. Dec. 1646.* (5) *S. Car. ibid. Tit. De Capellis, & Altaribus* §. Altaria.

VII. Altaria vero consecranda sunt necessario separatim: ita nimirum, ut vel tota, in qua Sacrum faciendum est, mensa, vel saltem ut in medio mensæ cavo ab ipsius fronte parum remoto constituatur Lapis consecratus, ac firmiter Altari cohæreat (1). Porro ubicumque Ara est, immineat vel fornicatus paries, vel umbraculum non nimis exiguum.

VIII. Non modo Presbyterium ad Aram maximam, sed etiam spatium aliquod circa reliquas, ubicumque possit, defendatur marmoreis, vel ferreis, vel saltem ligneis cancellis (2).

IX. Sed hactenus commemorata, utcumque satis valide olim constructa, atque munita fuerint, ipso saltem tempore atteri, fatiscere, ac tandem corruere necesse est: identidem itaque singulas eorum partes perlustrent, qui reparare tenentur; & sicubi tecta excipere imbres, vel tabulata labefactari, si fornices, aut parietes rimas agere, vel solvi in crustas, si pavimenta depravari, siquid aliud laborare deprehenderint, confestim de remedio agatur, ne forte quod parva impensa tempestive restitutum fuisset, cunctatione, atque socordia magnam tandem postulet, diuturnam, ac fortasse intolerabilem.

X. Quare quicumque de jure tenentur Ecclesias reparare, id sedulo faciant (3). Distincte meminerint Beneficiati quilibet, Beneficii sui fundum esse hypotheca obligatum ipsius Altari seu Capellæ: quare hæc instruat, & ornet rebus omnibus ad decorem necessariis. Si reditus ad id satis non sint, consensu Nostro, & auctoritate poterit detrhai tanta pars servitii debiti Capellæ, seu Beneficio, quanta in restaurationibus, aut ornatibus erit necessaria. Si reditus sint tantum Altari conservando satis, cetera onera decoræ illius cedunt conservationi (4).

XI Nihil enim est tam opportunum hominum, neque solum rudium, sed etiam cultiorum animis ad reverentiam in Templis permovendis, quam rerum nitor, atque mundities: quare omnes Ecclesiarum Præfecti curam, laborem, ac sumptus, quos possunt, in id conferant, ac saltem redeuntibus tum toti Ecclesiæ communibus, tum suæ Parochiali peculiaribus solemnitatibus omnes Templi partes,

(1) *Vid. tot. Dist. 1. de Cons.*, *&* *Tit. De Consecr. Eccl. vel Alt. Vid. Rubr. gen. Miss. XX. De Altarium ornatu actum Par. II. huj. Synod. Cap. V. N. VIII. de sacra supell.*, *vas. ibid. N. VI. VII. IX.* (2) *Ex Conc. Rom. Tit. XXVIII. Cap. IV. Vid. Syn. Cresc. pag. 26.* §. Sepiatur. (3) *Vid. Lambert. Inst. C.* (4) *Plur. in hanc rem ap. Crispin. De Visit. Par. 2. Cap. 13. n. 12.*, *&* *seqq.*, *ubi recensent. non nulla S. C. C. Decr. & Sanctiones S. Car. in IV. Synod. Diœces.*

tes, præcipue Altaria curent diligenter exornanda.

XII. Ac certe reverentiam ab iis, qui Templum adeunt, repetere Nostri quoque est officii: quod propterea iisdem Præfectis, seu Rectoribus, eorumque Administris commendamus, immo mandamus. Inter cetera nequis laicus, dum Ministri ad Aram operantur, propius, quam par est, ad illam accedant, munus est Æedituorum curare. Infantes, aliive pietati, ac modestiæ exercendæ nondum satis apti ne in Ecclesiam inferantur, sive inducantur. Pauperes ne mendicare permittantur tempore Missarum, divinorum Officiorum, atque prohibeantur etiam, si necesse sit, per vim: iis locus ad quæstum esse potest ante ipsius Templi fores; qua in re habetur Constitutio præcipue S. PII. V. (1). Laici ad Ecclesiam convenientes ne in Sacrario consistant; quique præterea cum clamore, ac petulantia versantur, eos pecunia multatos volumus unius scuti. Templa ne sint ante diurnam lucem, neque a signo salutationis Angelicæ ad Vesperas aperta: atque hinc sacræ Functiones hoc tempore definitæ omnes plane concludantur: neque spiritualibus pœnis parcemus, ut id consequamur.

XIII. Quorundam Parochorum industria effectum est, ut qua Templi parte congregantur mulieres, ibi nullus consistat vir, ac eadem ne pertranseat quidem. Utinam id omnes Ecclesiarum Præfecti, & Regulares imitentur! Sed certe ubicumque laudabilis viget consuetudo, ut servetur, atque ubi fieri potest, ut inducatur, eos, ad quos pertinere potest, præcepto Nostro obstringi volumus (2).

XIV. Ac maribus ne liceat cum armis Ecclesiam ingredi, præter ensem, si velint, pendentem a latere (3): immo neque prope Ecclesiam, seu Cœmeterium ea deponere, at paulo longius ab hujusmodi locis. Cui Decreto si locorum ipsorum adjuncta, vel cujusquam protervia obluctetur, Vicarius Noster Generalis monendus. Sed neque adducendi in Ecclesiam canes: quicumque istiusmodi comitatu huc venit, nulla moveri ratione potest; non raro eorum caussa adstantium animi a rebus divinis avocantur, sæpius molestiis, offensionibusque afficiuntur. Quid igitur canes in Ecclesiis? Id populo ex mandato Nostro denuntietur: quo audito, si Templorum, seu Sacrariorum Custodes eas belluas, ut hinc fugere compellant, male aliquando habuerint, sublatus jam sit omnis querelis locus (4).

XV.

(1) *Const.* Cum primum V. (2) *Ex Litt. juss. Clem. XI. ad omn. Ital. Antist. datas. Bened. XIV. De Syn. Lib. XI. Cap. I. n.* 8. (3) *Synod. Cresc. pag.* 28. §. Quapropter. (4) *Cresc. ibid.*

XV. Ingrediatur unusquisque Domini Dei sui ædes, in iisque moretur semper aperto capite, inde nimirum detractis pileolis, reticulis, vel similibus; quippe quibus coram illis, quos veremur, indui esset hominis effrontis. Quumque alicubi id usurpatum esse intellexerimus, ne in posterum Ecclesiarum Rectores, quantum in se est, permittant. Mulieribus contra modestiæ tribuit Apostolus, atque erga Angelos reverentiæ, si in Templis capite adsint velato (1): quamquam reliquus etiam totius corporis habitus, atque ornatus esse debet plane modestus; ac speciatim florum usus est omnino his maxime locis improbandus, atque impediendus. Quod quum Parochi publice denuntiarint, addent (ut alibi monuimus (2)), mulieres, si verecundiæ leges evadant quum in Templis Sacramenta petunt, fore ab eorum perceptione repellendas.

XVI. Sunt etiam qui tempore, quo Sacrificium in Altari non peragitur, memorata septa licentius transcendunt, ipsique Aræ adnituntur, in ipsaque sacra mensa sedere non dubitant, vel ibi saltem galeros, penulas, linteola, involucra quævis imponunt. Quam irreligiose! quam acriter idcirco, ne isthæc populus audeat, deterrendus!

XVII. Qui cupit habere in Templo sedile sibi proprium, idemque immotum, hoc concedi ab ipsius Templi Rectore poterit his legibus. Primo ut minime ponatur in Choro, vel Presbyterio, vel intra Altarium septa. Deinde ut qui scamni haberi dominus vult, ipsum ne cuipiam elocet, ac ne perpetuo quidem alteri sine Nostro permissu concedat: quam legem ubi primum fuisse constiterit violatam, scamnum illud continuo in dominium, ac jus cedat ipsius Ecclesiæ. Tandem ut quocumque tempore ad Ecclesiæ ipsius ornatum, sive commodum, sive ad alios, qui justi Nobis videantur, fines velimus illud alibi collocare, aut penitus ab Ecclesia removere, nemo obsistere moliatur (3). Ceterum ne mobilem quidem sedem in Ecclesiam inducere, Parocho inscio, fas ulli sit.

XVIII. Musicos omnes concentus in Ecclesiis prohibendi animus non est, quum iis haud pauci erga Deum, resque cœlestes se affici sentiant: at cavendum, nequid profanum obaudiatur, aut quidquam animis citius labefactandis, quam pie erigendis aptum; quod sane Musices Moderatores curent diligentissime (4).

XIX. Hæc Nos pauca quidem attigimus ad venerationem erga

(1) 1. *ad Cor.* 11. 4. 5., & 6. (2) *Par. I. Cap. II. N. XII.* (3) *Vid. Monac. Tom. I. Tit.* 5. *Form.* 8. *n.* 4. 5. *Syn. Cresc. pag.* 27. §. Quoniam. (4) *Bened. XIV. Epist. Encycl.* Annus *III. Bull. Tom. III.* §. 3., & *seqq.*

ſacroſanctas Eccleſias conciliandam, quæ corporis potiſſime ſenſus percellant. Verum nihil hoc eſt, niſi animos ad intimam, veramque pietatem, ac religionem formare conentur Rectores, & reliqui omnes, qui ad populum verba faciendi munus ſuſcipiunt. Hoc itaque ipſis etiam, atque etiam commendamus.

XX. Nos interim graves nefariis illis hominibus pœnas indicimus, qui licentius aliquod in Templo, maxime vero pudicitiæ contrarium aggredi videantur. Neque aliter contra eos inſurgemus, qui præ ſacroſancti iſtius loci foribus aucupum more expectant fœminas, quibus aut irrideant, aut blandiantur non ſine maxima ſpectantium offenſione, animarumque periculo. Quamobrem ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Præfectis graviter mandamus, ut & hos, quos deſcripſimus, & alios ſacrorum locorum violatores emendare ſtudeant, & contumaces ad Noſtram Curiam deferant.

XXI. Eſt præterea divino primum Jure inſtitutum, atque humano deinde uſurpatum, ut loca immunia ſint, hoc eſt ut aſylum ipſa ſint tutum. Quare Privilegia, quibus fruuntur Eccleſiæ, aliaque loca immunia ad reorum confugium, cuſtodiri omnino volumus, prout ſacri Canones, & Pontificiæ Conſtitutiones exigunt (1). At reus confugiens ſtatim Eccleſiæ Rectorem moneat. Sunt tamen quædam facinora adeo enormia, quorum rei, quicumque ſint, ab ipſo Jure non habentur immunes. At vero nemini ex Judicibus laicis fas eſt in hiſce etiam caſibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ Apoſtolicæ Sedi in reos hujuſmodi, qui ad Eccleſiam confugerint, propria auctoritate manus injicere. Sed quum petitio Judicis ſæcularis ad Nos perlata fuerit, a Fori Noſtri miniſtris rei capientur, inque carceres conjicientur Eccleſiæ nomine retinendi, donec Juris ordine ſervato conſtiterit Nobis, an crimen, de quo inſimulantur, ex iis ſit, quorum rei per ipſum Jus immunitate loci ſacri privantur, nec ne. Ubi tantum non fuiſſe cognoſcatur, Nos ſententiam pronuntiabimus, eoque reum reſtituendum jubebimus, unde traductus fuerat. Ubi de tanta utique facti nequitia conſtet, ut ille immunis eſſe non debeat, e Noſtra cuſtodia educetur, atque alteri poteſtati judicandus relinquetur (2).

XXII. At nocentes ea cum primis venerentur loca, ad quæ confugiunt,

---

(1) *Cap.* Inter alia *6. De Immunit. Greg. XIV. Conſt.* Cum alias *VII. Bened. XIII. Conſt.* Ex quo *in Append. Conc. Rom. N. XXV. Clemens XII. Conſt.* In ſupremo. *Bened. XIV. Conſt. XXIX.* Officii Noſtri *Bull. Tom. III.* (2) *Ex ead. Conſt. Bened. XIV.*

fugiunt. Etenim si eorum aliquis divina Officia perturbet, sicui in Ecclesia offensioni sit, tumultus excitet, si novum quodpiam malefactum perpetret, aut nimis gravem se excipientibus præbeat, Nos celeriter loci immunis Præses, seu Rector certiores faciat, ut id consilii, quod res postulaverit, capiamus.

XXIII. Ipsis autem locorum immunium Præsidibus mandamus, ne sinant eadem immunitatis obtentu invisa reddi: quod Nobis quidem caussa & indignationis, & exercendæ severitatis esset. Quo dicto intelligi volumus, Nostra quoque auctoritate sub gravibus pœnis arbitratu Nostro infligendis esse sibi interdictum, nequando merces, seu res suspiciosas, sive Legibus prohibitas in locis immunibus recipi, aut in ea invehi permittant.

XXIV. Pleraque ex iis, quæ sumus hactenus persecuti, aliaque etiam distincte habet Edictum Nostrum in Appendice edendum (1); illud itaque sæpe Parochi suis commemorent, atque minute explicent, reverentiam sacris hisce locis habendam omni ratione curent: tale autem Edictum statis in anno temporibus inter Missarum Solemnia promulgent (2).

De sacris Reliquiis, & Imagin., quarum in Eccl. usus, aget. Cap. VII. huj. Par.

De Cæmeteriis prope Eccl. Paroch. act. Par. III. Cap. VIII. N. XVII. De Sepulchris in Eccl. constit. ibid. N. XVIII., & seqq.

CAPUT II.

DE ORATORIIS CUM PUBLICIS, TUM PRIVATIS.

Sed præter Templa, sive Ecclesias quotidiano, ac fere perpetuo sacrorum usu celebratas, sacris iisdem dicatæ sunt aliæ quoque ædes, quæ Oratoria vocantur. Et eorum quædam sunt publica, quippequibus accessus cuique datur e publica via; & quædam sunt privata, in ipsis Sæcularium domibus. Ac de utroque genere singulatim, & breviter agendum.

I. Quas de sacrosanctis Ecclesiis Leges nuper protulimus, excitandis videlicet, demoliendis, reparandis, ornandis, quæque de earun-

(1) *Vid. Append. pag. 169. N. I.* (2) *Vid. ind. rer. publ. int. Miss. Solemn. ad Syn. calcem.*

earundem immunitate tuenda, deque reverentia ipsis exhibenda diximus, eadem de publicis Oratoriis dicta fuisse existimandum est (1).

II. Sed metuendum, ne sacra Ministeria nimis raro, aut nunquam in quibusdam exerceantur: volumus igitur distincte, ut in quolibet publico Oratorio, quum redit dies illius Titulari sacer, aliquod saltem Sacrificium celebretur, quibusdam cereis accensis. Aliis autem temporibus, si Sacerdos fieri sibi postulet sacrificandi copiam, optabile divini cultus caussa, & honorificum habeatur, prompteque tum minister, tum vestes offerantur illi diei convenientes.

III. In quibusdam tamen Oratoriis Diœcesis, quæ nempe distant a Parochiali minus, quam mille passus, prohibemus, ne Missa ulla legatur in Solemnitatibus Natalis D. N. J. C., Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. V. M., Sancti Georgii, ac Titularis Parochiæ: quamquam id, accedente caussa, simus Nos ipsi concessuri. Ceteris diebus festis tenenda hora, de qua alibi (2).

IV. Ceterum ista Oratoria etiam in agro, præter ipsas divinorum Officiorum horas, haud penitus claudi non improbamus: poterit siquidem sacrarum Imaginum aspectus aliquando pietatem excitare. At, ne variis hominum, vel bestiarum injuriis obnoxia fiant, validis cancellis fores semper communiantur.

V. In hisce Oratoriis nemini liceat eleemosynas quærere, nisi venia a Nobis, & scripto quidem data fuerit. Hæc de publicis.

VI. In iis deinde Oratoriis, quæ sunt privatorum quorumdam commodo instituta, nemini Missam celebrare fas est sine Apostolicæ Sedis facultate (3). Quidquid igitur ab ea fuerit seu definitum, seu imperatum ad amussim cognoscendum, ac, ne Privilegium illiço excidat, implendum.

VII. At cella, sive ædicula ubi Ara constituatur, a Nobis, sive ab eo, quem Nos ipsi designaverimus, tum erit pervidenda, tum probanda. Quod ipsum necessarium non modo est, quoties qui Privilegio fruitur, aliam domum incolere instituat, sed etiamsi in eadem decernat Altare ad aliam cellam transferre.

VIII. Similiter visenda quoque, & probanda necessaria ad Sacrificium supellex; namque hæc esse debet saltem quantum fieri potest

(1) *Plur. ex Trid. Sess. XXII. in Decr. De observ., & evit. in celeb. Missæ.*
(2) *Quibus horis interdictum sit in aliquibus Diœcesis Orat. celebrare, vid. Par. II. Cap. V. N. XIX. In quibus autem Orat., & quando tradendus sit Catechis., vid. Par. I. Cap. VI. N. XII.* (3) *Trid. ibid. Vid. Bened. XIV. Epist. Encycl. ad Episc. Polon.* Magno *Bull. Tom. III. N. XLVIII.* §. 2. *Ex ead. Epist. desump. pleraque omnia, quæ sequuntur.*

test munda, & plane ad Rubricas. Altare debet esse firmiter cum pariete connexum, nec portatilis imaginem præferens. Cella ipsa nullis deinceps profanis usibus temeranda, neque alias contineat res, quam sacras vestes, quæque ad loci ornatum pertinent (1).

IX. Porro inter adjuncta, quibus hæ concessiones contrahi solent, jubemus animadvertere, eas non afficere hæredes, sed eos duntaxat, qui in concessionis Litteris describuntur. Quumque duobus plerumque conjugibus licentia concedatur, ut coram ipsis, eorumque filiis, consanguineis, & affinibus Missa celebrari possit, declaratum *celebrari non posse*, *nisi aliquis ex indultariis in Oratorio præsens habeatur*. Ii sunt autem indultarii, quibus inscriptæ sunt Litteræ, quique a tergo ipsius Brevis proprio nomine nuncupantur; immo illi, quibus in ipso corpore concessum est, ut coram se celebrari faciant. Item jubemus animadvertere, eas tantum personas, quæ Missæ intersunt, dum indultariis præsentibus celebratur, Ecclesiæ Præcepto satisfacere, quæ in Brevi exprimuntur (2).

X. Plerumque etiam immolandi facultas ibidem non est, nisi semel in die: item neque die quocumque. Namque per tres Paschatis, per tres Pentecostes, itemque per diem Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis D. N. J. C., Annuntiationis, & Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, SS. Petri, & Pauli, & Titularis Ecclesiæ loci Sacrum in hisce Sacellis faciendi copia fieri non consuevit. Quo circa Sacerdos in privatis Oratoriis sacrificare rogatus, quid ipse possit, quidve non, diligenter expendat. Sicui vero concessum sit Missam diebus etiam exceptis ibidem audire, tum Sacerdoti in die Natali Domini tres Missas celebrare integrum erit (3).

XI. At Pœnitentiam, & Eucharistiam in hisce locis ministrare nemini concessum est, nisi ex Nostra, aut Vicarii Nostri peculiari facultate (4). Immo nonnisi ex Nostra, aut Vicarii Nostri facultate licebit inde Viaticum ad periculose decumbentem deferre, quum hoc ex Ecclesiæ præscripto publice, quoad fieri potest, præstandum sit.

CA-

(1) *Vid. in hanc rem Edict. sub Clem. XII. edit. in Append. pag. 174 N. II.* (2) *S. C. C. in Marsic.* 3. *Dec.* 1740. *Præt. Bened. XIV. ibid.* §. 15. (3) *S. C. C.* 13. *Januar.* 1725. (4) *Par. II. Cap. IV. N. VII.*, & *Cap. VI. N. XXIX. ex eod. Bened. ibid.* §. 20, & *seqq.*

CAPUT III.

DE CONSERVATORIIS FŒMINARUM.

NEmo non videt, quanti & omnis Reipublicæ, & maxime Christianorum interſit, eſſe fœminarum variis nominibus convenientium Cœtus, ſeu Collegia, quæ Conſervatoria vulgo appellantur, in earumque præcipue adoleſcentiorum educationem eſſe qui ſedulo incumbant. Jamque pia Majorum induſtria factum in hac Civitate eſt, ut domicilia nec pauca habeamus, in quæ fœminæ ſeparatim pro cauſſarum diverſitate reciperentur, ibique tuto alerentur, imbuerentur artibus, omnique morum bonorum diſciplina florerent. Quapropter tanto Dei beneficio affectis opus eſt, ut ſtudium Noſtrum ad eorum conſervationem, regimen, incrementum convertamus; e quibus uberiores in dies fructus exituros confidimus.

I. Verum in Præſides, in Syndicos, in Deputatos, & in quoſcumque auctoritate aliqua in piis hujuſmodi Locis uſuros neceſſe eſt, ut curarum Noſtrarum partem derivemus. His proinde commendamus, ut accuratiſſimam in fœminarum, quas regunt, inſtitutionem conferant operam, utque & rei familiaris negotia, & potiſſime quæ pietatis ſunt, quorum hic fere ſit ordo, procurent.

II. Namque ubi primum a ſomno fuerint excitatæ, lex eſto, ut omnes e lectulis protinus exſiliant, & ad communem Dominum conjunctim oraturæ, ſine ulla excuſatione, neque mora ad Chorum deſcendant; ubi inter cetera per ſemihoræ ſpatium Orationi mentali vacabunt. Et quamquam pias privatim preces fundere, immo vero ſemper orare opus ſit, & nunquam deficere, ac præcipue quum ſua quæque opificia, ſeu miniſteria aggreditur; veſpere tamen orandum denuo eſt ab omnibus in unum congregatis.

III. Solemne autem in Conſervatoriis ſit, nullum dilabi diem, quo unaquæque alumna ſacroſancto Miſſæ Sacrificio religioſe non interſit.

IV. Nulla deinde hebdomada prætereat, qua Confeſſarius eaſdem de Chriſtiana doctrina non edoceat: eaque hora prohibendum ſeverius, nequa alio avocetur; ideoque officinæ, ac cellæ ad colloquendum claudendæ.

V. Sacramenta Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ omnes percipiant ſingulis ſaltem menſibus, ac præterea quum in menſe redeunt celebriores

briores Christi Domini, & Virginis Deiparæ Solemnitates.

VI. Quum experientia compertum sit, quod nonnullæ ex alumnis otiari malint, atque a laboribus vacare, ideo Confessarium libentius adire, suisque in speciem de pietate sermonibus detinere, Confessarius ne sibi imponi, sive illudi facile sinat; utque recta consilia rogantibus non negare par est, ita, ubi vera necessitas non sit, brevibus dimittat.

VII. At quemadmodum omnium cura, gestis animæ cum Deo negotiis, sita esse debet in hoc, ut nunquam otiosæ sint, sed suis ex ordine officiis, vel artibus perpetuo occupentur; ita Præfectorum, ac Matris, quam vocant, studium erit curare, ut illa sapienter viribus uniuscujusque aptentur, hæ ut a peritioribus accurate, patienterque tradantur.

VIII. Quibus autem temporibus levamen aliquod laborum conceditur, quodvis aleæ genus, immodici lusus, tripudia, profanæ cantiones prorsus prohibeantur.

IX. Sed tum actionibus, tum necessariis virium relaxationibus ordo quidam communis, certisque intervallis definitus in singulos dies, & horas esse debet; qui servatusne fuerit, an non, Nobis in sacra Visitatione erit aperiendum.

X. Ceterum omnis in istis Cœtibus familia duobus maxime vinculis continebitur, charitate, & obedientia. Utramque imperamus, utramque reposcant quicumque aliquam in alumnas auctoritatem exerceant; in primis vero Confessarius idem in Catechesi commemoret, Evangelicis illustret argumentis, commendet, inculcet, atque alte in animis infigat.

XI. Huc conferre posse videtur, si alumnæ, quarum in unaquaque Domo est vita communis, forma etiam, & colore vestis, quandam inter se extrinsecus æqualitatem testantis, inter se non discrepent. Quod quidem remedium quum alia complura incommoda extincturum facile sit, non dubitamus, quominus Præsidum industria quod nondum effectum est, aliquando in more ponatur.

XII. At vero indociles, legumque impatientes, atque contemptrices nullas unquam extituras esse nemo fidem faciat: quæ ferendæ non sunt. Quæcumque igitur graviter in re quapiam deliquisse comperta fuerit, illa confestim a Domus Præside, vel a Matre corripienda; atque ubi minus idoneam operam fore suam intelligant, Nos denique certiores faciant; quod ne frustra factum sit curabimus.

XIII. Nemini ex alumnis permittendum, ut sermonem cum Ju-

dæis

dæis habeat. Quidquid agere cum illis præſtiterit, ipſa vel Janitrix, vel Mater Domus expediat.

XIV. Siqua de Nuptiis ineundis ſit actura, colloquia cum Sponſis permitti non debent, niſi de Præſidum facultate, eaque raro, neque unquam ſine teſtibus utraque Janitrice, vel Domus Præfecta. Deinde Sponſalibus initis, tempus ad Matrimonium concedatur breviſſimum. Matrimonia tamen in Conſervatoriorum Oratoriis, niſi manifeſtum Nos ipſi aſſenſum præſtiterimus, nulla celebrentur. Ac ſiquando id fiat, mature faciendum eſt, neque ulla ex alumnis præſente.

XV. Noctem extra Conſervatorium a qualibet alumna, quæ duodenne ſit major, tranſigi nunquam permittatur. Quod autem apud Sæculares aliqua prandeat, non niſi perraro concedant Præſides, neque niſi apud ipſos conſanguineos. Neque deſit alia maturæ ætatis alumna, quæ comes illi addatur, & a cujus aſpectibus quæ invitata fuit ſe nunquam ſubducat.

XVI. At etiam expetuntur e Conſervatoriis quibuſdam ad famulandum. Id vero eſſet Conſervatorio illi honorificum, ſi ideo alumnæ inde quærerentur, quod ab optimis moribus, & a muliebrium opificiorum peritia commendarentur. Præſides nihilominus ne temere objiciant depoſitum, quod creditum ſibi fuerat, percontentur diligentiſſime, quænam puellæ futuræ ſint conditiones; neque eas tradant, niſi certum habeant, eaſdem nunquam fore minus, quam apud ſe cuſtoditas, ac tutas.

XVII. Quum de fœmina quapiam in alumnæ locum ſufficienda deliberatur, complures ſolent illum occupaturæ offerri. Tum vero qui præſunt hoc ante omnia propoſitum animis habeant, eas eſſe primum ſuſcipiendas, quæ ad voluntatem teſtatorum, quippe quorum beneficio ſint uſuræ, accommodatiores judicentur. Inter has deinde illæ anteferantur, quæ mundanis periculis magis videantur obnoxiæ. Hæc duo ubi fuerint aſſecuti, privata ſtudia, magnatum commendationes, cetera hujuſmodi nihili pendant, rejiciantque.

XVIII. Rem denique familiarem ſi diligenter, quæcumque ea ſit, capeſſent, perdiligenter etiam miniſtrabunt. Sunt hæc patrimonia pauperum, ideſt ipſius Chriſti Domini, ac Redemptoris noſtri, cui nos ipſos, nedum labores, curaſque noſtras plane debemus. Agrorum itaque culturæ, fundorum, ædificiorumque reparationi, reditibus cogendis, vendendis, augendis, diſtribuendis, pecuniis repetendis, rebus neceſſariis comparandis, rationum Libris recte habendis ſollerter inſtent, minorumque ſuorum miniſtrorum fidem, & induſtriam explo-

rent,

rent, atque excitent. Horum ſiquidem nihil eſt, quod certiſſime ad proximorum utilitatem, Deique gloriam non referatur. Sed quid hac in re ſibi agendum, diſtinctius intelligent ex iis, quæ alibi ſtatuemus (1).

CAPUT IV.

DE DOMIBUS HOSPITALIBUS.

Fuit quoddam tempus, quum privatæ quorumdam hominum ædes peregre venientibus paterent, in quibus homines & tuto cum primis, & honorifice haberentur. Nihilominus præterquamquod magnificum hujuſmodi inſtitutum non niſi a quibuſdam potentioribus erga illuſtriores hoſpites coli poſſet, ipſum, contaminatis ſubinde per ignotos, nequiſſimoſque homines hoſpitii legibus, deletum prope fuit, moſque humaniſſimus fere undique ejectus in paucorum Monachorum Domicilia perfugium denique invenit. Verum ea nos ætate vivimus, quum Chriſtianorum pietas, florentibus ubique ipſorum opibus, in noſtras Civitates jamdiu hoſpitalitatem invexit, eandemque publicam eſſe virtutem juſſit. Etenim excitata ubique locorum fuere ædificia, deſignatique Præſides, ac Miniſtri hominibus, inopia præſertim laborantibus, benigne, liberaliter, commode, ac interdum etiam laute excipiendis. Atque triplici quidem earum, quæ potiores, graviſſimæque viſæ ſunt, ærumnarum, ſive neceſſitatum generi conſulendi conſilium captum eſt. Quarum prima eſt eorum, qui morbis tentantur, quibus curationem quum admovere non queant, miſerrime ad interitum per ſe properarent: altera eſt eorum, qui peregrinantur: tertia eorum, qui ignoto patre in lucem editi, abjecti mox a genitoribus ſunt. Hæc tria hoſpitalium Domorum genera apud nos ſunt: quibus tantæ charitatis inſtitutis opem quamcumque poſſumus allaturi hæc decernimus.

I. Omnes nimirum earundem Domorum Præſides, Curatores, Conſervatores, Adminiſtri Conſtitutiones ad piorum Locorum regimen, atque adminiſtrationem pertinentes, quæque jampridem in ejuſmodi Locis extant, omnino ſervent, utque ſerventur efficiant, quemadmodum in Conciliis maxime Viennenſi, ac Tridentino ſancitum legimus (2). Oo II.

(1) *Cap. X.*, *& XI. huj. Par.* (2) *Clement.* Quia contingit 2. *De Religioſis Domibus*, *& Trid. Seſſ. VII. De Ref. Cap. XV.*, *& Seſſ. XXV. parit. De Ref. Cap. VIII.*

II. Charitatem deinde, ac viscera misericordiæ dubium non est, eos maxime indui oportere. Quum enim verbis illis *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus* (1), universæ multitudini minatus sit Deus, ulturum se aliquando inhumanitatem in proximum, de quo unicuique aperte mandaverat; nemo non videt ab illis, qui singulariter proximorum calamitates ut levarent ex instituto, & justitia suscepere, justissime per Nos postulari, atque ab omnibus expectari, eos ita se gerere, ut miseri in ea, qua premuntur, calamitate consanguineos, aut carissimos quosque sibi deesse non sentiant.

III. Hanc vero charitatem, quam esse his omnibus communem jubemus, manifestum est, esse ab inferioribus ministris exercendam, quorum munera ut fere humiliora sunt, ita ante ipsos languidorum oculos & magis cara, & magis sollicita videri debent. Quo divino igne siquid in pectore ardeant, in amovendis sordibus, ac ceteris sensuum molestiis, inque munditie, ac ornatu curando nihil industriæ, nihil unquam diligentiæ desiderabitur.

IV. In Nosocomiis (nam de hoc primum dicere malumus) hæc distincte serventur: adsint quovis tempore, qui ægrotantes, statim ac limen attigerint, humaniter excipiant, statimque in lectulo pridem parato molliter componant; tum celeriter superveniat Medicus hominis ægritudinem exploraturus, quæque artis suæ sunt experturus.

V. Ad hæc præcipua ibi cura sit, ut hospes, quocumque laboret morbo, Sacramento Pœnitentiæ expietur: tum vero, si opus sit, reliquis Sacramentis muniatur. In ceteris Medicorum præscriptiones ad amussim implendæ.

VI. Neque vero magnopere laborandum, ut aliquis statim atque levari morbo cœpit, e valetudinario dimittatur; sed humaniter, donec paulo majores vires receperit, confirmaritque, detinendus. Hoc tamen ipsum Medici fuerit cognoscere.

VII. At homines in Nosocomio ad convalescendum decumbentes adiri a fœminis, aut hasce ab illis ne liceat, nisi Parochi testimonio constet, esse inter se conjuges, vel in primo, aut secundo gradu consanguineos, sive affines.

VIII. Ceterum quum e suis Fidelibus sit olim in novissimo judicio Christus coram universa terrarum, cœlorumque multitudine commendaturus, qui pauperes ægrotantes convenissent, *infirmus (eram), & visitastis me* (2), & gratiam tanquam pro collato sibi beneficio

(1) *Ps.* 11. *6.* (2) *Matt.* 25. *36.*

cio relaturus; quumque illis, qui id neglexerint adjecturus sit, eram *infirmus*, *& non visitastis me* (1); Ecclesiasticis, & Laicis omnibus tam vehementer hoc officium indictum esse arbitramur, ut validiore a Nobis commendatione nequaquam indigeat. Ac magnam profecto intuentium animis jucunditatem affert, estque exemplum apud populos mirum in modum illustre, nec raro quidem, nec uno modo a summis ipsis terræ Principibus editum, quum mollius enutriti, & elegantioribus vestibus ornati ad inopum, ac miserrimorum hominum servitia his præcipue in Domibus se se abjiciunt, & eorum gemitus, incomptos mores, pædorem non exhorrentes, eosdem blando eloquio fovent, dapibus reficiunt, stipe recreant, & perinde ministrant, ac si summo ipsi rerum Domino, quemadmodum olim Angeli, famularentur. Hoc itaque quemadmodum a probissimis Ecclesiasticis, piissimisque Matronis apud nos fieri consuevit, ita ut ab aliis etiam viris erga viros, atque a fœminis erga fœminas identidem præstetur expectamus.

IX. Et quoniam morbi vis humana semper ope superari non potest, nec pauci supremum in ipso Nosocomio diem obeunt, Libri sunto, in quibus cito, & accurate describatur quis, & quo die, ac hora occubuerit. Hinc etenim rerum istarum testimonia petentur, Matrimoniis contrahendis, adeundisve hæreditatibus necessaria.

X. Nunc de Xenodochiis peregrinantium, de quibus pauciora. Sed certe eorum Præfectis, seu Moderatoribus propositum esse in animo debet, ejusmodi hospitia ex Fundatorum voluntate iis tantum patere, qui inopes quum sint, peregrinationem talem vel pietatis, vel non simulatæ necessitatis caussa arripuerint. Quamobrem jure Præsidum, ac Ministrorum oscitantia reprehenderetur, ubi nullam industriam impenderent, ut aleatores, circulatores, nebulones, & generatim otiosos, & sine justa caussa vagos excluderent.

XI. Observandum deinde, ac diligenter cavendum, nequid adversus pietatem quis moliatur, nequid supellectilis subtrahat: quare sub primam noctis horam Xenodochium claudatur, non aperiendum nisi illucescente die, totaque supellectille inspecta. Hoc ad loci Custodes pertineat; eorundemque sit efficere, ut hospites aliquid pie orent antequam cubitum eant, ac mane domo exeant.

XII. Dormire autem in eodem cubiculo mares, & fœminas, quocumque inter se vinculo esse affirment conjunctos, minime unquam

Oo 2 sinant,

(1) *Ibid.* 43.

finant; ac neque pueros: immo pueri quantum fieri poteſt a viris, ac paulo adoleſcentioris ætatis ſeparentur.

XIII. Nunc de infantibus projectis. Hujus Hoſpitii Miniſtro præcipimus, ut rotam, in quam infantes inferantur, ita componant, ut quum circumvolvitur, ſollicito tintinnabuli ſonitu excientur Cuſtodes, poſſintque illos ſtatim excipere, ac nutricibus tradere.

XIV. Ipſe autem Cuſtos ſigna, ſiqua puero alicui appoſita fuiſſent, inſpiciat, & quamcumque inde haurire notitiam poteſt, ac ſaltem nomen, ſi expreſſum reperiatur, colligat, atque hæc in Librum, additis anno, menſe, ac die, quo delatus fuit, referat. Item utrum fuerit baptizatus exploret; ſeque erga illum ita gerat, quemadmodum faciendum eſſe tradidimus, quum de Baptiſmo ageremus (1).

XV. Sunt genitores, qui infantem ita ſuum exponunt, ut haud raro Domum hanc ipſo quinque ſcutorum Ferrarienſium ſubſidio longa jam, probataque conſuetudine inducto facile fraudent. Quod ſiquando horum parentum notionem fuerit Curia Noſtra aſſecuta, Noſtrum deinde erit, quos, & quatenus videbitur, punire, & pro memoratis expenſis ut quod juſtum eſt exſolvant, cogere. At liberos ex legitimo Matrimonio ſuſceptos ab ipſis parentibus exponi, ac ſinere, ut inter ſpurios cenſeantur, hoc (præter cetera, quorum habenda eſt ratio) tam injurioſum, ac inhumanum eſt, ut pœnis vel graviſſimis, ubi crimen e tenebris emergeret, plectendum eſſet. Qui tanto nihilominus malo occurrere poſſunt, ii ſunt unice Confeſſarii, ad quos hujuſmodi noxam deferri contingat. His igitur mandamus, ut innoxiorum illorum nihil unquam tale merentium cauſſam ſuſcipiant, ac tantam parentum impietatem deteſtari, punire, & quacumque poſſunt ratione abolere ſatagant.

XVI. Extat jam pridem Domicilium fœminis excipiendis conſtitutum: aliud vero maribus jamdiu boni omnes optabant; namque illorum complures conſpiciebantur ægerrimam, ſibi, aliiſque prorſus inutilem, ſæpe etiam periculoſam vitam agere. Verum in hoc etiam pietatis officium SS. Dominus Noſter Pius VI. pro ſingulari ſua charitate partem derivavit cogitationum ſuarum, effecitque, ut miſeris hiſce Hoſpitium ſuis inſtructum reditibus aperiri poſſit, quod proximo anno factum iri plane confidimus. Horum autem omnium Præſes ubi primum puerulos, ac puellas fieri rationis compotes noverit, primas meminerit ſui eſſe muneris partes, ut ſinguli Chriſtianis moribus imbuantur; quæque ſuperiore Capite ſtatuimus,

(1) *Vid. Cap. II. N. XXI. Par. II.*

tuimus, quatenus ad puellas referri possunt, omnino serventur: maribus autem eæ proponentur speciatim Leges, quæ Nostra auctoritate prodibunt. Omnes deinde aliquibus etiam artibus operam dent, quæ non modo sexui conveniant, sed etiam, quoad ejus fieri potest, singulorum ingenio. Hinc enim proficisci illud debet, ut neque sibi ipsis, neque Reipublicæ graves, sed e converso & sibi, & Reipublicæ utiles aliquando existant.

XVII. Nihil hoc loco de procurandis harum Domorum fundis, ac censibus; huc enim referenda quæcumque alibi in hanc rem sanciemus (1). Certe quidem quicumque sunt horum bonorum Curatores tanta id cura faciant oportet, quanta dignum est, ut administretur Patrimonium ipsius Christi. Hoc enimvero permagno animo Nostro erit gaudio, quum administrationis rationem, uti Nostri muneris est (2), reposcemus.

CAPUT V.

DE MONTIBUS PIETATIS.

Aliud præclarum Christianæ charitatis institutum sunt Montes Pietatis, quibus maxime fit, ut accepto pignore, atque pecunia, aut frumento tradito subveniatur pauperum inopiæ, ne usurarum voragine deglutiantur (3). Ac ne inopum animi non raro suspiciosi, ac timidi ab hoc pietatis officio absterrerentur, publicis declaratum est Legibus, pignora quæcumque recuperatum iri, pecunia duntaxat, vel frumento, quod acceptum hinc fuerat, reddito. Quod siquid præterea Montes exigant, illud unice, atque eatenus liceat, quatenus sumptibus in ea administratione, inque ædificii conservatione necessariis satis esse videatur: qua etiam in re nequis unquam sibi blandiatur, Apostolicæ Sedis & judicium, & auctoritas intercedat necesse est (4). Hinc omnes Pietatis Montes, licet Magistratus ipsi Laici capessant, Tridentina tamen Synodus inter Loca pia recensuit (5), atque Episcoporum curæ, & Visitationi subjecit, ut de tota administratione Ecclesiastica auctoritas judicaret. Sed quum ea, quæ in dies agenda sunt, recte a Præsidibus, qui deliguntur quotannis aptissimi, curari existimemus, Nos generalia quædam

(1) *Hac ead. Par. Cap. X., & XI.* (2) *Trid. Seff. XXII. De Ref. Cap. IX., & Seff. XXV. De Ref. Cap. VIII.* (3) *Leo X. Const.* Inter multiplices. (4) *S. C. C. 7. Febr., & 13. Mar. 1637.* (5) *Seff. XXII. C. VIII. De Ref.*

dam duntaxat, quæque præcipua videntur, uti a Prædecessoribus Nostris actum est, recolemus.

I. Inter quæ gravissimum illud est, quod omnibus istorum Montium Præsidibus, Administratoribus, Officialibus, quocumque nomine nuncupentur, a PAULO V. imperatum (1) fuit, ne scilicet pecunias ad Montes Pietatis spectantes, sive pro sorte principali a principio illis assignatas, sive pro sortis augmento postea acquisitas in alios, quam pauperum usus, juxta formam in eorundem Montium erectione præscriptam, quacumque de caussa, etiam cum onere intra breve tempus restituendi, convertant. Siquis enim alio convertat, ibidem damnatus continuo est tum restitutione, tum excommunicatione reservata Pontifici.

II. Sed jam Constitutionis illius exemplum in Monte Pietatis prostare debet, ut facile perlegatur, totaque servetur (2). Nam cetera, de quibus Pontificium istud Decretum non meminit, exigenda sunt ad Constitutiones Monti peculiares.

III Pignora ad Pietatis hujusmodi Montem perlata ne sint sacra, ut vasa, vestimenta, seu quidquid supellectilis est divino cultui dicatum. Nos tamen id ipsum quod ad quasdam res possumus interdum concedere. Quare Montium Ministris interdictum sit ea suscipere, nisi de concessione ipsis legitima satis constiterit (3). Item neque accipienda pignora sunt a filiisfamilias, neque ab aliis quibuscumque, ubi prudens suspicio incidat, illa esse furtiva. Speciatim noverint Nostræ voluntatis esse, ne Decretum illud Prædecessoris Nostri Cardinalis Rufi excidat, qui vetuerat, ne a Monte pignora caperentur Hebræorum, iisdemque pœnis Christianos illos coercendos censuerat, qui operam præstarent, ut illa alio nomine ibidem acciperentur (4).

IV. Aliqua vero pignora quum a pulvere, tineis, situ, sordibus vitientur, eadem quolibet saltem mense attrectare, excutere, apteque iterum collocare, necessariæ Ministrorum diligentiæ est; & siquando illa depravarentur, socordiæ, quæ ipsismet obligationem reficiendi damni pareret.

V. Ubi primum pignora in Monte recepta sunt, Ministris illa seu per se, seu per alios interpositos emere plane interdictum sub excommunicationis pœna (5). Ac vetamus etiam, ne cuivis unquam, ac ne ad pios quidem usus elocentur, neque commodentur. Servanda igitur erunt quousque vel a pignoratoribus redimantur, vel hastæ suo tempore subjiciantur. VI.

(1) *Const.* Onerosa *LXXXII.* (2) *Ibid.* (3) *Vid. Lambert. tot. Inst. LXIX.* (4) *Syn. Ruso pag.* 90. §. Ad eximendos. (5) *Cresc. pag.* 164. §. Nec.

VI. Subjiciantur autem primo quæ vetustiora, ac subinde quæ recentiora: omnino concedantur illi, qui in ipsa auctione non simulate, sed reipsa majoris empturus sit. Quidquid e singulis pignoribus pretii coactum fuerit, recuperet sibi Mons primo quod in singula erogaverat, ac præterea quod sibi inde sumere concessum est: reliquum fideliter custodiat, & repetenti domino restituat.

VII. Quum autem tanta istiusmodi Magistratibus fides a populo habeatur, ut, præter pignora, diversas etiam res, vel pecunias, nomine tantummodo Depositi ipsis plerique committant, Nos ad eandem, quæ tanto & ipsis honori, & populis commodo est, tuendam decernimus, ne quisquam e Montium Ministris pecunias, seu res ad pia quævis Loca spectantes, & in eodem Monte existentes cum onere, ut ajunt, investiendi, ulli hominum concedat, qui scriptam a Nobis veniam repetendi non exhibuerit. Qua in Monte non habita, qui hujusmodi Depositum restituerit, cogetur nihilominus illud ei, qui legitime petat, ære suo persolvere.

VIII. Montes deinde Frumentarii communia cum Pecuniariis habent omnia tum quod ad curam totius administrationis, tum quod ad pœnas in malos Administratores, ac præsertim in eos, qui istorum Locorum augmentum alio, quam in pauperes distrahunt, quæ ex memoratis Apostolicis litteris constant. Inter cautiones in ipsis Montibus ad Frumenta adhibendas ea est, ut nomina, cognomina, menses, ac dies, quibus Mons aliquid cuipiam tradiderit, in Codice ordinatissime describantur; idemque quum fit restitutio omnino servetur. Illud etiam omnino mandamus, ut tempora, quibus Frumenta receptis pignoribus restituantur, sint omnino certa; nimirum ut triticum restituatur Septembri nondum exacto, aliud, quod flavum est, ante excursum totius Novembris. Nam qui morosos se se præstiterint, ad Curiam Nostram, vel Vicarium Foraneum erunt deferendi.

IX. Interea Ministrorum cura, & labor diligenter in eo versabitur, ut Frumenta excipiant, aptis in horreis, vel Cellis condant, provideant, ne a vermibus corrumpantur, rite dimetiantur, ac sollicite. Caveant autem, ne Frumenta ista divendant, aut aliter, quam in pignoratores, ex Montis instituto, distribuant. Nam siquid fortasse compendii ad Montem redierit, seu redire debuerit, totum in pauperes denuo vertendum est: & quidquid Monti ex non servatis hisce Legibus detrimenti accesserit, Ministri suis omnino impensis ipsi reparabunt.

X. Plures præscribere hisce Magistratibus Leges parcimus. Sed ali-

aliquas tamen apud se habeant necesse est de Ministris deligendis; de temporibus, modisque, quibus frumenta congerantur, custodiantur, distribuantur, de pignoribus, de pecuniis, de Libris habendis, deque aliis, sine quibus ordinate res geri non possent.

CAPUT VI.

DE PIIS SODALITATIBUS, SEU CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

QUod saeculares homines in mediis ipsis mundi curis in pia Sodalitia, seu Societates, quae Confraternitates nuncupatae fuere, coiverint, eoque nomine saepius ad religionem, & charitatem excolendam fraterno quodam animo congregentur, res est tum pietatis, tum utilitatis plenissima. Namque praeter uberrimos fructus, quos inde manare perspicuum est, ad verae pietatis testimonium magnopere facit, quod in orbe Christiano Confraternitates & plurimae sunt, & antiquissimum earum est institutum. Qui enim recentius earum exordii tempus decernunt, illud ad Sanctum Bonifacium Germanorum Apostolum referunt, qui octavo Ecclesiae saeculo floruit; quamquam alii ex quodam Tertulliani loco (1), ubi de primis Christi Fidelibus ait, *conventus faciebant*, *& in coetum*, *& congregationem coibant*, hunc ipsum morem ab Apostolis coeptum subinde ad Laicos ipsos manasse contendunt (2). Accedit postremo (quod earundem praestantiam mirifice praedicat), hasce Sodalitates Privilegiis, Indulgentiarumque muneribus subinde ab ipsa Sancta Sede ditatas fuisse. Non miseram tamen rerum humanarum conditionem evadunt. Depravari scilicet & ipsae possunt; atque *ex eisdem*, inquiebat clar. mem. Praedecessor Noster Crescentius (3), *nisi recte gubernentur*, *ac dirigantur*, *dissensiones*, *& scandala publica oriri persaepe solent*. Quid ni igitur Nos provideamus, ne hujusmodi pestes in sancta ista Collegia insinuentur, utque non solum a vera pietate nunquam excidant, sed ut plurima commoda & a Fratribus continue percipiantur, & in proximos reapse fundantur? Atqui id efficere Deo juvante aggredimur.

I. Sed jam quae de iisdem instituendis tenenda sunt ea maxime

(1) *Tertull. in Apol. Cap.* 39. (2) *Vid. Polidor. Lib. VII. Cap. VI.*, *Suri. T. III. in vita S. Coelest. Papae*. (3) *Cresc. pag.* 133. §. Quemadmodum.

me proposuisse legimus CLEMENTEM VIII. (1), eaque huc referuntur. 1. Ut unica tantum ejusdem Instituti, & generis Confraternitas in Ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium institui, & aggregari possit. 2. Ut id de consensu Ordinarii loci fiat, habitisque Litteris ejus testimonialibus. 3. Ut qui Confraternitatem instituunt, vel aggregant, communicent illi Indulgentias, & gratias, quae eidem Ordini instituenti, vel aggreganti fuere nominatim concessae, non quas Ordo ipse per communicationem participat. 4. Ut Statuta Ordinum instituentium, vel aggregantium alia impartiri non possint, nisi quae Ordinarius probarit. 5. Ut formula super institutionibus, & aggregationibus, & Indulgentiarum communicationibus servetur, quam hic ipse Pontifex edidit. 6. Ut gratiae, atque Indulgentiae Confraternitatibus communicatae, praevia duntaxat Ordinarii cognitione, promulgentur. 7. Ut eleemosynas Confraternitates excipiant juxta modum ab Ordinario praescribendum, utque eas in pios unice usus expendant.

II. Quum itaque Confraternitates tunc solummodo queant legitime institui, quum accedat Ordinarii consensus, atque approbatio, siquae sunt, quibus non accesserit, edicimus, neque Indulgentiarum, neque ullo alio Apostolico aliis concesso uti posse beneficio, utcumque legitimis quibusdam, & maximis aggregatae dicerentur, sed jure ipso Confraternitates hujusmodi nullas esse.

III. Praecipimus insuper, ut suum singulae habeant Legum suarum Codicem a Nostra Sede approbatum: siqua nondum habet, quantocius conficiat, Nobisque prius offerat, quam sex ab hac Synodo edita menses dilabantur.

IV. Est in plerisque Paroeciis erecta Societas Sanctissimi Sacramenti: atque non solum ubicumque jam est ut retineatur edicimus, sed ut in omnibus, ubi nondum est, erigatur optamus, & Parochorum operam ad hoc invocamus. Hanc autem in eo potissimum occupatam volumus, quoad fieri possit, ut, quum ad infirmos Sacrosancta Eucharistia defertur, quosdam e suis constanter mittat, qui veste ipsius Societatis induti, ac facibus instructi eandem venerabundi comitentur. Erit itaque opportunum quatuor e suis Sodalibus in singulos fere menses eligi, qui ad Ecclesiam advolent, quoties Divinum Sacramentum inde fuerit ad aegrotos perferendum (2).

(1) *Const.* Quaecumque *CXV.*, *eademque Decreta in sua Paulus V. Const.* Quae salubriter *LXIII. confirmavit*, *servarique jussit*. (2) *Synod. Cresc. pag.* 135. §. In quavis.

V. Omnis in Civitate Sodalitas suum sibi Capellanum deligat, quem Nos ad hoc munus probemus (1). At in ipsius electione non oscitandum; præter reliqua enim ornamenta pietatis, ac prudentiæ, quibus esse debet instructus, ut is esset optaremus, qui posset, sin minus quovis die Dominico, saltem in solemnioribus Fratres apte alloqui. Illud autem in hisce sermonibus sibi proponat, ut eos hortetur ad pacem, & charitatem non fictam, potissimum inter se ipsos: præterea ad proprii instituti Leges accurate servandas, ac ejusdem munera alacriter, & sine mercedis humanæ spe obeunda, ad conscientiam sæpius excutiendam, eliciendosque theologicarum Virtutum actus, ad Pœnitentiam, & Eucharistiam pie, ac frequenter suscipiendam, ad sedulitatem in acquirendis Indulgentiis, ad eam denique vitæ rationem ineundam, ut non modo, quam agunt pietatis professionem nunquam apud Christianorum turbam dehonestent, sed ut populus omnis ipsos quum videat, in Christianæ vitæ officiis contineatur, & glorificet Deum Patrem Nostrum, qui in Cœlis est.

VI. Distincte mandamus, ut Capellani apud suos singuli cœtus agant de Decretis tum hujus Capitis, tum etiam de illis, quæ edentur infra ad rectam bonorum Ecclesiasticorum administrationem (2). Quidquid igitur hisce Capitibus continetur fideliter tradant, explicent, sin minus apud cœtum universum, saltem inter Ministros in Oratorio post sacra Officia congregatos separatim, ac multitudine dimissa. Ac duo huic rei tempora præfinimus. Alterum esto Dominicus dies secuturæ Officialium electioni proximus, alterum post sex inde menses; idque quotannis.

VII. Hæc Capellani; curentque præterea, ut quæ sacræ Functiones fuerint hisce in locis peragendæ summa, quantum in se est, peragantur dignitate. At quæ sibi, quæve Confraternitati liceant, quæ vetita sint, probe ediscant, præsertim ex Romanis in hanc rem Decretis in Appendice legendis (3). Ac deinde siquo ex facto oritura sit jurium præsertim Parochialium violatio, Officialibus Oratorii significent, tum ipsi plane declinent.

VIII. Poterunt quidem ii, qui ad id sunt a Nobis probati, Confessiones audire in eorum Fratrum Ecclesiis, sive Oratoriis, in quibus Confessionalis est sedes constituta; essetque id maximè ad Nostram voluntatem, ut Fratribus, ac reliquo etiam populo copia esset utendi Sacramentali Pœnitentia, ac subinde Eucharistia. In hoc igitur diligenter incumbant. IX.

(1) *Cresc. ibid.* §. *seq.* (2) *Vid. Cap. X., & XI. huj. Par.* (3) *Vid. Append. pag.* 152. *N. IV.*

IX. Ipsi autem Sodales Sodalitatis suæ Regulas, piasque consuetudines universas observent: per singulos dies festos ad Oratorium conveniant, ubi statis horis Officium cantu persolvant, Sacro intersint, alia pietatis opera exerceant. Nam qui consuetis Oratorii exercitationibus desunt, Indulgentiarum subsidio se ipsos privant. Dum autem divinas concinunt laudes, propria Confraternitatis veste se induant.

X. Iisdemque insignibus ornati omnibus iis Processionibus intersint, quibus de jure, aut consuetudine tenentur. Meminerint quod injunctum alibi est, ne pauciores unquam adsint, quam duodecim (1). In sacris hisce Functionibus digniorem locum obtineat Sodalitas, quæ est in quasi possessione juris præcedendi, aut, si hujusmodi possessio sit dubia, quæ antiquior in erectione dignoscitur (2).

XI. Quicumque sacras Functiones celebrant apud se statuant, præferre unice debere Summi Numinis cultum, & obsequium. Quamobrem non sine multa illum relinqueremus, qui, sicubi immorari contingat, per magnam suæ totius Societatis ignominiam in ejusdem veste, seu sacco ad viliores quasdam officinas diverteret.

XII. Nequis unquam quæstorem agat per fraudem nomine alicujus Sodalitii, monemus, neminem habendum legitime ad id muneris electum, qui non fuerit consecutus in scriptis facultatem a Vicario Nostro Generali. Quin etiam qui eandem facultatem habent ab Apostolica Sede, ea uti minime possunt, nisi fuerit ab eodem Vicario Nostro cognita, ac signata. Deinde quidquid seu rerum, seu pecuniarum fuerit a Sodalitii quæstoribus coactum, diligenter, fideliterque in rationum Libros referatur (3).

XIII. Tota ipsorum vita sit multitudini exemplo, atque ad virtutem stimulus. Idcirco non solum ab inhonestis actionibus, ab usuris, a turpiloquio, a blasphemiis, tanquam a facie colubri caveant, sed etiam a profanis quibusdam, inter quæ versari vix homo sine periculo queat, cujusmodi sunt compotationes, choreæ, histrionicæ scenæ, & similia.

XIV. Sed ut omnis Societas ratione, ac pietate regatur, tria maxime conferent: primum ut boni Ministri, sive Officiales creentur; alterum ut non nisi boni in Sodalium numerum cooptentur; tertium ut perturbatores dimittantur.

(1) *Vid. Cap. VII. N. III. Par. III.* (2) *Vid. Const. Greg. XIII.* Exposcit. *LXXXIV. Syn. Cresc.* 134. §. Ad Processiones. (3) *Syn. Cresc. pag.* 137. §. Ad tollendos.

XV. Est autem electio Priorum scilicet, Syndicorum, aliorumque Ministrorum post annum, vel ubi Leges, aut consuetudo obtinuit, post triennium innovanda. Atque ut legitima sit, fiat oportet in universo Sociorum conventu, per suffragia secreta; isque erit electus, in quem major suffragiorum pars consenserit.

XVI. At non alius in Priorem, Syndicum, Camerarium, & quemcumque, cui credenda facultas exigendæ, seu administrandæ pecuniæ eligatur, ac ne proponatur quidem, nisi qui ea sit ætate, fortunis, fama, fide, rebusque omnibus commendabilis, de quibus alibi (1). Deinde ex Sodalibus nullus, qui aliquod Sodalitatis munus obierit, confirmari in eo possit, aut ejus administratio, seu officium prorogari, nisi specialis Nostra, aut Vicarii Generalis facultas obtenta fuerit. In rerum procuratione tenenda, quæ sancientur alibi (2).

XVII. At de proxima hujusmodi electione in Civitate habenda mature monendi erimus, ut sive Nos, sive is, quem designaverimus, intersit, totique actioni præsit; qui Præses illud etiam sua præsentia commodum afferet, ut nisi a tertia suffragiorum collectione fuerit quisquam electus, aliquem ipse, restinctis illico controversiis, nominet. In Diœcesi hisce electionibus præerunt Parochi pro suæ singuli Parochiæ Sodalitatibus.

XVIII. Electi vero legitime, antequam dissolvatur Concilium, jurent singulatim, collata sibi munera fideliter a se administratum, rationemque ipsorum tum suis Sodalibus, tum Nobis, seu Vicario Nostro Generali loco, ac tempore redditum iri.

XIX. Jam vero alacres ad sua quique officia capessenda animum adjiciant: quorum possessionem priusquam ineant, Sacramenta Pœnitentiæ animabus expiandis, atque Eucharistiæ roborandis, impetrandoque a Deo uberioris gratiæ præsidio suscipiant.

XX. Quumque inter novos electos bini esse debeant Syndici, hi primo ipso duorum mensium spatio ab Administratoribus rerum, & pecuniarum Sodalitatis rationem postulent; quam illi sponte vel ipsa sua, si memores editi abs se jurisjurandi fuerint, exhibebunt. Hæc ratio reddenda intra quindecim dies coram aliis designatis: inque ea reddenda res omnes servari plane volumus, atque mandamus, quas infra decernimus (3).

XXI. Dotes puellis tradendæ ne cuiquam designentur vi commendationis, sed iis, quas pertinere ex instituto testantium possunt.

Inter

(1) *Nempe jux. sancita in C. X. huj. Par. N. I., & seq., quæ servanda omnino sunt in horum Official. elect.* (2) *Eod. C. X., & seqq.* (3) *Ibid.*

Inter quas ubi deliberationi sit locus, eæ seligantur, quæ pauperiores sunt, quæque moribus, ingenio, totaque vitæ ratione antecellunt. Sin agatur secus, iniquum est, neque Nos id tolerabimus profecto, sed opportunis remediis cogemur huic rei consulere.

XXII. Reliqua item onera in Tabulas Confraternitatis relata fidelissime ab ipsa perferantur. Nova tamen perpetua ne deinceps subeantur, quin Nos assensum præbuerimus.

XXIII. Sed novam præstat sufficere Fratribus decedentibus prolem, eandemque augere. Qua in re Sodales majus Dei obsequium præcipue intuentes homines bona tantum vita commendabiles, nec penitus rudes esse ad Societatem aptos judicent: contra mala fama laborantes, multoque magis a publica potestate de aliquo crimine inquisitos, elementorum Fidei Christianæ ignaros, quantumvis rogati ne audiant, atque excludant.

XXIV. In aggregando autem sic agendum est. Proposito in peculiari Congregatione omnium nomine, qui ingressum in Sodalitatem petunt, 1. hi Priorem, sive ejus temporis Præfectum Confraternitatis adeant, ac preces, ut in pium eorum Fratrum numerum cooptentur, eidem offerant. 2. Uniuscujusque rogantis nomen per dies admodum octo in Oratorio, vel in Oratorii aula scriptum prostet, ut Fratres legant, ac de singulorum moribus, vitæque ratione diligenter inquirant, remque serio ad veritatem perpendant. 3. In Congregatione generali eadem nomina publice Prior pronuntiari jubeat, atque edicat, ut de hominibus illis singulatim Socii suffragia secreto ferant, utrum cooptandi inter ipsos sint, nec ne. Qui probari majore suffragiorum numero deprehenduntur, mox erunt tirocinio addicendi.

XXV. Siquis autem a virtutis tramite deflectat, si turbas cieat, si dissidia serat, si Societati esse incipiat gravis, injuriosus, aut dedecori, & ne tertio quidem monitus resipiscat, ipse ex eorum Fratrum albo tandem delendus erit. Attamen omne Nobis hac super re judicium reservamus summatim habendum; quasque præstet pœnas infligere judicabimus.

XXVI. Jam de rerum procuratione quid omnibus Confraternitatibus mandatum sit, paulo supra innuimus. Hinc Libri sint oportet in unoquoque Sodalitio sui: nempe Libri introitus, & exitus; inventarium ordine digestum rerum omnium immobilium, semoventium, & mobilium; suisque locis significentur nomina, & eorum, qui res singulas pio Loco munerati fuerunt, tum dies, annus, &

Nota-

Notarius, qui instrumenta conscripsit. Alter introitus, & exitus. Tertius formulas exhibeat, quibus rei administratores rationem suæ administrationis identidem reddiderunt. Præter hosce sit etiam Liber, in quo nomina, & cognomina Sociorum omnium viventium recenseantur; item alter, in quo describantur consilia capta, & Decreta in Congregationibus constituta. Atque hi omnes Libri firmiter compacti servandi sunt una cum aliis Scripturis publicis, & privatis in Sodalitatis Tabulario.

CAPUT VII.

DE SACRIS RELIQUIIS, ET IMAGINIBUS.

HAbemus ex Conciliis, *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda a Fidelibus veneranda esse*: præterea *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, eisque debitum honorem, & venerationem: non quod credatur inesse aliqua iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus .... sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant.* Item, si aliquando historias, & narrationes sacræ Scripturæ exprimi, & figurari contigerit, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit (1). Quæ igitur de Reliquiarum honore, & legitimo Imaginum usu tenenda sunt, instruendi sæpe Fideles per eos, qui docendi munus, curamque sustinent, omnisque ab indoctæ plebis animis, si forte irrepseret, error penitus evellendus. Nos interim, ut debitus, ac purus, quique idcirco utilissimus Christiano populo accidat, sacrarum Reliquiarum, atque Imaginum cultus servetur, quædam ex munere Nostro commemoranda censemus.

I. Jamque Tridentinum Concilium, cujus potissimum sententiis, ac verbis loqui hac de re cœpimus, præcipit, ut omnis superstitio in Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu tollatur, omnis

(1) *Trid. Sess. XXV. De invocat., venerat., & Reliq. SS., & Sacr. Imag.*

nis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate Imagines non pingantur, nec ornentur (1).

II. Quapropter nullius hominis, utcumque virtutum, seu etiam signorum fama clarescere cœperit, Reliquias cultu publico venerari licet, quin Romanæ Ecclesiæ auctoritas intercedat: deque iis tantum concedit, quos ipsa in Sanctorum, vel Beatorum numerum retulit (2). Immo vero nullæ, vel eorum, qui inter Sanctos utique colendos recensentur, Reliquiæ ullis sive in Ecclesiis, sive in Oratoriis, etiamsi Regularium sint, publice populo ad colendum proponantur, nisi Nostra prius accesserit & recognitio, & approbatio (3). Et hæc quidem necessaria tunc est, quum in Nostram Diœcesim illæ etiam invehuntur, quæ ut solemni afficerentur honore ab alterius cujusvis Ordinarii auctoritate obtinuissent. Quod tamen non reposcimus, si quædam in Altaribus extent duntaxat ad ornatum, sine thuris, & osculi honore.

III. Est porro diligenter curandum, ut quoties sacræ Reliquiæ prodeunt, debito id fiat ritu, ut quæ Deus ipse ossa custodit, ea nos justis honoribus cumulemus. Quod ut rite perficiatur, hæc mandamus. 1. Ne Reliquia unquam ulla honoranda ponatur in Altari, in quo expositum sit Eucharisticum Sacramentum (4). 2. Neque unquam publice locetur sub umbraculo (5). 3. Qui illam sive ad Altare affert, sive inde refert, sit omnino Ecclesiasticus Superpelliceo indutus, ac plerumque Sacerdos, Stola insuper humeris adjecta. (6). 4. Si Reliquia sit insignior, uti esset totum Corpus, sive ossa omnia, vel etiam illa Corporis pars, in qua Martyr est passus, vel certe integrum Caput, vel Crus, vel Brachium, afferenda in publicum est, ac suo tempore recondenda cum aliqua ornamentorum, Ministrorum, cereorum, hymnorum pompa (7). 5. In Altari dum sacrarum ædium patent fores, ne ulla Reliquia prostet, nisi duo saltem circum ardeant cerei (8). Tandem quotiescumque exhibentur publice, plane vetamus, ne tali occasione eleemosynæ sive capsulis, sive lancibus, sive alia quavis ratione quærantur.

IV. Quum Sancti illius, cujus habetur insignis Reliquia, redit per annum dies, ejusdem Ecclesiæ Clerus Officium, & Missam ejusdem proprium recitet. Ita scilicet, modo non dubium sit Reliquiam ad Corpus Sancti illius pertinere, & nomen ejusdem esse in Romano

(1) *Ibidem*. (2) *Cap.* Audivimus 1, *De Reliquiis*, *&* *venerat. Sanctor.* (3) *Trid. ibid.* (4) *Decr. Clem. XI.* (5) *Ibid.* (6) *Plur. Synod.* (7) *S. R. C. ann.* 1628. *Urban. VIII. approban.* (8) *S. R. C.* 1701.

mano Martyrologio descriptum. De iis vero Sanctis, qui aut incerti sunt, aut nondum in Martyrologium relati, servanda quæ in hanc rem decrevit sacra Rituum Congregatio (1).

V. Sed jam neque ferendum, tam veneranda, tamque pretiosa pignora omni honore per totum illud tempus carere, quo publicam lucem non vident. Mandamus hæc itaque. 1. Ut quævis Sancti cujuspiam Reliquia apta aliqua, nec inelegante theca sigillis obsignata excipiatur; quæ, sin minus pretiosiore, saltem decente constet materie, intrinsecus vero panno serico obducta conspiciatur. 2. Nemo grandiores, insignesque Reliquias habeat in domibus privatis, sed in publicis Oratoriis, vel Ecclesiis, earumve Sacrariis. 3. Etsi nunquam locandæ sunt in Tabernaculo, quod Sacram Eucharistiam contineat, ut alibi innuimus (2), loculus tamen sit in Ecclesia, sive in Sacrario, in quo hæ honestissime conquiescant. 4. Ejus autem loculi clavis omnino sit apud ipsum Ecclesiæ Rectorem. Hoc enim eo maxime pertinet, ut nequis thecas hujusmodi non solum alio transferat, sed ne solvere quidem, sive aperire audeat. Nam prohibemus severe, nequis Reliquiarum, quæ ad Ecclesias pertinent, vel minimam partem e thecis extrahere, alteri donare audeat. Siquis vero earum, quorumcumque sint, vel minimum vendat, tantum crimen excommunicatione plectere non dubitabimus. Immo vero meminerint omnes, insignes Sanctorum Reliquias inter pretiosas Ecclesiarum res recenseri: hinc siquis, non impetrata Apostolica venia, eas alienare cogitet, is pœnas vereatur, quæ habentur in Extravaganti *Ambitiosæ* (3).

VI. Corpora Sanctorum huc, illucque etiamsi intra ejusdem Ecclesiæ septa transferre districte interdictum. At ubi necessitas, aut justa, ac rationabilis caussa translationes hujusmodi facere suadeat, consilium Nostrum prius exquiratur, ut, auctoritate Nostra, vel Sedis Apostolicæ pro diversitate eventuum accedente, rite omnia perficiantur (4).

VII. De Sanctorum vero Imaginibus, sive pictæ eæ, & planæ sint, sive extantes, sicuti cavendum est, quod cavendum accepimus a Tridentino Concilio, ita e contrario elaborandum, ut decus, majestatemque præferant, atque intuentes tum factum, quod exhibent, commode doceant, tum ad venerationem excitent.

VIII.

(1) *Vid. Decr. Gen. S. C. R. 11. Aug. 1691. in Breviar. Rom.* (2) *Par. II. Cap. IV. N. IV.* (3) *Inter Extravag. commun. Cap. unic. De rebus Eccl. non alien.* (4) *Bened. XIV. De Canoniz. SS. Lib. IV. Par. II. Cap. XXII.*

VIII. Quidquid igitur procacitatem in earum vestimentis, seu quibusvis ornatibus, multoque magis in nuditate redoleat, nequis unquam in ipsas inducat, ac sicubi inductum sit, protinus tollatur, absitque longissime. Est enim cultus, qui illis debetur, a Christiana pietate profectus, quæ quidquid sacrum non est exhorret.

IX. Sed exhorret etiam, siquid Fidelium aspectibus tanquam honorandum proponatur, quod a rerum veritate dissentiat. Itaque prohibemus pingi, aut fingi Imagines sacras, quæ dissentiant a sacra Historia. Dei Imagines, prout tradidit BENEDICTUS XIV. (1), ea tantum forma pingantur, qua se ipsum hominibus conspiciendum præbere dignatus est. Verum ne cujusquemodi Effigies in sacro loco, quorumcumque sit, veneranda populo proponatur, nisi antea fuerit a Nobis recognita, & benedicta.

X. Etsi autem non omnes Imagines populo publice colendæ exhibeantur, singulas tamen pie, diligenterque custodiri volumus. Quare ne ibi collocentur, nec ibi jacere, seu negligi sinantur, ubi pulvis, humor, situs, aliæve caussæ injuria illas afficiant. Ac potius quæ ob relata ab ipsa vetustate damna abrasæ, truncatæ, laceræ apparent, illæ aut commode instaurentur, aut penitus comburantur, quarum cineres in Sacrario deponendi (2).

XI. Quæ vero extra Ecclesias in compitis, vel plateis, vel viis proponuntur Imagines ad parietes pictæ, eæ sint e solo elevatæ, ut a quibusvis injuriis prohibeantur; & sicubi non essent ita constitutæ, inde auferantur, atque alibi collocentur decentius (3). Hasce autem Imagines, aut salutiferæ Crucis signum pingi in sordidis locis omnino prohibemus, & siqua ibidem habeantur, inde auferri jubemus (4).

XII. Siquando vero fiat, ut hisce Imaginibus ut ut in pariete alicujus privatæ domus depictis munuscula, & pecuniæ obferantur, edicimus, oblationes illas, quæcumque sint, non ad ejus fundi possessorem pertinere, sed ab iis tantum, quos Nos designaverimus, omnes fore colligendas, & administrandas (5).

XIII. At commovetur vehementer multitudo, siquando in suspicionem veniat portenti ante sacram aliquam Effigiem patrati. Et quoniam popularis turba nihil, nisi inordinatum plerumque petit,

(1) *Const.* Sollicitudini Nostræ *CXLI. Bull. Tom. I.* §. 12., *& seqq.* (2) *Synod. Cres. pag.* 33. §. Si quas. (3) *Synod. Cresc. ibid.* §. *seq.* (4) *Plur. Synod. Lambert. Inst. LXXIII. n.* 11. (5) *S. C. C. in Portugallen.* 1727., *& alias. Vid. Cap. IV. N. V. Par. III. huj. Synod., & ibi citat.*

Parochus ſtudeat eam qua poteſt aptiore ratione prudenter compeſcere, remque totam communicare Nobiſcum, ut, quid ad Dei gloriam, & Sanctorum honorem fieri expediat, deliberemus (1). Interim edicimus, nemini licere nova miracula promulgare, niſi ea prius a Nobis recognita, & approbata fuerint (2).

XIV. Quod ſpectat ad Imagines, & cultum eorum, qui nondum fuere inter Sanctos, aut Beatos ab Eccleſia relati, ſervanda Decreta ab URBANO VIII., aliaque ab Apoſtolica Sede edita (3).

XV. Qui ſacris Iconibus convenientior eſt locus ſunt Altaria, ac Templorum parietes, tum ut illis honor deferatur a plurimis, tum ut populus tacite de divinis Myſteriis, deque Sanctorum geſtis edoceatur. Non ſola tamen apta illis loca ſunt Oratoria, ac Templa; ſed etiam privatorum cubicula; atque utinam nulla ſigna, vel tabulæ in Chriſtianorum domibus aſſervarentur, quæ profanum quidquam exhiberent, ſed univerſa ſupellex pietatem, modeſtiam, virtutem denique præſeferrent, quibus rebus ad recte facta intuentium animi allicerentur! At certe nemo ædium ſuarum atria, vel conclavia ornari exiſtimet, ſed vere dehoneſtari, quum minus honeſtum quidpiam ibi conſpiciatur. Quapropter Parochorum ſit curare, ut nemo e ſuis hanc ſibi turpitudinem aut acquirat, aut non deleat (4). Omnes autem vehementer hortamur, ut in iis, quæ inhabitant, cubiculis pias Imagines retineant, quarum conſpectu ad pietatem excitari facile queant.

CAPUT VIII.

DE TESTAMENTIS, ET LEGATIS PIIS.

AD juſtitiæ virtutem ſpectat, ſupremam hominum in vita voluntatem a ſuperſtitibus perfici. Siqua vero, etiamſi non ultima eſſet, propius ad ſpiritualem ipſorum utilitatem, aut divini Numinis cultum referatur, ad juſtitiam accedit pietas tum erga illos, tum erga ipſum Deum: quæ duo conjunctim infinita pæne dixerim vi urgent, utque hujuſmodi voluntates accurate impleantur, compellunt. Hæc in medium ideo adducimus, ut hæredes, atque alii, quos opus ſubinde erit compellare, facile intelligant, quanta

(1) *Synod. Creſc. pag.* 33. §. Nemini. (2) *Leo X. Conſt.* Supremæ. *Trid. ibid.* (3) *Vid. Bened. XIV. De Canoniz. Sanctor. Lib. II. Cap. II.* (6) *Vid. Cap. V. N. VII. Par. IV.*

quanta Nobis cura prospiciendum sit, ne frustra a Tridentino Concilio (1) imperatum videatur, ut *Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tum in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores.... ut omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum Statuta cognoscant, & exequantur*. Huic itaque Decreto inhærentes hæc in re tanti momenti ad observandum proponimus.

I. Ac primo hæredes ipsi, iique omnes, quibus aliorum voluntates implendæ committuntur, omnem in eo operam collocent, ut quanta maxima possunt diligentia, atque celeritate, quod sibi commissum est, omnino perficiant.

II. Sæpe Testator tempus, quo suam de pia quacumque caussa voluntatem mavult impleri, aperte præfinit: ne igitur hæredes effugere sibi tempus hujusmodi sinant; efficiantque præterea, ut in Cancellaria Nostra rite constet, piis illis voluntatibus fuisse satisfactum (2). Si vero hæredes intra tempus a Testatore præscriptum neglexerint pia Legata persolvere, aut si, nullo certo tempore a Testatore præscripto, hæredes ipsi, aut executores saltem infra annum eisdem nondum satisfacere instituerint, sciant, tunc hujusmodi Legatorum exequendorum curam ad Nos pertinere (3), qui certe omnem operam dabimus, ut pia voluntas perficiatur. Quod Synodale Decretum necessariæ cujusvis monitionis habere vim volumus.

III. Maxima plerumque Legatorum piorum pars sunt onera Missarum. Quanta cura ferenda sint, atque implenda, sive perpetua ea sint, sive temporaria, jam pluribus alias decrevimus (4). Hic quædam tantum monemus. 1. Si Testator non satis aperit, quem ipse Missarum numerum malit, non est hæc res ab hæredibus arbitranda, sed Nostrum erit decernere. 2. Si Testator nullam certam destinavit Ecclesiam, in qua hujusmodi Missæ celebrentur, nisi alia verosimilius ex ipsius mente colligi possit, in Ecclesia vel Parochiali, vel in qua ipsius ossa quiescunt, satis huic oneri fiat. 3. Si tota res sit aut hæredis, aut Parochi arbitrio relicta, ne extra Diœceseos Nostræ fines Nobis insciis hujusmodi Missæ celebrentur (5).

(1) *Trid. Sess. XXII. Cap. VIII. De Ref.* (2) *Synod. Cresc. pag.* 154. §. Quamobrem. (3) *Cap.* Nos quidem 3., & Tua Nobis 17. *De Testamentis*. (4) *Vid. Par. II. Cap. V. N. XXIII., & seqq. Item Par. IV. Cap. III. N. IX.* (5) *Vid. Synod. Cresc. pag.* 155. §. Si Testator: *quomodo se gerat Parochus, quoties supersunt in Capsul. pro Defunctis eleemosyn., dictum Par. II. Cap. V. N. XXIX.*

Hoc enim neceſſarium eſt, ut facilius cognoſcere poſſimus, fuerintne Miſſæ celebratæ, an non, quo Altari, quo die.

IV. Quod ſiquando pia Legata aliquo facti, ut ajunt, vel juris impedimento impleri vere non queant, nequis idcirco ea caduca fieri per ſe ipſe cenſeat. De hoc Parochi hæredes, eoſque omnes, qui eorum executionem urgere, aut juvare tenentur, graviter moneant, nequid in iis proprio judicio deſerere, aut immutare audeant. Tum potius quærendum, num commutationi locus ſit in aliud opus æque pium, quod Teſtantis voluntati magis accedat. At auctoritate ad id opus eſt Eccleſiaſtica: quare ad Nos confugiendum, ut, quando juſtæ cauſſæ, ne præſcripta illa ſerventur, impediant, quid facto opus ſit, juxta Canonicas Sanctiones decernere valeamus (1).

V. At ſi impedimentum tale contigerit, poſtquam Teſtantis voluntas impleri cœpta eſt, nempe propterea quod diminuti fuerint reditus, vel fundi in deterius vergant, tunc ab Apoſtolica tantum Sede petenda ſeu moderatio, ſeu contractio oneris a Teſtatore præſcripti (2). Ex quo quiſque facile intelliget, nemini liberum eſſe Miſſarum onus contrahere.

VI. Quemadmodum nullus pius Locus, neque ulla Eccleſia accipere poteſt Legata, ſeu donationes rerum, aut jurium, quibus ſit impoſitum munus perpetuo duraturum (3); ita nemini liceat hæreditates, vel etiam Legata adimplenda alicui Loco pio, aut Eccleſiæ relicta nomine ipſius Loci pii, aut Eccleſiæ repudiare. Utrumque an expediat, quidque in hiſce rebus agendum, Noſtrum eſt deliberare (4). Alterum enim illos magnæ imprudentiæ, nimiæque licentiæ damnaret, alterum obnoxios faceret ſaltem reſtitutionis periculo. Quin immo quum ſcriptum ſit: *noli prohibere bene facere eum*, *qui poteſt* (5), nemo a pio iſto opere deterrendus, nemo avocandus quoquomodo, niſi forte majus Dei obſequium ſuadere aliter videretur.

VII. Verum ut piæ Teſtantium voluntates perficiantur, neceſſe eſt, ut ii, ad quos pertinere poteſt, aperiri ſibi confeſtim jubeant teſtamenta, codicillos, qui fuere Notariis traditi, quique apud ipſos aſſervantur. Haud raro fit, ut hæredum incuria, ſæpe etiam fraude,

(1) *Trid. Seſſ. XXII. De Ref. Cap. VI.*, & *Seſſ. XXV. De Ref. Cap. IV. Barboſa De offic.*, & *poteſt. Epiſc. alleg.* 83. *cum ſeqq. Monacell. Tom.* 2. *Tit.* 13. *Form.* 7. *n.* 11. *S. C. C. in Soran.* 25. *Jun.* 1620. *relat. a Criſp. de Viſit. Par. II.* §. *XIV. n.* 1. (2) *Criſpin. ibid. n.* 2. (3) *S. C. C. in Celſon.* 22. *Julii* 1741. (4) *Vid. Monacell. Tom.* 1. *Tit.* 5. *Form.* 15. *n.* 21., & *S. C. C. in Cremon.* 25. *Jul.* 1707. (5) *Proverb.* 3. 28.

fraude, ac dolo hujusmodi testamenta obsignata diu, multumque supersint, piæque voluntates debita voluntate frustrentur. Hanc quoque rem urgeant apud suos animarum Pastores, moneantque, si de tali negligentia Curiæ Nostræ constiterit, a Nobis id aliquando perfectum iri, quod officii Nostri munus postulat.

VIII. Interim districte præcipimus omnibus, & singulis Notariis, Cancellariis, aliisque, qui testamenta, seu codicillos conscribunt, vel recipiunt ex jure, ut Legata ad pias caussas ibidem contenta intra tres menses a die, quo codicillus, vel testamentum est publicatum, Nobis, vel Vicario Nostro Generali denuntient. Quod si hujusmodi Legata ultra decem annos protendantur, præter gravem culpam, Nobisque reservatam, quam contrahunt ii omnes, qui denuntiare intra memoratum tempus negligunt, ipso facto excommunicati sint; neque hoc vinculum alius, præter Nos, solvat.

IX. Archiepiscopalis vero Noster Cancellarius hasce denuntiationes suis accurate adjunctis instructas in Librum ad id unice comparatum redigat.

X. Illud quidem sacris fuit Canonibus constitutum (1), ut testamenta, quæ Parochus cum tribus, vel duobus etiam solis testibus idoneis sive ad pias, sive ad alias caussas rogatus conscripsisset, rata essent, ac firma. Immo receptum communiter est, nomine proprii *Presbyteri*, quo utitur decretalis Epistola, comprehendi ordinarium Testantis Confessarium. Utrum vero etiam Confessarius extraordinarius, & Capellanus Curatus, non æque certum est (2). At volumus, ut hac in re caute in primis, ac prudenter se gerant Sacerdotes Nostri, &, quatenus sine aperta charitatis injuria facere possint, ne operam suam ponant. Hinc juxta prudens Sancti Caroli monitum in Civitate, ac in Pagis, & ubicumque etiam copia Notarii, & testium non deest, satius est, ut ab hoc se munere liberent (3); nisi forte moriturus disponere vellet unice ad animæ suæ utilitatem, vel ad caussam piam (4).

XI. Quod si necessitas cogere ipsos videatur, hæc semper præ oculis habeant. 1. In ciendis testibus, eorumque numero deligendo, in exploranda Testantis voluntate, in subscriptionibus, in recognoscendis coram Testante quæ scripta fuerunt, ea omnia serventur, quæ

(1) *Ex Cap.* Cum esses 10. *De Testamentis*. (2) *Lambert. Inst. CV.* §. 9. (3) *Conc. Provinc. V. Par. II. Quæ disciplinæ ratio Parocho, & Sacerdotibus curationis publicæ tenenda sit*. (4) *Synod. Cresc. pag.* 156. §. Ut damnis *sub finem*.

quæ fuſe tradit Inſtructio in Appendice edenda (1): ac ſi Confeſſarius extraordinarius, vel Capellanus Curatus teſtamentum conſcribat, tres ſibi ipſi idoneos teſtes adjungi jubeat. 2. In hiſce teſtamentis conſcribendis ea forma utantur, quæ Appendici ſubjicietur (2). 3. Ne cuiquam commendent, ut aliquid ſibi, vel Eccleſiæ ſuæ dono detur. 4. Parochi omnes habeant Librum, in quo ſcribant teſtamenta, & codicillos, quos ipſi ad ſacrorum Canonum normam condiderint; & ipſi, & teſtes, qua ratione potuerint, ſe ſe ſubſcribant. At ipſis, quemadmodum Deceſſori Noſtro Creſcentio viſum eſt (3), diſtricte præcipimus, ut exemplar ita ſubſcriptum ad Cancellariam Noſtram intra menſem a Teſtatoris morte tranſmittant, ut quod juris eſt urgere poſſimus. Interim ſiqua habeant apud ſe hujuſmodi teſtamenta, ea ſimiliter intra menſem, ut in Cancellaria reponantur, efficiant; quæ reliquis Sacerdotibus omnibus, qui teſtamentum excipiunt, injuncta volumus.

XII. In Legatis vero piis (verbis utimur Concilii Romani), & quæ ab ægrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque ſolent, ut fraudes, liteſque evitentur, teſtes etiam in eodem numero adhibeantur, coram quibus Teſtator, ſe quædam ad pias cauſſas eroganda, ſuo prout Parocho, ſeu Confeſſario injunxit, ita velle declaret; talique declaratione pia Teſtatoris diſpoſitio ſuum ſemper ſortiatur effectum (4).

CAPUT IX.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

QUandoquidem in hoc etiam mortali ſæculo *non adimit Chriſtus, ſed decernit operanti mercedem ſuam, & qui Altari deſervit, de Altari & vivet* (5), addictos Eccleſiæ Miniſterio viſum eſt, non propriis ſtipendiis, ſed Eccleſiaſticis fructibus ſuſtentari debere. Quapropter illa bona, quæ pro ſua pietate Fideles Chriſti Eccleſiæ ſunt elargiti, in quaſdam olim partes diſtributa fuere, qua-

rum

(1) *Vid. Append. pag.* 176. *N. IV.* (2) *Ibid. pag.* 175. *N. III.* (3) *Syn. Creſc. pag.* 156. §. Teſtamenta. *Idem ap. Syn. Fulg. Cap. XXIV. N. XVI. Plur. ap. Monacell. Tom. I. Tit.* 10. *Form.* 19. *n.* 30., *& ſeqq.*
(4) *Conc. Rom. Tit. XX. Cap. I. Ex Cap.* Relatum 11. *De Teſtamentis.*
(5) *Conc. Colon. Par. I. Cap. XIII.* 1536.

rum una ſacris Miniſtris alendis impenderetur, reliquæ in Altarium ornatus, ac in pauperes tribuerentur. Atque hæc tota adminiſtratio ab iis gerebatur, quos Epiſcopi præfeciſſent: hi autem res eo conferebant, ubi major modo neceſſitas, modo virtutes, ac merita poſtulaſſent. Sed quum ex hac ipſa bonorum adminiſtrandorum ratione plura incommoda manare cœpiſſent, hiſce Majores noſtri occurrendum cenſuere, ſi rerum iſta communione ſublata bona in ſingulos ex Paſtorum Eccleſiæ voluntate ſic diviſa fuiſſent, ut meritorum certe ratio haberetur, ac ſingulis quæ portio obtigiſſet, procuranda penitus committeretur; jamque iſtiuſmodi bonorum portiones nomen Beneficiorum Eccleſiaſticorum obtinuerunt. Hæc ſub ipſum hujus Capitis exordium commemorare placuit, quo magis pateat, inque Clericorum omnium animis confirmetur, cavendum maxime eſſe, *ne ea, quæ Eccleſiaſticis tradita ſunt Miniſteriis pro remiſſione peccatorum, aut aliis aptanda officiis, aliquis propria cupiditate, aut potentum terrore, parentumve procuratione ad alios uſus detorqueat, ne forte, quod aliis extat remiſſio peccatorum, ipſis ſit damnationis augmentum* (1). In hanc rem vix quidquam amplius Nobis agendum eſt, quam quæ Prædeceſſor Noſter Creſcentius ſtatuit in hunc locum referre.

I. Ubi primum fuerit Eccleſia quæpiam ſuo viduata Paſtore, ſitque ad eam ineundus concurſus, Edicta affigi jubebimus, quæ concurſus tempus præfiniant: quique Spiritu Sancto duci videantur, ut earum animarum curam ſuſcipiant, velintque cum reliquis examen ſubire, triduo ſaltem ante examen ſiſtant ſe Cancellariæ Noſtræ, ſimul etiam offerant reliqua requiſita, quæ ſolent offerri, ſeque Nobis præfinito tempore, vel Vicario Noſtro Generali per Examinatores Synodales examinandos conſtituant; ſicque ex iis, quos Examinatores Synodales probaverint, eum renuntiabimus Parochum, quoties ad Nos libere ſpectabit, quem in Domino digniorem judicaverimus. Una vacantis Eccleſiæ utilitatis, & petentium meritorum ratio habebitur: quo circa commendationes, ſeu coram ab ampliſſimis, graviſſimiſque hominibus, ſeu per litteras, ut alibi monuimus (2), inanes fore apud Nos prædicimus.

II. Beneficia Canonici Theologi, & Pœnitentiarii non alia conferentur ratione, quam concurſu præhabito, omnibus ſervatis, de quibus BENEDICTUS XIII. (3).

III.

(1) *Conc. Aquiſgran. II. Cap. 2. Can. 7.* (2) *Par. IV. Cap. V. N. II.* (3) *Conſtit.* Paſtoralis *in Append. Conc. Rom. N. II.*

III. Ii omnes, qui gaudent legitimo jure aliquem præſentandi ad Beneficia Eccleſiaſtica, nempe Patroni, ne omittant eum, quem ipſi elegerint, Nobis offerre, ſeu præſentare intra tempus a jure præſcriptum. Hoc enim præterito, jam electione ad Nos devoluta, ſuo tunc jure cadent (1). Eum ſemper Clericum præſentent, cujus ea ſit vitæ probitas, ætas, ſcientia, quam ſacri Canones exigunt, ac de quo probabilis ſpes affulgeat, illum Deo, & Eccleſiæ gratum eſſe famulatum exhibiturum. Itaque neminem ante Nos ipſi conſtituant, quem hiſce rebus præditum non ipſi prius cognoverint (2).

IV. At quum præſentatio facienda ad Beneficium curam animarum afferens, Patronos monemus, ac per viſcera Jeſu Chriſti vehementer obſecramus, ut quem ipſi nominaturi ſint multo ſane diligentius explorent. Ne Clerici in ſuam familiam promerita, ne amicorum, conſanguineorum commendationes, alioſve carnis, & ſanguinis affectus quidquam apud ſe valere patiantur, ſed, hiſce omnibus plane poſthabitis, quem digniorem, & Eccleſiæ utiliorem judicaverint, eum inſtituendum proponant, ne mali Paſtoris vades veluti effecti, alienis peccatis communicent, & ſeveriſſimam æterno animarum Paſtori rationem reddant.

V. Præterea ſevere cautum, ne Patroni Beneficium vacaturum cuiquam promittant, ſive de illo paciſcantur. Hæ namque promiſſiones, ſive pactiones, præterquamquod ipſo jure nullæ ſunt, ut ut juratæ (3), acriorem etiam Prælatorum Eccleſiæ iram, & pœnas provocant. Multo ſeverius cautum, nequid hac occaſione recipiant ab eo, qui præſentari petit, ſive ab aliis hoc ipſo nomine, etiamſi ſponte oblatum fuerit. Nam plecterentur gravibus pœnis, ac præſertim excommunicatione, cujus ſolutio eſſet ab ipſo unice Pontifice Maximo impetranda.

VI. Similiter deinde qui ſibi Beneficium Eccleſiaſticum quærunt, animadvertant, ſe deteriore, quam ſimoniacos Patronos, conditione eſſe, ſiquando ſimoniacum ipſi aliquid committant. Nam præter formidandas cenſurarum pœnas eſt a Beneficio ſtatim decedendum, neque expectanda ab ullo Judice ſententia, ſed amplius retineri Beneficium legitime nequit. Omnes itaque, quoties de Beneficio

(1) *Prout in Cap.* Quoniam 3., *& Cap.* Cum propter 27. *De jure Patronatus*, *& Cap. unic. Tit. eod. in 6.* (2) *Vid. Trid. Seſſ. XXIII. Cap. VI. De Ref. Idem Seſſ. XXIV. Cap. XII.*, *& XVIII. De Ref. Vid. Bened. XIV. De Syn. Lib. IV. Cap. VIII. n.* 8., *&* 9. (3) *Cap.* Cum dilecta 16. *De conceſſ. Præb.*, *& Cap.* Deteſtanda 2. *eod. Tit. in 6.*

neficio cogitant, a pactionibus, promissis, muneribus, dolis, fraudibus, iisque omnibus, quæ simoniacum quid sapiant, a beneficialibus præsertim, ut ajunt, confidentiis prorsus abstineant, ne Omnipotentis Dei iram in se concitent, severissimasque pœnas subire cogantur (1).

VII. Quum autem pacifica Beneficii possessio perturbari injuste possit, etsi a Jure sit aliquando permissum hanc, pacta, seu tradita pecunia, injuriam avertere; quum res tamen sit periculi plena, prohibemus, ne fiat id Nobis inconsultis (2); quippe qui vel commodiore aliqua ratione consulemus, vel saltem id ipsum concedemus, si citra omne periculum fieri posse intellexerimus.

VIII. Sunt autem interdum, qui de Beneficio dimittendo, vel permutando cogitant. Ac generatim nisi justa adsit caussa, quæ Ecclesiæ utilitatem respiciat, resignationes hujusmodi neque permitti, neque probari queunt (3): in Nostris autem manibus nullæ, nisi puræ, nullaque conditione affectæ resignationes fieri possunt (4). Quod ad Parochiale Beneficium, nemini illud resignare, seu ad aliud concurrere permittemus, nisi post trium annorum ab ejusdem susceptione intervallum, uti Decessori Nostro Crescentio visum est (5).

IX. Siquando Beneficiorum renuntiatio fiat cum reservatione pensionis, interveniente Apostolica auctoritate, meminerint omnes, improbari penitus, ac tanquam simoniacum haberi pactum de ipsa pensione remittenda, sive abolenda, certa pecuniæ summa erogata; quamvis id unice fiat, propterea quod aliquis cesserit commoditati percipiendi fructus reservatæ pensionis: in utroque enim casu (præter pœnam privationis omnium Beneficiorum, in quam ipso jure, & nulla Judicis sententia expectata uterque incidit, & inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda) pecunia a resignante ob alterutram ex iis caussis percepta restitui debet, eroganda in pios usus Episcopi arbitrio (6).

X. Beneficio potiti in eam toti curam incumbant, ut vitæ probitate, atque moribus se commendabiles præbeant. Tonsuram, atque habi-

(1) *Pius IV. Const.* Romanum Pontificem *LXXXV.*, & *Pius V. Const.* Intolerabilis *LXXXV.* (2) *Extant in hanc rem duo textus in Cap.* Dilectus 28. *De Simonia*, & *in Cap.* Matthæus 23. *eod. Tit.*, *qui videntur contrarii*; *eos autem præclare explicat Lambert. Inst. LXXXXIII.* (3) *Cap.* Nisi cum pridem 10. *De renuntiatione*; & *Const. S. Pii V.* Quanta Ecclesiæ *LVIII.*, *ubi probant. caussæ*, *quas Innoc. III. affert memorat. Decretal. ob dimittend. Cathedr. Eccles.* (4) *Vid. Trid. Sess. XXV. Cap. VII. De Ref.* (5) *Cresc. pag.* 145. §. Sicut. (6) *Bened. XIV. Const.* In sublimi *XXX. Bull. Tom. I.*

habitum Clericalem nunquam dimittant (1). Horas Canonicas sive privatim, sive publice in Choro, prout fert Beneficii ratio, quotidie rite persolvant (2). Qui residere tenentur, ne sanctissimam, gravissimamque Legem violent (3). Quæ sunt sui muneris partes, quæ Missæ celebrandæ, quæ onera ferenda, ea omni fide, ac religione impleant (4). Ecclesiarum suarum, seu Altarium ornatus, atque decoris, totiusque Fabricæ, uti fert jus, curam suscipiant (5). Fundos quoque, resque omnes crebro perlustrent, instaurent, atque augere studeant, aut saltem ne in deterius prolabantur efficiant. Tandem nequod Beneficii juribus detrimentum aliunde afferatur, sedulo prospiciant (6). Hæc summatim: nam suis quæque locis sunt fusius ad cognoscendum, servandumque proposita.

XI. Maxime vero meminerint, nihil esse, quod sacri Canones tantopere Clerico, qui sit Beneficium assecutus, inculcent, quam ut postquam Beneficii fructus in moderatam sui sustentationem insumpserit, reliquos omnes in pios usus expendat. Hinc Beneficiati omnes gravissima ea Tridentini verba sæpe sibi proponant (7): *omnino vero* Sancta Synodus *eis* (videlicet Episcopis) *interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum caussa.... Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quam Regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit*. Ex quibus cum Sanctissimo Antistite Carolo Borromæo Nostros omnes, qui Beneficia sunt consecuti, monemus, & qua eos complectimur charitate obsecramus, atque obtestamur, ut ne in re tanti momenti sibi ipsis blandientes Ecclesiasticis proventibus male utantur. *Dubitare* enim *non debent* (ut ejusdem Sancti Antistitis verbis utamur (8)), *ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam quibus divini cultus ornatus*,

(1) *Vid. Cap. I. N. IV. Par. IV.* (2) *Vid. Cap. V. N. I., & seqq. Par. III.* (3) *De Residen. Canonicor. Par. III. Cap. V. a N. X., de Parochorum residen. Par. IV. Cap. V. N. XXXV.* (4) *Plur. de Missar. oneribus Par. II. Cap. V. N. XXII., & seqq., & Par. IV. Cap. III. N. IX.* (5) *Par. V. Cap. I. N. X.* (6) *Uti tot. Cap. X., & XI. huj. Par.* (7) *Trid. Sess. XXV. De Ref. Cap. I.* (8) *Conc. Prov. I. Par. II. quæ pertinent ad bonorum, & jurium &c.* §. Ii vero.

natus, & ſplendor conſervaretur, & pauperum inopia, & indigentia ſublevaretur..... Ex eo vero, quod ſupererit, ſi neceſſaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant, ſe, quos non paverint, occidiſſe, atque ob violatam ſanctiſſimæ charitatis Legem mortale peccatum commiſiſſe, quo ſibi iram in die iræ theſaurizaverunt.

CAPUT X.

DE BONIS LOCORUM, ET OPERUM PIORUM RECTE ADMINISTRANDIS.

SEd quum in hac mortali vita neque ſacrorum Miniſtrorum ſuſtentationem, neque ſacrarum rerum, ac officiorum ſplendorem, dignitatemque tueri, neque pauperibus Chriſti opem ferre valeamus, ſi rebus, fortuniſque humanis hæc pia opera deſtituantur, a populorum pietate non deeſt Eccleſiæ, quod in uſus hujuſmodi conferat. Verum a quibus, & qua ratione hæc bona utpote *Res Deo dicatæ* (1), *Depoſita pietatis* (2), *Patrimonium Chriſti* (3), non ut res propriæ, ſed *Dominicæ, & a Deo commendatæ* (4) adminiſtrentur, a ſacris Canonibus, atquæ ab Eccleſiæ Paſtoribus decretum fuit; quæ Nos ut tueamur, tum in medium afferemus, tum illuſtrabimus, atque communiemus.

I. Ac primo quotieſcumque de iis agatur, quibus hæc bona adminiſtranda credantur, præcipimus, ut homines eligantur probi, prudentes, induſtrii, qui bona ſtabilia poſſideant, ſintque integra fama. Ad id vero non eligendi filiifamilias, itemque minores annis viginti quinque, neque ære tunc obſtricti erga pium aliquem Locum: item quicumque vel ex priori Sodalitatis adminiſtratione, vel alia ratione pecuniam, aut aliam rem quamlibet Sodalitio debet, aut ejuſdem bona conduxit, ad nullum pii Loci munus, in quo gerenda ſit rerum, bonorumve adminiſtratio, admittendus, niſi quidquid debet prius ipſe ſolverit, aut conductionis tempus expleverit.

II. Sed neque adminiſtrationem electi aggrediantur, quin & munus abs ſe fideliter geſtum iri jurent, & hujus rei dent prædem, & ſatis aptum illum quidem (5), quo facto rei procurationem capeſſent,

(1) *Conc. Pariſ. Lib.* 1. *Cap.* 15. (2) *Tertull. Apolog. Cap.* 39. (3) *S. Bernard. Serm. ad Paſtor. in Synod.* (4) *Id. Conc. Pariſ. ibid.* (5) *Creſc. pag.* 140. §. Illi etiam.

pessent, cujus rationem Nobis, aliisve a Nobis destinandis, quoties requisiti fuerint, reddere tenebuntur (1).

III. Interea efficiant prorsus, ac ne omissis quidem, si opus sit, Juris remediis, ut suis debitor quisque temporibus sua cum pio Loco nomina dissolvat; tum ne proventus facile vendant sola ementis fide contenti; omnique in contractibus ineundis utantur diligentia, ut in pii Loci utilitatem cedant (2). Quidquid enim incommodi ex debita cautione neglecta in pium Locum dimanarit, suis ipsimet Administratores fortunis resarcient.

IV. Quæcumque pecuniæ summa ex Legatis, censuum redemptione, aut alia ratione pio Loco proveniat, eo nempe onere, ut rite investiatur, nemo privatus eam apud se habeat; sed in Monte Pietatis, vel apud Campsorem confestim deponatur, inde non tollenda, nisi ut ad fructus denuo ferendos rite collocetur. Debet autem intra mensem harum rerum omnium moneri Cancellaria Nostra; ac simul agendum a Confraternitatum Prioribus in Congregatione de nova sorte investienda: quodque Congregationi placuerit, Nobis significandum, ut de contractus utilitate, & securitate certi ipsius ineundi facultatem largiamur, quam scriptis largiri ad Nos unice spectat. Hoc etiam loco prohibemus districte, nequis Administrator hasce pecunias in propriam commoditatem convertat, etiamsi illi animus sit totam quamprimum reddendi. Item ne penes se ipsum notabilem pecuniæ summam ad Loca pia spectantem retineat: ea contentus sit, quæ singulis mensibus in usus quotidianos est necessaria, reliquam omnino deponat.

V. Eæ autem sortes, quum fuerit Nostra facultas obtenta, non collocentur, nisi in emendis bonis stabilibus, frugiferis, & nulla hypotheca gravatis, aut in locis Montium, sive censibus quamtutissimis. Ac speciatim quod ad census prohibemus severe, ne ullus ematur ab Administratoribus Loci, ac neque ab eorum consanguineis, sive affinibus in primo, vel in secundo, & tertio gradu: deinde volumus, ut quicumque sit idoneus venditor census, non modo se, resque suas obliget, sed etiam idoneam cautionem præbeat (3). Quemadmodum etiam universe vetamus, ne Ministri per se ipsi neque per alios a pio Loco, cujus bona procurant, quidquid emant, aut conducant, ac neque eidem locent, aut vendant (4). Quibus sane

---

(1) *Trid. Sess. XXII. Cap. IX. De Ref.* (2) *Vid. infra N. VIII.* (3) *Vid. Synod. Cresc. pag.* 140. §. Investimentum. (4) *Vid. Synod. Cresc. pag.* 43. §. Ad occurrendum *sub finem*.

ſane in rebus cavendum ſtudioſe, quum aut fictæ perſonæ, aut fraudes adverſus has Leges objici poſſint. Nos certe, quotieſcumque iſtiuſmodi contractibus aut Officiales ſe ſe, aut ſuos immiſcuiſſe cognoverimus, tum de officio dejiciemus, tum nullo unquam ejuſmodi munere dignos habebimus: &, ſiquando ſors, ſive fructus ex neglectis hiſce Decretis interierint, recta Adminiſtros ipſos talibus damnis reparandis obnoxios faciemus.

VI. Curent Syndici, ut qui pio Loco aliquid debent pecuniam ſolvant potius in Monte Pietatis, vel apud Campſorem ad pii Loci creditum, quam brevi, ut ajunt, manu.

VII. Jam vero reditus in ea fideliter convertendi, quæ pius Locus ſibi ex Benefactorum voluntate præſtanda ſuſcepit. Quod quidem Præſidum diligentia fore non dubitamus; neque eos unquam paſſuros confidimus, ut in res effundantur inutiles, voluptarias, minuſve quam opportunas, quæque divini Numinis cultum, & veram pauperum utilitatem reſpiciunt. Quare Syndici ne conniveant nimis in ſumptibus, quos minus neceſſarios noverint, & ſiquid hac in re nimium ab ipſis petatur, Nos ipſi moneri volumus.

VIII. Sed nequis abuſus ſpecie neceſſitatis obrepat, mandamus, ne in ullo pio Loco Nobis ſubdito extra ordinem fiant expenſæ, pluſquam aut conſtituimus alibi (1), aut in ſingulis Locis conſtituendas curabimus. Nam reparationes, majoris momenti emptiones, aliave commoda, quæ comparare, vel incommoda, quæ avertere opportunum cenſeatur, non niſi de Noſtro conſenſu fieri poſſunt.

XI. Jam novi rerum Adminiſtratores (uti de Confraternitatibus juſſimus alibi (2)) ad ſummum quovis triennio creandi, niſi aliter Nobis videatur, aut in fundatione cautum ſit (3). At qui emenſi ſunt adminiſtrationis tempus rationum Libros novis Officialibus offerent intra dies ab officio dimiſſo quindecim: ibi dilucide agatur quidquid acceptum, & quidquid datum fuit; inſuper ſiquid moliti ipſi ſunt, ſed nondum deductum ad exitum. Rationes iſtas ſedulo, nec leviter percurrant Syndici coram aliis deputatis; quorum præcipue ſtudium in eo erit, an immodice aliquid, ac ſine cauſſa, an ex arbitrio, multoque magis an contra Inſtituti Leges, aut Benefactorum voluntatem actum ſit. Quin immo ea etiam notent, quæ, quamvis geſta dicerentur juſſu, vel adprobatione Congregationis, detrimentoſa reapſe pio Loco ſunt. Si recte habita admini-

(1) *Cap. VIII. N. LXXXIX. Par. IV.* (2) *Cap. VI. huj. Par. N. XV.* (3) *Syn. Creſc. pag.* 140. §. Triennio.

administratio, dimittendi cum laude: sin minus, cogendi, ut suis ipsi sumptibus illata damna reficiant. Ad hæc novi Officiales subscribant inventarium bonorum pii Loci, quod ipsis a veteribus exhiberi debet, vel novum fideliter conficere ne omittant.

X. Tandem meminerint, Nobis etiam, vel a Nobis deputandis rationum Libros quotannis exhibendos, ut de tota administratione in iis Congregationibus, quæ singulis mensibus coram Nobis hac de re haberi solent, judicare possimus (1).

CAPUT XI.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

QUum itaque de Ministrorum, ipsorumque ratione ea generatim constituerimus, ex quibus Ecclesiastica res non modo in deteriorem nunquam locum prolabatur, sed augeatur magis, sequitur, ut proponamus quod hac in re gravissimum est, atque adeo dignum, quod sacri Canones maxime intuerentur. Etsi enim cuique proclive sit intelligere, res sacris designatas ad usus minime sacros aliquando sive de industria detorqueri, sive per incuriam devolvi non posse, fuerintque alienationes hujusmodi omni semper Jure prohibitæ, attamen multa distinctius hac super re & sacri Canones, & Pontificum Constitutiones sancienda duxerunt, quæque hoc ipso loco commemoranda suscipimus. Nam in sacris hisce Legibus custodiendis, tuendisque Nobis potissimum cura est adhibenda.

I. Ac præter Decretales Epistolas, quas hac super re habemus, enucleatius locutum fuisse accepimus PAULUM II. (2). Ipse enim omnium bonorum Ecclesiasticorum, & rerum non modo immobilium, sed etiam mobilium pretiosarum alienationes, distractiones, & pacta, per quæ alicujus earum dominium transfertur; item concessiones quascumque, & hypothecas, & locationes, conductionesque ultra triennium (3), & infeudationes, dationes in emphitheusim (nisi agatur de rebus, quæ tradi antiquitus consuevere, aut bonis, ac fructibus, qui pro instantis temporis exigentia servando servari non

(1) *Vid. Trid. Sess. XXII. De Ref. Cap. IX. S. C. C. in Aliphana 18. Jul. 1705., & 8. Maji 1706.* (2) *Const.* Ambitiosæ *rel. int. Extravag. commun. sub Tit. De rebus Eccl. non alienandis.* (3) *Nempe tres annos utiles ex Rota Romana in Tiburt. Afflictus 19. Jun. 1648.*

non possunt) hos omnes contractus ita prohibuit, ut, nisi Apostolica intercedat auctoritas, nullius sint roboris; contrahentes autem in excommunicationem ipsa contrahendi actione incidant, ac simul in privationem eorum Beneficiorum, seu bonorum, de quibus contrahere ausi sunt: quas omnes pœnas ipso jure, & nulla expectata Judicis sententia incurrant, ita ut eorum Beneficia statim conferri possint ab iis, ad quos libere spectat.

II. His additur ex ejusdem Pontificis mente, (ut Doctorum vox est) eodem habendas loco permutationes quoque bonorum unius in aliam Ecclesiam (1), & transactiones, & concordias de juribus, & rebus in controversiam vocatis (2). Quare nemo, in memoratas pœnas ne incidat, audeat sine Apostolica facultate hujusmodi contractus inire.

III. Hoc tamen loco non prætereundum ducimus admonere, memoratos contractus tunc solum culpæ tribui, pœnisque plecti, quum voluntarii plane sunt, nempe ut nulla aut juris, aut hominis præscriptione ineantur. Quamobrem neque prohibitæ sunt venditiones, quas fieri contingat vi seu Bullæ GREGORII XIII. super *retractu*, seu Bullæ S. PII V. super *redimibilitate* censuum ex parte debitoris, seu denique ex alicujus pii Testatoris præscripto: quæ quidem res, aliæque his similes plane licent. In reliquis Beneplacito opus est Apostolico (3).

IV. Quod quidem Beneplacitum provideant omnino contrahentes, & Notarii ad stipulandum rogati prorsus efficiant, ut ante contractum & adsit, & innotescat. Sola enim illius deinde impetrandi spes minime efficit, quo minus & valide ineantur contractus, & pœnæ Legibus sancitæ declinentur, quæcumque apposita fuerit formula retentæ possessionis, vel dominii, salvi, vel reservati Beneplaciti Apostolici. Quo loco temperare Nos ipsos non possumus, quin eos hortemur, atque obsecremus, qui contractus inire non dubitarunt Apostolici Beneplaciti spe, quod nunquam obtentum fuit, ut sibi ipsis consulant, neque diutius patiantur in ea, in qua sunt, rerum conditione manere. Res enim gravissima agitur, quæque eos omnes de-

(1) *Vid. Cap.* Nulli 5. *De rebus Eccl. non alienandis. Gonzalez. in Cap.* 1., *&* 2. *De rerum permutat. Corrad. in prax. dispen. Lib.* 9. *Cap.* 10. *Card. Petra Tom.* 5. *ad Constitut. Pauli II. Sect.* 1. *n.* 13. (2) *Cap.* Veniens 8. *De Transact. S. C. C. in Theat.* 5. *April.* 1704. *rel. a Monacell. in Suppl. ad Tom.* 2. *n.* 45. (3) *Fagnanus in Cap.* Nulli *De rebus Eccl. non alien. n.* 27. *Card. de Luca disc.* 1. *n.* 120. *de alienation.*

debet vehementer afficere, qui hisce contractibus se se immiscere non timuerunt.

V. Quum autem PAULUS II. explicate vetuerit, nequis Ecclesiæ bona diutius elocet, quam ad triennium, Nos distincte præcipimus, ut sub triennii exitum conductori denuntietur ex lege locationis finis; ac inane declaramus, habemus, haberique volumus, ac mandamus pactum, quo locator, & conductor cujusvis Ecclesiastici reditus convenerint, locationes, nisi contractus more rescindatur, atque ubi opus sit solemniter iteretur, consistere, inque aliud triennium concedi (1).

VI. At BENEDICTUS XIV. (2) sollicitudinem Nostram vocat, ut de iis contractibus quæramus, quos vulgo nuncupari audimus vitalitios. Namque contractum, quo quis alteri certam pecuniam assignat sive præsentem, ac numeratam, sive statis deinde temporibus per partes solvendam, ut sibi concedat jus, sive, ut ajunt, commoditatem percipiendorum ex aliquo Beneficio fructuum, quoadusque Beneficiatus vixerit, hunc esse nullum jubet, & quantacumque proportionis, & honestatis species appareat, in irritum mittit, & tum concedentes, tum accipientes excommunicatione percellit.

VII. Nos autem jure omni vetitum istud amplificamus, atque complectimur quod ad pensiones, atque Ecclesiastici Patrimonii fructus, quorum titulo quis fuerit ordinatus; quos nimirum simili modo vendere, seu ad vitam concedere non modo inane, ac nullum, sed etiam nefas habebimus (3).

VIII. Quod ad bona tum Ecclesiarum, tum piorum Locorum mandamus, ne ad triennium quidem elocentur cuiquam, nisi Edicta de locatione facienda per quindecim dies prostiterint, ut offerendi copia fiat universis. Quare earum Ecclesiarum, piorumque Locorum Administratores si præstare id negligant, tum damna reficere cogentur, tum ab eo munere dejicientur. Hujus deinde rei peragendæ satis manifesta ratio est. Oblationes scilicet describentur a singulis, qui conducere deliberent, singillatim in paginis obsignatis. Hæ perferantur ad Vicarium Nostrum Generalem, vel ad Vicarium illum Foraneum, in cujus finibus res locanda sita sit: hujus erit ad Vicarium Generalem illas omnes transmittere, statimque ac indicti ab affixione dies præterlapsi fuerint, illæ coram Nobis resignabuntur, ac legentur, & quid Ecclesiæ vel pio Loco tandem expedierit, decerne-

(1) *Plures Synod.* (2) *Const.* Universalis Ecclesiæ *XXIX. Bull. Tom. I.*
(3) *Plur. Synod.*

cernemus. Item mandamus, ne locentur iis, qui adhuc debeant ipsis Ecclesiis, piisve Locis æs persolvere: præterea ne locentur consanguineis, & affinibus usque ad tertium gradum inclusive eorum, qui Beneficium vel possident, vel pii Loci bona administrant, nisi peculiaris Nostra facultas habeatur: insuper volumus, ut in quavis locatione semper fidejussor accedat. Immo vero cautum volumus, ne locentur finitimis: scilicet ne per fraudem agrorum termini immutentur, aut confundantur, nisi aliquando secus facere aperta persuadeat utilitas. Quo tempore illud vehementer Nos commendamus, ut in instrumentis sit accurata eorum finium mensura, atque descriptio, nec uno modo proposita, sed pluribus adjunctis quodammodo septa, sive suffulta, unde, uno indicio pereunte, alia, atque alia suppetant (1).

IX Locentur itaque, uti expedire videatur, idoneis conductoribus, nec diutius, quam ad annos tres. Conductores autem sibi caveant, ne præpropere pretia locationum exsolvant: quæ res, præter reliqua, ei, qui nuperi possessoris loco succedit, potest esse perincommoda. Quin immo siquando Beneficii, alteriusve elocati boni possessor fructuum ibi adhuc pendentium sequestratione gravetur, tunc pariter conductor nimis tempestivæ solutionis damna experiatur necesse est, sive agatur de oneribus ejusdem Beneficii implendis, sive de aliis ejusdem Beneficiati obligationibus (2).

X. Arbores cædere in Ecclesiasticis fundis prohibitum sacris Canonibus est æque, ac bona reliqua alienare (3). Liceret tamen id facere, si essent silvæ natura sua, ut ajunt, cæduæ, in quibus hoc ipsum ad fructuum inde percipiendorum rationem refertur. Item quod ad reliquas arbores liceret, ubicumque constaret, aut nullos fructus afferre, aut potius fundo officere, aut Ecclesiis, domibusve Ecclesiasticis reparandis esse necessarias. Verum & hæc res Nobis deferenda, ut eam probare possimus: & harum arborum succidendarum copia ita a Nobis, quandocumque possimus, fiet, ut singulæ singulis utiliores sufficiantur, atque ut omne divenditarum pretium in Ecclesiasticos usus convertatur. Utrumvis negligetur, multabitur reus, præter pœnas iis addictas, qui res Ecclesiasticas alienant, ac dissipant, aliis arbitrio: & pœnis eum addicere non dubitabimus, qui arborem aliquam sine legitima facultate prostraverit.

(1) *Ex Synod. Cresc. pag.* 143. §. Locationes, *& seq.*, *& pag.* 144. §. Prædia. (2) *Ex Trid. Sess. XXV. De Ref. Cap. XI.* (3) *Card. Petra ad Const. Pauli II. Tom.* 5. *Sect.* 2. *n.* 12. *cum seq.*

XI. Quæ ex memoratæ Constitutionis (1) præscripto alienari non posse hactenus commemoravimus, nisi Apostolicæ Sedis facultas accedat, ea intelligi debent, nisi exigui pretii sint res: tunc enim secundum Canones (2), & Romanarum Constitutionum Scita (3), quoties & urgeat caussa, & Ecclesiæ evidens utilitas, sua id possunt Ordinarii auctoritate concedere, quæ etiam quod ad Regulares est necessaria. Verum monemus, neque Nostram indignationem, neque canonicam Legum severitatem evasurum esse quemquam, qui summam, seu pretium alienandarum rerum extenuant per dolum, sive in partes secant, quo facilius alienandi impetrent potestatem (4); eodemque loco habebuntur & testes, & earum rerum æstimatores, & ceteri omnes, qui opera sua dolo eidem inserviunt.

XII. Illud etiam Nostræ curæ superest, ut ad ea servanda, quæ superiore, atque hoc ipso Capite sancita sunt, Ecclesiasticorum bonorum indices Libros, sive inventaria imperemus. Omnes itaque Beneficiati, omnesque Locorum piorum Administratores legitimum habeant inventarium jurium, actionum, caussarum ad sua Beneficia, vel pia Loca spectantium; idque ex formula Synodalibus hisce Decretis in Appendice adjicienda (5). Si nullum adhuc, aut non satis rite digestum habeant, intervallum sex ab hac Nostra Synodo edita mensium concedimus, ut omnino conficiant. Nisi enim confecerint, pœnis neque levibus subjicientur. Ipsius autem inventarii exempla sint duo: alterum, quod quisque habeat apud se in Tabulario, alterum, quod ad Cancellariam Nostram transmittatur. Postremo quum res omnes humanæ vicissitudines suas patiantur, hujusmodi inventaria, quotiescumque Nobis libuerit, de novo condi oportebit.

CONCLUSIO SYNODI

I. JAm vero finem ut Nostro huic operi imponamus, primo quæ in Prædecessorum Nostrorum post sacrosanctum Tridentinum Concilium Synodis Decreta leguntur, ea, in quantum neque Apostolicis, neque hisce Nostris adversantur, omnia ita probamus, ut iterum confirmemus, reservationibus, pœnisque sive spiritualibus, sive corporalibus exceptis, nisi a Nobis fuerint nominatim expressæ.

II.

(1) *Const. memorat.* Ambitiosæ. (2) *Cap.* Terrulas 53. *causs.* 12. *quæst.* 2. (3) *Vid. Fagnan. ibid.*, *&* *Card. Petra ibid. n.* 59. (4) *Synod. Cresc. pag.* 143. §. Quamvis. (5) *Append. pag.* 179. *N. VI.*

II. Parochos jubemus efficere, ut Laici etiam, quos huc uſque ſæpe tum cujusvis conditionis privatos, tum variis officiis præditos indicavimus, ea non ignorent, quæ conſtituta ſunt, & mandata per Synodum de ipſis fuerunt.

III. Quanta porro ſit iſtarum omnium Legum vis, & quam accurate, ſanctéque ſingulæ ſint cuſtodiendæ, ignorare nemini licet, qui vel minimum animadvertat, qua fuerint auctoritate conditæ, quid ipſæ, quaque ratione præſcribant.

IV. Verum quum minimæ quoque res ita fuerint a Nobis præſcriptæ, ut nullam prætermitti, nullam negligi velimus, recte, fidenterque expectamus, ut omnia ſedulo perficiantur ex divina illa charitate olim Fidelibus cunctis communi, quorum erat cor unum, & anima una; expectamus ex humili obediendi voluntate, ex illa deinde, quæ Evangelica eſt, docilitate, qua oves Paſtoris ſui vocem audiunt; expectamus ex eo ſtudio, quo urgemur, ut omnes apud nos docendo, agendoque in idem unanimi conſenſione conſpirent, unde grex Nobis concreditus, quemcumque audiat, aut videat, ſibi ipſi eſſe videatur in terra labii unius, & ſermonum, operumque eorundem.

V. Monemus, multas pecuniarias, quas ſtatuimus, quaſque, aliaſve a delinquentibus poſſumus, quandocumque Nobis libuerit, repetere, fore in uſus pios erogandas. Item quum ea ſit humanarum Legum conditio, ut temporum viciſſitudines alias interdum res poſtulent, Nobis, & Succeſſoribus Noſtris reſervamus facultatem diſpenſandi, temperandi, declarandi, prout in Domino magis videbitur.

VI. Declaramus, Synodalia hæc Noſtra Decreta tum ſolum omnem vim ſuam habitura, quum id ipſum in Synodi editione Noſtris Litteris ſignificabimus.

VII. Poſtremo quæcumque in tota Synodo geſta, & conſcripta hactenus ſunt, univerſa fideliſſimo, atque obſequentiſſimo, quo debemus, animo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matri, ac Magiſtræ, ejuſdemque Supremi Capitis SS. D. N. PII PAPÆ VI. Jeſu Chriſti in terris Vicarii, & Chriſtianorum omnium Patris, atque Doctoris Judicio, ac voluntati ſubjicimus.

ALEXANDER ARCHIEPISCOPUS FERRARIENSIS

Joannes Canonicus Montanari
Secretarius Synodi.

JUDICES SYNODALES

D. Dominicus Laurenti J. U. D., Proton. Apost., & Vicarius Generalis.
D. Joannes Baptista Comes Bonacossi J. U. D., Prælatus Domesticus SSmi Dñi Nostri PII Papæ VI., & Eccl. Metropol. Archipresbyter.
D. Ignatius Aloysius Prampolini ejusd. Ecclesiæ Præpositus J. U. D.
D. Joannes Montanari Canonicus J. U. D.
D. Aloysius dalla Fabra Canonicus J. U. D.
D. Tyrsus Pagliarini J. U. D., Proton. Apost., & Jud. Synod. postr. Syn.

EXAMINATORES SYNODALES

Ex Clero Sæculari Civitatis.

D. Dominicus Laurenti Vic. Gen.
D. Joannes Baptista Co: Bonacossi Archipr.
D. Joannes Giacometti Primicer. Coadjut. S. T. D., & Proton. Apost.
D. Dominicus Delfini Canonicus Custos S. T. D.
D. Lucas Ferrari Canonicus Theologus S. T. D., Examinator postremæ Synodi, & Theologus Noster.
D. Georgius Macerasi Canonicus Pœnitentiarius J. U. D.
D. Ludovicus Bottoni Canonicus Theol. Coadjutor S. T. D.
Sacerdos Laurentius Dorighi ex Coll. Benefic. Eccl. Metropol., & Nostri Seminarii Rector.
Sacerdos Cajetanus Bortolini ex eod. Coll. Parochus S. Jacobi S. T. D.
Sacerdos Odoardus Pivi Parochus S. Clementis S. T. D.
Sacerdos Aloysius Cuoghi S. T. D., & in Semin. Prof. Theol. Dogmat.
Sacerdos Aloysius Carletti S. T. D., & in eodem Seminario Prof. Theol. Moralis.
Sacerdos Joseph Medici Jur. Can. Prof. in eod. Seminario.
Sacerdos Onuphrius Minzoni.
P. Cajetanus Muzzarelli e Congr. Oratorii S. Filip. Ner.
P. Aicardus Aicardi ex ead. Congr.
Sacerdos Lucas Merli Superior Domus Congr. Missionis.
Sacerdos Andreas Perazzo ex eadem Congregatione.

Ex Clero Sæculari Diœcesis.

Dominicus Riccioli S. T. D., & Archipr. Vigarani.
Franciscus Bernardi Archipr. Vicoveriæ.
Antonius Ferrari Archipr. Trecentæ.
Ubaldus Chicoli Archipr. Forminianæ.

Ale-

Alexander Nigrisoli Proton. Apost., & Archipr. Cenesellorum.
Joseph Filippi Archip. Ficaroli.
Carolus Ranzani Archipr. Mellariæ.
Alexander Vernizzi Archipr. Massæ Superioris.
Franciscus Vigo Parochus Vicoventiæ.
Joseph Caducci Parochus Runcorum.

EX CLERO REGULARI.

P. D. Mariannus Carocci Congr. Cassin. Abbas S. Benedicti.
P. D. Stanislaus Perondoli Congr. Mont. Oliv., Pub. Prof. Jur. Can. in Univers. Papiæ, & Abbas Monast. Bauriæ.
P. D. Innocentius Bregoli Can. Reg. S. Salvatoris Abbas S. M. de Vado.
P. D. Maurelius Scutellari Abbas Congr. Mont. Oliveti.
P. D. Joannes Baptista Gualengo Congr. Cassin. Prior S. Benedicti.
P. Mag. Nicolaus Augustinus Chignoli Ord. Præd. Ex-Vicarius General. Congr. S. Sabinæ, in Regia Universit. Taurinen. Sacr. Theol. Profess. Emerit., & in ultima Synodo Examinator.
P. Mag. Ceslaus Maria Heraud ejusd. Ord. Præd. J. U. D., & in hac Pontif. Universit. Jur. Can. Pub. Prof.
P. Felix Maria Pienazzi ejusd. Ord. Prior S. Dominici.
P. Joseph Lucca ejusd. Ord. Prædicat.
P. Angelus Maria de Ferraria Ord. S. Francisci Min. Observ. Ex-Definit., & Sacr. Theol. Lect. Pub.
P. Mag. Laurentius Altieri Ord. S. Francisci Min. Convent. Sacr. Theol. Doct., & in hac Pontif. Univer. Theol. Dogmaticæ, & Moralis Pub. Prof.
P. Mag. Laurentius Fosconi ejusd. Ord. Min. Convent. Guardianus S. Francisci.
P. Mag. Bartholomæus Viviani Vic. Gen. Carmel. Congreg. Mantuæ.
P. Mag. Antonius Maria Farri ejusd. Congreg. Sacr. Theol. Doct., & Prior S. Pauli.
P. Stanislaus Davia Ord. Minim. S. Francisci de Paula Sac. Theo. Lect.
P. D. Antonius Masi Cler. Reg. Theatin. in postrema Synodo Examinator.

VISITATORES SCHOLARUM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

D. Archipresbyter Joannes Baptista Co. Bonacossi.
D. Canonicus Aloysius Dalla Fabra.
D. Canonicus Hieronymus Isnardi.
D. Joannes Benedictus Coatti Anguilla Canonicus Supranum.

THEOLOGUS, SEU DIRECTOR SPIRITUALIS.

P. Mag. Laurentius Altieri.

CANCELLARIUS.

Sacerdos Ludovicus Barini ex Coll. Beneficiat.

REVISORES ONERUM MISSARUM.

D. Vicarius Generalis. *D. Archipr. Bonacossi.*
D. Can. Præpos. Prampolini. *D. Can. Montanari.*

REVISORES BREVIUM, ET INDULGENTIARUM

Nec non Deputati pro bono regimine Orationis Quadraginta Horarum

D. Can. Montanari. *D. Can. Dalla Fabra.*

PRÆFECTUS FORI, ET ARCHIVI ARCHIEPISCOPALIS

D. Vicarius Generalis

CONFESSARIUS CARCERUM ARCHIEP.

Sacerdos Antonius Storari ex Coll. Beneficiatorum.

ROGITUS NOTARII

LEcta, & publicata fuere prælaudata Decreta Synodalia ex Suggestu alta, clara, ac intelligibili voce de Mandato Exmi, ac Rmi Dni Dni Alexandri Matthæji ex Ducibus Jovii, Patricii Romani, Prælati Domestici SSmi Dni Nostri PII Papæ VI. fel. regn., Pontificio Sollo Assistentis, Dei, & S. Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopi Ferrarien. per Revmum D. D. Joannem Montanari Canonicum, & hujus Synodi Secretarium, ac admodum RR. Dños D. Nicolaum Merlini, D. Franciscum Mantovani Mansionarios, D. Aloysium Genta ex Coll. Benef., & admod. RR. Dños D. Thomam Gardenghi Rect. Eccl. Paroch. Villæ Cistæ, D. Joseph Pasi Rect. Foveæ Arboris, Lectores, seu Coadjutores ab E. S. Rma deputatos in tribus Sessionibus habitis in medio Ecclesiæ Metropolitanæ Ferrarien., vigore Edicti publicati pro Synodo convocanda, & celebranda sub die prima Martii instantis anni 1781. coram eodem vigilantissimo Exmo, ac Rmo Dño Archiepiscopo, præsentibus, adstantibus, & intelligentibus Revmis DD. Archipresbytero, Præposito, Archidiacono, Primicerio, Custode, Thesaurario, Decano, ceterisque Canonicis Eccl. Metropol. Ferrarien., RR. Parochis Sæcularibus, & Regularibus Civitatis, nec non RR. Plebanis, Parochis, & Curatis Diœcesis Ferrariensis, atque aliarum Ecclesiarum Rectoribus, Capellanis, aliisque RR. Sacerdotibus, & Clericis Civitatis, & Diœcesis anno a Nativitate D. N. J. C. Millesimo Septingentesimo octogesimo primo diebus quinta, sexta, ac septima Mensis Junii Indictione XIV. tempore gloriosissimi Pontificatus SSmi in Christo Patris, ac Dñi PII divina Providentia Papæ VI., anno ejusdem Pontificatus septimo; coram, ibidemque præsentibus Nobilibus Viris DD. Comitibus Alphonso Muzzarelli, & Josepho Crispi Presbyteris, ac Patriciis Ferrariensibus, Testibus ad hoc specialiter electis, adhibitis &c.

Ego Ludovicus Saravalli Sacerdos in Eccl. Metropol. Beneficiatus, Notarius Apostolicus, Cancellarius ad Ecclesiastica Archiepiscopatus Ferrariæ, Synodique Diœcesanæ Notarius specialiter deputatus prædictis omnibus interfui, & de omnibus, & singulis peractis, & gestis in eadem Synodo Diœcesana Ferrarien. ad instantiam Reverendissimorum DD. Promotorum ejusdem Synodi rogatus extiti; in quorum fidem hic me subscripsi, & solito meo signo munivi requisitus.

Loco ✠ Signi.

ORA-

ORATIO HABITA

AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO

IN FINE SYNODI



Uod opus ad ſanctificationem noſtram, Spiritu Sancto afflante, Deipara Virgine, Sanctiſſimis Patribus, ac Patronis Noſtris Auſpicibus, vobis omnibus cum virtute Domini Noſtri JESU CHRISTI congregatis, frequentiſſimo hoc conventu, per hoſce Pentecoſtes dies, ſolemniter, unanimiterque ſuſcepimus, gaudentes in Domino vehementer, en vobis, ut exoptabamus, proponitur aliquando perfectum, atque abſolutum. Reſtat unice, ut ea, quæ vobis indicenda, aut potius ad manifeſtandam ſollicitudinem Noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo, commemoranda in Domino cenſuimus, quemadmodum accepiſtis, & didiciſtis, ita etiam omnia religioſe, ac pie recipientes, amanter etiam, conſtanterque teneatis. Hæc una ſit veſtra ſapientia coram populis, ut mores veſtros juxta hæc Præcepta univerſa inſtituentes ab omnibus Domus ſpiritualis, Sacerdotium Sanctum, Lapides vivi, electi, pretioſi, & Agni Chriſti immaculati dignoſcamini.

Vos potiſſimum Paſtores, vos o vocati in partem ſollicitudinis Noſtræ, etiam, atque etiam rogamus, atque obſecramus, ut in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali ambuletis digne, Deo per omnia placentes, & quemadmodum Chriſtus cœpit facere, & docere, ita & vos exemplo præeuntes, vosmetipſos prius offeratis neceſſe eſt hoſtas acceptabiles Deo, atque hinc reformati in novitate ſenſus veſtri, & renovati ſpiritu mentis veſtræ, huic Doctrinæ attendentes inſteris in illa, ita ut in verbo, in converſatione, in charitate, fide exemplum ſitis gregis. Nam ſi totius familiæ ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite; profecto oportet, ut vos præſertim quaſi filii obedientiæ, ſecundum eum, qui vocavit vos, Sanctum & ipſi ſancti ſitis, atque perfecti: atque inde in obedientia charitatis, in fraternitatis amo-

re oftendetis qui fit, & manifeftus fiat omnibus vefter profectus. Quapropter ne obliviſcamini eorum, ne excidant unquam e corde veſtro, quæ ſcripta ſunt in Libro hoc: tum facile ſuper populum, quem nacti eſtis docibilem Dei concreſcet ut pluvia doctrina veſtra, & fluet ut ros eloquium veſtrum; & vobis ipſe docentibus, excellentioremque viam demonſtrantibus Nomen Domini invocabit, & dabit magnificentiam Domino Deo noſtro. Interea paterno animi affectu exoramus, ut adjiciat Dominus ſuper vos, & ſuper filios veſtros: Gratia Dei, & Pax, quæ exſuperat omnem ſenſum, Sancti Spiritus dona diffundens, & veſtrum, & illorum cuſtodiat ſenſus, & corda. Benedicti Vos a Domino, qui fecit Cœlum, & terram: namque ipſe nunc benedicens vobis Benedictionibus ſuis, adjutor veſter erit, & Benedictiones veſtræ confortabuntur Benedictionibus filiorum veſtrorum. Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Noſtrum eſt, quantum divina gratia poſſumus, efficere, ut de terra, quam nobis filiis hominum dedit, quaſi de poteſtate tenebrarum Fratres noſtros eripiamus, quos Pater Cœleſti dignos faciat in partem ſortis Sanctorum, & transferat, quo lucem ipſe inhabitat inacceſſibilem, in Cœlum Cœli, in Regnum Filii dilectionis ſuæ.

Quare agite accincti robore, cuſtodientes Præcepta hæc, peccatores, ne in infernum deſcendant, eripite e morte, ut & ipſi aliquando in Deo converſi vivant, & beatam ſpem expectantes Te laudent, Domine Jeſu Chriſte; & qui in circuitu noſtro ſunt, & omnes inhabitantes orbem benedicant Tibi ex hoc nunc, quum in copore a te preregrinamur, uſque in ſæculum, quum Tibi, & in Te, & per Te erit per omnia in omnibus Gloria cum Deo Patre, & Spiritu Sancto.



APPEN-

APPENDIX
SYNODI FERRARIENSIS.

APPENDIX PRIMÆ PARTIS

Num. I.

Atti di Fede, Speranza, Carita', e Dolore

Atto di Fede.

MIo DIO, perchè siete prima, ed infallibile verità, credo fermamente tutto ciò, che avete rivelato alla Santa Madre Chiesa, e che questa mi propone da credere; ed espressamente credo, che vi è un Dio solo, in tre Persone distinte, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo: che il Figliuolo si è fatto Uomo nel purissimo seno di Maria Vergine per virtù dello Spirito Santo, e si chiama Gesù Cristo, il quale patì, e morì per la eterna nostra salute, e il terzo dì risuscitò da morte: che Iddio premia i buoni col Paradiso, e punisce i cattivi coll' Inferno; e protesto di vivere, e morire in questa Santa Fede. Mio Dio ajutatemi, acciocchè non manchi nel credere.

Atto di Speranza.

IO spero, mio Dio, perchè siete onnipotente, e infinitamente misericordioso, e fedele nelle vostre promesse, il perdono de' miei peccati, e la Gloria del Paradiso, per gli meriti di Gesù Cristo, e col mezzo delle opere buone, che confido di fare con la vostra Grazia. Mio Dio ajutatemi, acciocchè per me non manchi, che tanto non ottenga.

Atto di Carità.

DIo mio, perchè siete sommo Bene, vi amo sopra ogni cosa, e per amor vostro amo il Prossimo, come me stesso, e sono disposto a perdere prima tutto, e la vita stessa, piuttosto che mai più offendervi. Mio Dio ajutatemi, acciocchè non manchi nell' amarvi.

Atto di Dolore.

MI pento, mio Dio, di avervi offeso, e mi dolgo con tutto il cuore de' miei peccati: gli odio, e li detesto sopra ogni altro male, perchè peccando, ho perduto il Paradiso, e meritato l' Inferno: ma molto più mi pento sopra ogn' altra cosa, perchè ho offeso voi, Bontà infinita, e degno di essere amato sopra ogni cosa: propongo fermamente di non offendervi mai più per l' avvenire, mediante la vostra Santa Grazia, e di fuggire le occasioni prossime del peccato. Mio Dio ajutatemi, acciocchè non vi disgusti mai più peccando.

II.

INDULGENTIÆ

Concessæ pie, devote, & ex corde recitantibus Actus Virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis.

ANimadvertens SS. D. N. Benedictus PP. XIV., quam utiles, quinimo necessarii sint ad æternam salutem Theologicarum virtutum Actus, Fidei videlicet, Spei, & Charitatis, ut omnes utriusque Sexus Christifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, Indulgentias pro iisdem Actibus a San: Mem: Benedicto XIII. die 15. Ianuarii Anni 1728. concessas benigne confirmavit; Plenariam nimirum cum facultate eam Fidelium Defunctorum Animabus applicandi, semel in mense lucrandam ab iis, qui quotidie per mensem præfatos Actus pie, devote, & ex corde peregerint, die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere pœnitentes, confessi, ac S. Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, ut decet, oraverint; nec non aliam similiter Plenariam in mortis articulo. Ut autem commissas sibi Oves ad frequentiorem hujusmodi Actuum usum alliceret, Sanctitas Sua Indulgentiam Septem Annorum, totidemque Quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quæ juxta ejusdem Sui Prædecessoris concessionem, semel tantum in die consequi poterat, ad quamlibet antedictor. Actuum piam &c. ut supra recitationem, clementer extendit.

Declaravit insuper Sanctitas Sua, præfat. omnes Indulgentias addictas minime esse certis determinatisque verbis, proptereaque unumquemque uti posse in recitatione dictorum Actuum qualibet formula, dummodo in ea singular. Virtutum Theologicarum specialia motiva exprimantur. Dat. die 28. Ianuarii Anno 1756.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. I. Card. Portocarrero Præfectus.

A. G. Vicecomes Sac. Congr. Indulg. Secret.

III.

PROFESSIO FIDEI

Ad præscriptum Bullæ PII IV., quæ incipit Injunctum Nobis Apostolicæ Servitutis officium &c.

EGO N. N.
firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium

omnium, & invisibilium; Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis; Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum Scripturas; Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis; Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum Et expecto resurrectionem mortuorum Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari. Similiter, & Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pon-

Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego idem
spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

I V.

NOTIFICAZIONE

Sopra la Predica degli Ebrei

ALESSANDRO MATTEI de' Duchi di Giove, Patrizio Romano, della Santità di N. S. Papa PIO VI. fel. reg. Prelato Domestico, Assistente al Soglio Pontificio, per la Grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Arcivescovo di Ferrara.

INerendo alla Risoluzione della Suprema Sacra Congregazione Universale del S. Offizio di Roma, ordiniamo, e comandiamo espressamente, che in avvenire alla Predica per gli Ebrei nell' Oratorio di S. Crespino, oltre gli Uomini, e le Donne anche di recente maritate, debbano onninamente intervenire le Zitelle Ebree promesse, o sposate de futuro, secondo il giro della usata distribuzione, sotto la pena solita prescritta nella Constituzione di Gregorio XIII. di Santa Memoria, e di altre maggiori pene al nostro arbitrio riservate nell' istessa Constituzione, da esigersi irremissibilmente da esse, e da qualunque altra Persona, che senza legittima causa mancasse d' intervenire alla Predica; comprometendo agli Accusatori, quali da Noi saranno secretissimi tenuti, di renderli a parte delle Multe, che si verranno da' Trasgressori esigendo in vigore di tale Constituzione.

Ordiniamo poi a' Massari del Ghetto di mandare a notizia di tutti gli Ebrei, e di tutte l' Ebree del Ghetto di questa Città la presente Nostra Determinazione, col farla leggere primieramente nelle Scuole avanti la prima Predica da farsi, e col farla tenere affissa nelle Sinagoghe a perpetua memoria.

Non essendo inoltre conveniente, che i Custodi, o Sopraintendenti alla Predica degli Ebrei si denominino col titolo di Sagristani, sopprimiamo, ed aboliamo perciò perpetuamente un tal nome, o denominazione; ordinando, che

che gli ora detti Sagristani della Predica, si appellino in avvenire col detto vocabolo di Custodi, o Sopraintendenti alla Predica degli Ebrei, sotto pene al Nostro arbitrio riservate.

Dall' Arcivescovato di Ferrara questo dì 26. Agosto 1779.

ALESSANDRO ARCIVESCOVO DI FERRARA.

Lodovico Saravalli Cancel.

V.

EDITTO

DEL S. OFFIZIO.

NOI &c. per la misericordia di Dio della S. R. C. Cardinali, in tutta la Repubblica Cristiana contro l' Eretica pravità Generali Inquisitori della Santa Sede specialmente Deputati.

Essendo a Noi per continua esperienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobbedienza, & altri per ignoranza non soddisfanno agli obblighi, che hanno di denonciare al S. Offizio li delitti spettanti ad esso, e che però succedono grandissimi inconvenienti, & errori, non solamente contro i buoni, e Cristiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica; Noi per tanto, a' quali specialmente devono essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione, & augmento della Fede Cattolica, e la salute delle Anime, volendo provvedere a tanto disordine con autorità Apostolica a Noi commessa, comandiamo in virtù di Santa ubbidienza, e sotto pena di Scomunica di lata Sentenza, oltre le altre pene prescritte da' Sagri Canoni, Decreti, Costituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del presente Editto a tutte, e ciascuna persona di qualsivoglia stato, grado, condizione, e dignità, così Ecclesiastica, come Secolare, che fra il termine di trenta giorni, dieci de' quali per il primo, dieci per il secondo, e dieci per il terzo termine perentorio, debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, ovvero all' Ordinario, e tutti, e ciascun di quelli, de' quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia.

Che siano Eretici, o sospetti, o diffamati d' Eresia, o credenti, o fautori, o ricettatori, o difensori loro; o abbiano aderito, o aderiscano a' riti de' Giudei, o Maometani, o de' Gentili, o abbiano apostatato dalla Santa Fede Cattolica.

Che abbiano fatto, o facciano atti, da' quali si possa argomentare patto espresso, o tacito col Demonio, esercitando incanti, magia, sortilegj, porgendogli suffomigj, o incensi, per trovar tesori, & altri intenti, chiedendo da lui risposte, & invocandolo, & a quest' effetto promettendogli ubbidienza, e consecrandogli pentacoli, Libri, Spade Specchj, & altre cose, nelle quali intervenga il nome, e opera sua.

Che

Che si siano ingeriti, o ingerischino in fare esperimenti di Negromanzia, o di qualsivoglia altra sorte di magia, con entrare ne' circoli, fare esperimenti della garaffa, o del crivello, per trovare i medesimi tesori, cose nascoste, rubbate, e perdute, e fare altre simili superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso de' Sagramenti.

Che senza la licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino eresie, o libri eretici, che trattino ex professo di Religione, o che gli abbiano letti, o tenuti, o stampati, o fatti stampare, o li leghino, tenghino, stampino, facciano stampare, introduchino, o difendino sotto qualsivoglia pretesto, o colore.

Che abbiano Libri di Negromanzia, Magia, e continenti incantesimi, Sortilegj, e simili superstizioni, massime con abuso di cose Sagre.

Che contro il Voto solenne fatto nella Professione in qualsivoglia Religione approvata, o dopo avere preso l' Ordine Sagro, abbiano contratto, o contraggano Matrimonio.

Che vivendo la prima Moglie piglino la seconda, o vivendo il primo Marito piglino il secondo.

Che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato, abusino il Sagramento della Penitenza, servendosi della Confessione, o Confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i Penitenti ad turpia, & avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito.

Che abbiano proferito, o proferischino bestemie ereticali contro Dio, la Beata Vergine, o Santi, o procedino a qualche atto di offesa, e disprezzo contro le Immagini, e Figure rappresentanti il medesimo.

Che abbiano tenute, o tenghino occulte conventicole, o radunanze in pregiudizio, disprezzo, o contro la Religione.

Che abbiano indotto qualche Cristiano ad abbracciare il Giudaismo, o altra Setta contraria alla Fede Cattolica, o impedito i Giudei, o Turchi a battezzarsi.

Che non essendo ordinati Sacerdoti s' abbiano con Sagrilego ardire usurpato, o si usurpino di celebrar Messa, ancorchè non abbiano proferite le parole della Consegrazione, o abbiano presunto di ministrare il Sagramento della Penitenza a' Fedeli di Cristo, ancorchè non siano venuti all' atto dell' assoluzione.

In oltre si dichiara, che quelli i quali non denunciaranno, come si ordina col presente Editto, non possino essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato li Delinquenti, al che non possono soddisfare con bollettini, o lettere senza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, de' quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche con la suddetta espressione de' casi sopra da Noi specificati da rivelarsi, non escludersi gli altri casi spettanti al S. Offizio, che per altro sono compresi ne' Sagri Canoni, Costituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, nè meno col presente Editto s' intenda derogato all' altre provisioni Canoniche Apostoliche, e agl' altri Editti degl' Ordinarj, & Inquisitori.

Et

Et affinchè col presente Editto non si possa pretendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notifichi alli Vescovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non sono Inquisitori, acciò lo pubblichino, & ordinino, che li Parrochi delle loro Diocesi lo leghino ogn' anno la prima Domenica dell' Avvento, e la prima Domenica di Quaresima; il che parimenti vogliamo, che si faccia da' Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si troverà in esse congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chiese, e Sagristie di esse un esemplare del medesimo, per osservare quanto in esso si ordina.

VI.

SOMMARIO

Clausula in Brevi Altaris Privilegiati solita apponi *dummodo in dicta Ecclesia tot Missæ quotidie celebrentur*, debet intelligi juxta declarationem datam de mandato Sanctissimi a Sacra Congregatione Concilii ad sequentia dubia. *Primo, an absentibus Religiosis ex causa Prædicationis tempore Quadragesimæ, & Adventus, vel quando occasione Festivitatum, vel Funerum, aut similium a Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiæ concessæ cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potius remaneant in suo robore?*

Secundo, an idem sit statuendum, deficiente præfixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quam Sæcularium?

Tertio, an pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero Missarum ob absentiam ab Ecclesiis Sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menses?

Sacra Congregatio Concilii Tridentini &c. 30. Julii 1701. *respondit.*

Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat.

Ad secundum remanere suspensas.

Ad tertium provisum in primo.

Sub generali Indulgentiarum suspensione, quæ fit anno Jubilæi, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro solis Defunctis concessæ. *Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita* 24. *Januar.* 1700. Altaria privilegiata pro Defunctis non comprehenduntur sub clausula illa: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliqua alia Iudulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes literæ nullæ sint;* nec sub alia clausula consimili; *Sacra Congregatio* 13. *Junii 1676.* Quod decretum, utpote alia comprehendens, & de mente Sanctissimi Innocentii XI. editum, per extensum hic datur.

Cum a Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita Cameracensis Archiepiscopus quæsivisset, quæ vis, & sententia Clausulæ, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet (*Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam quolibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes literæ nullæ sint*) *Sacra Congregatio, re diligentius examinata, clausulam sic explicandam censuit, si videbitur Sanctissimo Domino Nostro;*

Ea

Ea minime contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis, qui Christiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque stationum urbis, & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum si alia Indulgentia sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam visitantibus eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in literis Apostolicis mentio, has literas ob adjectam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Dat. Romæ 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad Sanctissimum Dominum Nostrum die 16. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit. Cardinalis Maximus. Michael Angelus Riccius Secretarius.

VII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII VI.

Breve de Altari Privilegiato in Parochialibus ab Archiepiscopo designando.

Foris. Venerabili Fratri Archiepiscopo Ferrarien.

Intus.

PIUS PP. VI.

VEnerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, ejusque exempla sectantes, Animabus Christifidelium in Purgatorio existentibus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migrarunt, opportuna de Thesauro Ecclesiæ auxilia subministrare studemus, ut illis, quantum Divinæ Bonitati placuerit, adjutæ ad Cœlestem Patriam facilius pervenire valeant. Ea propter Nos Parochiales, & Collegiatas Ecclesias Civitatis, & Diœcesis Ferrarien., quæ etiam ob earum tum dignitatem, tum antiquitatem semper in honore habitæ sunt, ac speciali prærogativa pollent, Cœlestium munerum elargitione decorare volentes, Supplicationibus quoque tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, revocatis in eis Privilegiatis Altaribus intuitu Parœciæ, sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis, Tibi, ut semel per Te ipsum in qualibet ex Parochialibus, & Collegiatis Ecclesiis hujusmodi unum dumtaxat Altare, ad septennium proximum tantum Privilegio Apostolico decoratum, pro Animabus Christifidelium a Purgatorii pœnis liberandis designare valeas, ita ut quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum pro anima cujuscunque Christifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit,

rit, ad prædictum Altare sic per Te respective designatum celebrabit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum Suffragii Indulgentiam consequatur, & Domini Nostri Iesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, facultatem Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impertimur. Non obstantibus Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut si in certiorandis Parochis de facultate prædicta Tibi tributa, aut in expediendis literis pro designatione Altaris Privilegiati in qualibet ex Parochialibus, & Collegiatis Ecclesiis hujusmodi aliquid vel minimum detur, aut a Cancellario, vel aliis Officialibus tuis etiam sponte oblatum recipiatur, concessiones a Te, ut præmittitur, faciendæ nullæ sint eo ipso.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCCLXXX. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Sigilli ✠ loco.

I. CARD. DE COMITIBUS.

Gratis pro Deo, & Scriptura.

ALEXANDER MATTEI ex Ducibus Jovii, Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Ferrariensis.

INhærentes itaque Facultatibus Nobis benigne attributis a SS. Domino Nostro PIO Papa VI. feliciter regnante, vigore præfati Brevis sub datum Romæ die 22. Mensis Februarii currentis anni 1780. Auctoritate Apostolica qua fungimur, vigore præfatarum literarum Apostolicarum, designamus in qualibet Ecclesia Parochiali Civitatis, & Diœcesis Ferrarien. Altare SS. Sacramenti; illudque Apostolico Privilegio quotidiano pro Animabus Christifidelium in Purgatorii pœnis existentibus ad septennium, proximum tantum, eadem Auctoritate, tenore præsentium, decoramus: ad formam, & seriem præfati Brevis; & non aliter &c. In quorum &c.

Dat. Ferrariæ ex Palatio Nostro Archiepiscopali die 8. Aprilis 1780.

ALEXANDER ARCHIEPISCOPUS FERRARIENSIS.

Ludovicus Saravalli Cancel.

VIII.

DECRETUM

De Privilegio Altaris die 2. Novembris.

CUm ex veteri more, & laudabili Ecclesiæ Instituto die secunda Novembris omnium Defunctorum memoriam recoli, eorumque Animæ ab universis

versis Christifidelibus orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, & Ecclesiæ suffragiis, potissimum vero acceptabili Sacrosanctæ Missæ Sacrificio juvari soleant: Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS PP. XIII. ex paterna sua charitate erga omnes Fideles tam vivos, quam defunctos, Animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia, & charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis decesserunt, de inexhausto Catholicæ Ecclesiæ Thesauro abundantius suffragari quammaxime cupiens, ut celerius e Purgatorii pœnis liberatæ, ad æternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositorum, universali hoc Decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, ut Missa die prædicta Commemorationis Defunctorum a quocunque Sacerdote Sæculari, vel cujuslibet Ordinis, & Instituti Regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si in Altari privilegiato esset celebrata: decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta Missa, licet privilegiata, accipiat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus constitutionibus, seu a Loci consuetudine regulariter præfinita fuerit. Quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum die xix. Maii 1761.

Loco ✠ Sigilli

N. GARD. ANTONELLUS PRÆFECTUS.

J. de Comitibus S. Congreg. Indulg. Secret.

I X.

CONFIRMATIO

Decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

Super Celebratione Missarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. desuper alias factorum

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet.

Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religiosorum numero ultra redditus, & consuetas eleemo-

eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illis specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis.

Cum sæpe contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum Animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & reditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam charitatique, ac justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninó nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque, tam Sæcularibus, quam Regularibus; Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimmo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id vero, ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis Personis Ecclesiasticis, ac Locis Piis, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur,

getur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, ac decernit, ut pecuniæ, ac Bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investiendi in Bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem Bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis Bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac Piorum Locorum, tam Sæcularium, quam Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda, alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, absque alia declaratione incurrat.

Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut Loco Pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes

tes

tes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis, & Locis Piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant reditus, & eleemosynæ cujusque Monasterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, Bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, Bona immobilia, Census, reditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quam etiam singularibus Personis Religiosis assignatas, seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione diligenter, & mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, obventionibus universis, & oneribus, ut supra, detractis, sedulo examinent, quot Religiosi homines connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari juxta regionis, & proprii Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinaria in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem Bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiæ Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantum personarum numerus Capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Ne vero Superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Numerumque Familiæ, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quam Locales perpetuo ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redituum abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia; Superiores autem hujuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra præſcriptum quovis modo, augere præſumpſerint, privationis omnium Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ, ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps vero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex reditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum Decreti fel. recor. Gregorii XV. hac de re editi; alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Porro ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, præſentes Ordinationes in publica Menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quam Laicis quocumque honore, & poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus &c.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

Excitatis autem ſuper præmiſſorum Decretorum intelligentia, ſeu interpretatione infraſcriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione, ſimili auctoritate illi a præfato Urbano VIII. ſpecialiter attributa, reſponſiones, ſeu declarationes inferius apponendæ.

Super primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum,

darum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si Legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, &, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundo, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (*præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, Legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ,

Quæritur, an liberum sit Hæredibus eleemosynam sibi bene visam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sexto, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimo, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, Inserventium, paramentorum, luminum, Vini, Hostiæ, & similium?

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium, ad rationem redituum Beneficii?

Nono, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Decimo, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: (eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis

Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant &c.)

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Undecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Duodecimo, an pœna Interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimotertio, an in hoc Decreto comprehendantur illæ Capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur *Casse de' Morti?*

Decimoquarto, an Administratores Ecclesiæ ratione magnæ devotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoquinto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & Piorum Locorum tam Sæcularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& aliis ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimosexto, super septimo ejusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari.

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti sanctæ mem. Pauli V. absque tamen computatione redituum, cujusque Religiosi, sit denuo facienda, nec ne?

Decimoseptimo, an Novitii ad habitum Regularem admissi possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, præfixione numeri, commode ali non possunt?

Decimo octavo, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimo, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

DE-

SECUNDÆ PARTIS

DECLARATIONES,

Seu Responsiones ad supradicta dubia.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi Legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit: Veruntamen si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium teneri.

Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac Loca Pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & Loca Pia alios non habent reditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad

Ad decimum, respondit, non prohibere absolute, ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad undecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum tertium, comprehendi.

Ad decimum quartum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

Ad decimum quintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum sextum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum septimum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad decimum octavum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Cong. Sec.

Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quam plures querelæ, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut, sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, & prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria, & Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divina Providentia PP. XII. ei specialiter attributa, infrascripta Decreta, prius in particulari nonullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature, & accurate discussa, recognita, & examinata edidit.

In primis præinserta Decreta cum præmissis illorum declarationibus plenissime, & amplissime approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & singula ibidem contenta, & expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit,

tuit, ac omnibus, & singulis etiam speciali, & individuali nota, seu expressione dignis penitus observari, & omnimode executioni demandari decernit, sancit, & præcipit.

Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur; si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, & erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa, vel irrationabili spe earundem condonationem, vel reductionem a S. Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus, & privilegiis, non nisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & præsertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, & solere; quapropter, ut locus omnis imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quam præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & Ministri quarumcumque tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant; utque idipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium literis perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter, & intra præscriptum, sed breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, & ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, se se propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia, in altero autem Missas manuales, & tam illorum, quam istarum adimplementum, & eleemosynas distincte, & diligenter annotare, & annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione, & diligentia, tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendæ

 erunt,

erunt, describere, aut annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.

Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineantur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere, & respective reddere.

Quod si prædicti, ad quos cura Tabellæ, capsæ, & librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minime navaverint, & Superiores tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respective casibus Sæculares pœnam suspensionis incurrant; Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

Porro, ne ullo unquam tempore omnia, & singula Decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publice exposita in eorum Sacrario; Superiores vero locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque Mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi omnes, & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes una cum dictis declarationibus in publica Mensa perlegantur.

Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut a personis, & in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in Visitationibus, tum in aliis actibus, & modis quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adversetur.

Caveant etiam respective omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicumque nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac gradium, & officiorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & prompte etiam per inquisitionem animadvertere, & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium Decretorum sedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus, seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, seu Congregationis de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respective pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; alias ad vocem activam, & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Cæterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Cappellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, & præeminentiæ etiam speciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive Manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; Hinc, salvis semper iis, quæ in præinsertis Decretis continentur, omnes, & quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, & Ecclesiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura Tabellæ, & librorum in præmissis spectat, Tabellam, libros, & hæc Decreta respective juxta modos superius expressos similiter retinere, nec non de oneribus, & celebrationibus, & eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, & respective iis, ad quos pertinet, reddere sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis teneantur.

Postremo omnibus, & quibuscumque, tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, status, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis,

& dignitatis existant, quam Laicis quocumque honore, ac potestate præditis omnia, & singula præmissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquomodo circa præmissa dispensandi, omnis, & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium....... ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & individue exprimendi &c........... quibus quo ad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die 23. Novembris *1697*.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius Sac. Congr. Secr.

Quocirca, cum dilectus filius noster Joseph Tit. Sanctæ Mariæ Traspontinæ S. R. E. Præsbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia, & singula Decreta, ea qua decet maturitate digesta, & examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo, & inviolabiliter observari, nec non Constitutionis Nostræ munimine roborare volentes, Motu proprio, non ad cujuspiam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta Decreta, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia, & singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuscumque, etiam speciali, & individua nota dignis, omnino exacte, & perpetuo servari volumus, sancimus, & mandamus.

Decernentes præsentes literas, cum omnibus, & singulis inibi contentis semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac

irri-

irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII., & respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quæ pariter, & iterum Nos tenore præsentium non obstare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quo ad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

Pariterque, ut earundem præsentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1697. Decimo Kal. Januarii. Pontificatus Nostri anno septimo.

J. F. Card. Albanus.

B. Cardinalis Prodat.

I. Cattallus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo Indictione sexta, die vero tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Innocentii Divina Providentia Papæ Duodecimi, anno septimo; supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Baptistam de Cappellis ejusdem SSmi D. N. Papæ Cursorem.

Franciscus Ant. Simoncellus Magister Cursor.

X.

X.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV., qua mercimonia super eleemosynis Missarum vetantur sub pœna censurarum, quarum absolutio summo Pontifici reservatur.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus,

BENEDICTUS PAPA XIV. salutem, & Apostolicam benedictionem.

QUanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret.

§. 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum virorum avaritia, quæ est Idolorum servitus, ut eleemosynas quidem, seu stipendia propter Missarum celebrationem, juxta locorum consuetudines, vel Diœcesanarum Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præscripta colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

§. 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis, & pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis, a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

§. 3. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores Nostri, de consilio tum Congegationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missæ a quocunque accepta, non posse alteri Sacerdoti,

Missam

Missam hujusmodi celebraturo, stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, & consentienti se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset.

§. 4. Eapropter vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici Ministerii, & sollicitudinis Nostræ partem adscitos, rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tanquam a radice, mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire Mammonæ docens, efficit, ut avari hæreditatem non habeant in Regno Christi, & Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium remiserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium, tam sordide, & cum sanctissimarum legum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo, & exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cœleste Ovile currere doceatis.

§. 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Diœcesibus proponendum affigendumque universis notum facite, quemcunque, qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, seu Sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, Clericum vero, sive quemcunque Sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ, posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem, in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam peramanter impertimur.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die

30.

30. mensis Junii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

XI.

CONFIRMATIO, ET AMPLIATIO

Constitutionis Pii IV. editæ contra Sacerdotes in Confessionibus Sacramentalibus Pœnitentes ad turpia sollicitantes.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiversi Dominici gregis curam quamquam immeriti cœlesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato, non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur; idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alta conceditur providentia duximus.

§. 2. Alias siquidem a fel. recor. Pio Papa IV. Prædecessore Nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali.

Cum sicut nuper &c.

§. 3. Igitur ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas literas hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque non solum in

in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani orbis partibus firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus.

§. 4. Ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes tam Sæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has Nostras Literas, etiam privative quoad omnes alios specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, Privilegia, consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari reum tradendum esse, pronunciandi.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis; quod si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut

ſupra; iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 7. Volumus autem &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti M.DCXXII., Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

XII.

INNOVANTUR

Pœnæ adverſus Confeſſarios, qui Pœnitentes ad turpia ſollicitant, cum præcepto hujuſmodi denuntiandi, & reſervatione abſolutionis quoad Calumniatores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandi complicibus in peccato contra caſtitatem, cum pœnis &c.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcramentum Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati omne ſtudium, & Paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam, naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium; & quod in ſalutem, & curationem animarum a Deo, qui Dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. I. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore Noſtro per ſuas literas in forma Brevium ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXX. Auguſti MDCXXII. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes audiendis Confeſſionibus deputatos, ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes; & deinceps ſucceſſivis temporibus, ad earum literarum interpretationem, ac declarationem, plura ſubinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum ſub die XI. menſis Februarii Anno Domini MDCLXI prodierunt Decreta, & a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædeceſſore Noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die XXIV. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet, & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari,

ri, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas literas hujusmodi, ac omnia, & singula Decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respective Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint: &, quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hìc de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in præfata Constitutione tributam procedendi cum Testibus etiam singularibus, & dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos,

 Sacra-

Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei Judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelestе procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis Privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longe submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potius, quam Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt; nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura Sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostræ potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, siquam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has Nostras adimere intendimus; & nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius

rius cujuslibet Indulti Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus existar, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, nec non quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Constitutionibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam Motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentes, quam futuri pro tempore existenres, in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc Nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque Æterni Sacerdotis, qui Sanctus, Innocens, Impollutus per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo Viventi: Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpa Cœlum claudatur; ne deperditæ Oves, ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi filii egentes, & saucii ad cœlestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant &c. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno I.

X. Sub-Datarius. *Pro D. Card. Passioneo.* *Cajetanus Amatus.*

Visa de Curia N. Antonellus. J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die xvij. ejusdem Mensis, & Anni.

XII.

XIII.

DECLARATIO

super Constitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*, adversus sollicitantes. Anno MDCCXLI. edita.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad futuram rei memoriam.

APostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo & assiduis hortationibus, & justa, ubi res postulat, Legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam Leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare, pro earundem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§. 1. Sane cum Nos alias per quamdam Nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kalendis Junii Pontificatus Nostri Anno Primo editam, omnibus, & singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, & alias, prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur;

§. 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem Nostram cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque in-

tegre,

tegre penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus. Præterea habita ſuper his cum Venerabili Fratre Noſtro Vincentio Epiſcopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu Noſtro mature perpenderunt, deliberatione; Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit; ita interdici re ipſa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamſi forte iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad Confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex Confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertiri.

§. 3. Porro, ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ Confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret; ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem Pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat, fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam Noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis; unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ Noſtræ Conſtitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus.

§. 4. Quod ſi idem Sacerdos, aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut, ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ Sacramentalem Confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit; quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte Pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint; (non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat) nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis,

& huic

& huic Sanctæ Sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præfata Nostra Constitutione voluimus non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur, ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Februarii MDCCXLV., Pontificatus Nostri Anno quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

XIV.

CANONES PŒNITENTIALES

PRÆCIPUI EX VARIIS CONCILIIS, ET LIBRIS PŒNITENTIARIIS COLLECTI CONTRA PECCANTES IN PRÆCEPTA DECALOGI.

Contra Primum.

QUi auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœnitens erit dies decem, pane, & aqua victitans.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Contra Secundum.

QUicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur, & post hæc Communionem percipiat.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum Solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die sine pallio, & calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane, & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus; singulis item septem illis diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin alia pœnitentia afficiatur.

Contra Tertium.

QUi opus alioquin servile die Dominico, festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane, & aqua.

Si

Si quis ante Ecclesias, vel die festo saltationes (quas ballationes vocant) fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus. *In græco codice:* Clericus deponatur, Laicus excommunicetur.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum Divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane, & aqua.

Si quis jejunia a Sancta Ecclesia indicta violarit, pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Paschate non communicet; & præterea a carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Contra Quartum.

QUi Parentes injuria affecerit, tres annos; qui percusserit, annos septem pœnitentiam aget.

Si quis contra Episcopum Pastorem, & Patrem suum insurrexerit, uno in loco, Monasteriove pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ. Addit Gratianus, ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in uno Monasterio, &c.

Eadem pœnitentia afficiatur qui contra Presbyterum.

Si quis in eo conspiraverit, ut Episcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel subsannet, aget in pane, & aqua dies quadraginta pœnitentiam.

Si quis item Presbyteri, Parochive sui præcepta irriserit, pœnitens item erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Contra Quintum.

SI qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur, Parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiat.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida pœnitentia afficietur.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum Proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane, & aqua: Clericus, unius anni, & mensium sex.

Si quis Fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, aqua, oleribus, ac leguminibus; abstinebit ab uxore dies totidem; deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præ-

terea quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptismum, quadraginta dies, ut supra, & quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Si quis explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, homicida teneatur.

Contra Sextum.

SI Laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres, & quanto sæpius, tanto majori pœnitentia afficietur.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali, ille quinquennali.

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem constituunt pœnitentiam.

Qui cum brutis coiverit, pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti; si vero impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, & septem præterea annos, e quibus unum in pane item, & aqua.

Si quis conjugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit arbitrio Sacerdotis periti.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque.

Maritus, si ancilla concubina utitur, pœnitentiam aget annum unum, quadragesimas tres, & legitimas ferias tribus mensibus. Illa, si invita violatur, quadraginta dies; si consentiens, quadragesimas tres, & legitimas ferias.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget annum unum.

Quicunque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, & perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni munere suæ functionis mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim, deinde in Monasterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo serviet. Fœmina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in Monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus.

Qui Monialem violarit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter si fornicationem admiserit, sponte confessus, pœnitentiam aget annos

annos decem hoc modo: Tribus mensibus a cæteris remotus pane, & aqua jejunabit, diebus autem festis modico vino, pisciculis, & legumine utetur, sacco indutus humi cubabit, diu noctuque Misericordiam Dei implorans. Deinde unum annum, & sex menses in pœnitentia, jejunioque panis, & aquæ explebit, præter festos dies, in quibus vino, & sagimine, caseo, ovisque canonice uti poterit. Finito primo anno, & dimidio, sacræ Communionis particeps fiet, Psalmos in Choro ultimus canet, Officia minora geret. Postea verò quam septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore, præter Paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane, & aqua jejunabit. Expleto septennio, usque ad finem decimi anni sextam feriam in pane, & aqua jejunabit.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir se inquinans, primò dies decem; si iterum, dies viginti; si tertiò, dies triginta; sique nefarie agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta; si major quindecim annis, dies centum.

Quicunque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias.

Qui hoc facinus admiserit, Sacram Communionem non accipiet, nisi in fine.

Contra Septimum.

Qui Decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet, & tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Qui Hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet, quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit, Laicus quinquennii, & quod furatus est, reddat.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicunque illas exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit, idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Contra Octavum.

Qui Proximo falsum crimen objicit, pœnitentia afficitur, ut falsus testis.

Si quis contra Proximum lingua lascivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane, & aqua.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, & mensuris admiserit, pœnitens erit in pane, & aqua dies viginti.

Falsarius pœnitentiam agat in pane, & aqua, quamdiu vivit.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Contra Nonum.

REm alienam nefarie concupiscens, avarusque pœnitens erit annis tribus. Qui aliena furari concupiscit, furtum est; qui item aliena rapere cupit, rapina est; qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est; ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Contra Decimum.

SI quis concupiscit fornicari, si Presbyter, pœnitens erit annos quinque, si Diaconus, vel Monachus, tres, e quibus unum in pane, & aqua; si Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, pœnitens erit dies septem.

DECLARATIO

Circa nonnulla ad prædictos Canones spectantia.

QUando in pœnitentia exprimebatur numerus determinatus dierum viginti, triginta, Carina, seu Carena, idest quadraginta, vel una sola Quadragesima, jejunium illorum dierum fieri debebat in pane, & aqua.

Quando in pœnitentia exprimebantur tres Quadragesimæ, nempe una ante Pascha Resurrectionis, altera ante diem Nativitatis Domini, tertia ante diem Nativitatis S. Joannis Baptistæ, tunc jejunium fieri debebat in pane, & aqua in feria secunda, quarta, & sexta, quæ dicebantur Feriæ legitimæ; quando verò pœnitentia extendebatur ad unum, vel plures annos, tunc primo anno jejunium fieri debebat in pane, & aqua per omnes ferias legitimas, id est secunda, quarta, & sexta, ut supradictum est; insuper in feria tertia, quinta, & Sabbato non poterat quis comedere, nisi pisciculos, fructus, olera, & legumina, neque poterat vinum bibere, sed solam cervisiam, exceptis diebus Dominicis, & quibusdam solemnioribus Festis, in quibus poterat vesci carnibus, & bibere vinum, sicut cæteri. Qui pœnitentia mulctatus fuerat, secundo anno debebat jejunare in pane, & aqua sextis feriis; & secunda, & quarta feria debebat jejunare comedendo fructus, olera, & legumina, & bibendo cervisiam; insuper trium quadragesimarum, ut supra, jejunium observare; cæteris annis solas tres quadragesimas servare.

XV.

XV.

CONSTITUTIO

BENEDICTI XIV. qua Confessarii vetantur exquirere a Pœnitentibus complicum nomina.

SUprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, & divina Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, Charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostræ universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus........ Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos.............. Confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quandam, & perniciosam praxim in audiendis Christifidelium Confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando invehere, atque introducere cæpisse; ut videlicet, si forte in Pœnitentem incidissent socium criminis habentem, ab iisdem Pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent; immo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, vel emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas male applicando, perniciem tam suis, quam Pœnitentium animabus consciscerent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est; nec fieri potuit, quin ea de causa, & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint.......... Nos autem ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus, notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandemque a Nobis per præsentes Nostras in forma Brevis Literas reprobari, atque damnari, tanquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalienantem. Ea propter, Venerabiles Fratres, quamquam de Pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus; Supremi tamen officii quoque Nostri

Nostri esse censemus, alacritatem ipsam: vestram hac mentis Nostræ aperta significatione, & Apostolicis insuper hortationibus Nostris intensius acuere, & excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascunque prudentia suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus quibusque Juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis; neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinæ Misericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas, dealbandasque in Sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea dum a zelo vestro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur vestræ pietatis, & observantiæ argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima cœlestium charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimnr. Volumus autem &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Mensis Julii MDCCXLV., Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Extat alia Constitutio ejusdem Benedicti XIV., qua confirmantur literæ Suprema *jam editæ, & statuuntur pœnæ tum adversus omnes, & singulos docentes licitam esse praxim exquirendi a Pœnitentibus nomina sociorum, & complicum criminis, tum adversus Confessarios, qui in Tribunali Pœnitentiæ interrogare præsumant de nomine socii, seu complicis, & Pœnitenti, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem denegare; & præfinitur ordo providendi in hujusmodi caussis: incipit hæc Constitutio* Ubi primum de perversa.

Extat in hanc rem tertia ejusdem Pontificis Constitutio, qua eædem literæ incip. Suprema, & Ubi primum *confirmantur, ampliantur, & extenduntur ad Urbem, & Orbem; incipit hæc Constitutio* Ad eradicandum pravum.

XVI.

CIRCOLARE

Della S. Congregazione del S. Offizio, che i Confessori non si deputino Giovani, ma di età, e d' intelligenza provetti, e questi non ascoltino le Donne avanti il Confessionario, ma da' lati di esso.

DA' casi di scandalo con circostanze, che frequentissimamente occorrono a gravissimo danno delle Anime nelle Confessioni Sagramentali per parte de' Confessori, da' quali viene però convertito in veleno quello, che dovrebbe essere antidoto delle colpe, avendo la Santità di N. Signore osservato quanto, per ovviarli, sia necessario alli Vescovi l' avere un' attenzione la più precisa in eleggere Persone di proposito in ministerio di tanta importanza; quindi è, che la Santità Sua col parere di questi Eminentissimi miei Colleghi Signori Cardinali Generali Inquisitori ha stimato bene, che io con questa mia Circolare ne faccia a V. S. particolar premura, volendo, che da

qui

qui avanti Ella con ogni maggiore ſtudio, e diligenza procuri, che tali Soggetti non *ſieno Giovani*, *ma d' età*, *e d' intelligenza provetti*, e ben morigerati, a' quali dovrà ſtrettamente ordinare, che non ſentano le Confeſſioni maſſime di Donne *avanti il Confeſſionale*, ma *da' lati di eſſo*, ed in luoghi pubblici, ed eſpoſti a viſta di tutti; perſuaſa la Santità Sua della bontà, e zelo del ſuo Carattere, che da Lei verrà in ciò a pieno la ſua mente adempita. Roma 14. di Dicembre 1694.

XVII.

CIRCOLARE

Della Sacra Congregazione dei Veſcovi, che le Confeſſioni non ſi aſcoltino fuori di Chieſa.

MI hanno queſti Eminentiſſimi miei Signori comandato di ſcrivere a V. S. che onninamente ſotto gravi pene proibiſca a tutti li Confeſſori di cotesta Città, e Dioceſi l' aſcoltare le Confeſſioni Sacramentali fuori di Chieſa, ſe non ne' caſi d' Infermità, per li quali i Penitenti non poſſono andare alla Chieſa. Tanto dunque eſeguiſca in conformità della preciſa mente della Sagra Congregazione; ed il Signore Iddio la proſperi.

Di V. S. Roma 6. Giugno 1687.

COME FRATELLO IL CARD. CARPEGNA.

B. Panciaſichi Segret.

XVIII.

SOMMARIO

Di diverſe Indulgenze, che può ognuno facilmente acquiſtare, qualora ſi eſerciti nelle infraſcritte opere di pietà, e divozione.

I. A Quelli, che in articolo di morte con la bocca, o con il cuore (non potendo con la bocca) invocheranno il Nome Santiſſimo di GESU', ſi concede Indulgenza Plenaria, purchè ſiano ſtati ſoliti ad invocarlo; ed a quelli, che in vita riverentemente nomineranno il Santiſſimo Nome di GESU', e MARIA, venticinque giorni d' Indulgenza per ciaſcheduna volta; finalmente a quelli, che ſi ſaluteranno nella loro lingua, o in altra, dicendo *Lodato ſia Gesù Criſto*, ed a quelli, che riſponderanno *In ſæcula*, ovvero *Amen*, o *Sempre*, vengono conceſſi cento giorni d' Indulgenza; e tutti quelli, che procureranno ſia in uſo queſta ſalutazione, otterranno le ſteſſe Indulgenze: Siſto V., e Benedetto XIII. II.

II. A quelli, che reciteranno in ginocchioni divotamente al suono della Campana la mattina, o a mezzo giorno, ovvero la sera la solita Orazione. *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto = Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum = Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis =*, e con la detta Orazione tre volte l' *Ave Maria &c.*, si concede Indulgenza Plenaria in un giorno di ciascheduno mese a loro elezione, purchè in detto giorno veramente pentiti, confessati, e comunicati preghino il Signore per la pace, e concordia fra i Principi Cristiani, estirpazione dell' Eresie, e per l' esaltazione della Santa Madre Chiesa. Negli altri giorni poi dell' Anno a quelli, i quali veramente contriti diranno l' Orazione, come sopra, ogni volta, che ciò faranno, si concedono cento giorni d' Indulgenza. Le medesime Indulgenze si concedono a quelli ancora, che recitino in piedi detta Orazione dal Vespro di ciaschedun Sabbato a tutta la Domenica seguente, e nel tempo Paschale, ancorchè in detto tempo si reciti in piedi l' Antifona *Regina Cœli &c.* col suo Versetto, ed Orazione corrispondente *Deus, qui per Resurrectionem &c.* in vece dell' Orazione suddetta; e quelli, che non sanno quest' Antifona, acquisteranno l' Indulgenza, se reciteranno anche ne' detti giorni la sopranominata Orazione dell' *Angelus Domini*: Benedetto XIII., e Benedetto XIV.

III. A quelli, che reciteranno in ginocchioni al tocco della Campana nella prim' ora di notte il Salmo *De profundis* in suffragio dell' Anime de' Fedeli Defonti, o pure un *Pater noster*, ed un' *Ave Maria* col Versetto *Requiem æternam &c.* si concedono cento giorni d' Indulgenza per ogni volta. Quelli poi, che per un anno continuo avranno avuto questa pia usanza, conseguiranno Indulgenza Plenaria in quel giorno da eleggersi a loro piacere, in cui pentiti, confessati, e comunicati pregheranno Dio, come sopra: Clemente XII.

IV. A quelli, che insegneranno, o anderanno ad imparare, ovvero interverranno all' Istruzione sopra l' Orazione mentale, che si farà in qualche Chiesa, o pure in altro luogo, si concedono sette anni, ed altrettante quarantene d' Indulgenza, purchè siano veramente pentiti, e comunicati per ciascheduna volta, che ciò faranno: a quelli poi, che ciò faranno assiduamente, si concede l' Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti i peccati, quando veramente pentiti, confessati, e comunicati in un giorno da eleggersi a loro piacere in ciascun mese dell' anno pregheranno il Signore, come sopra; quale Indulgenza potrà applicarsi anche in suffragio dell' Anime del Purgatorio: e questa Indulgenza Plenaria ne' detti termini si concede a quelli, che per un mese continuo avranno impiegata mezz' ora, o almeno un quarto d' ora per ogni giorno nell' Orazione mentale, i quali potranno eleggere quel giorno del mese, che più loro piacerà: Benedetto XIV.

V. A quelli, che reciteranno divotamente una terza parte del Rosario della B. V., si concede Indulgenza di cinque anni, ed altrettante quarantene: e, se l' abbiano recitato ogni giorno per un anno intiero, si concede, che una volta l' anno nel giorno da eleggersi da ciascuno acquistino l' Indulgenza Plenaria applicabile ancora alle Anime del Purgatorio, purchè confessati, e comunicati preghino per la concordia de' Principi Cristiani, estir-

pazione

pazione dell' eresie, ed esaltazione di S. Madre Chiesa. Sisto IV., Leon X., Benedetto XIII.

In quo sane duo Vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Sæpe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudolenter componant, ut, quatenus eorum crimen in judicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi, suæque cupiditati inservientis, persona, aut alieno nomine tabulis, & rationum libris inscripto, negotiationem, aut conductionem, de qua quæritur, ad se nequaquam pertinere contendent: Modo, scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut, si de lucrosis quæstibus a Superiore arguantur, defendere possint, non se turpi cupiditate adductos, lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum, aut sanguinis, aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum, bona, negotiationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex charitatis officio, & directionis titulo, procurare se prædicabunt.

Quamvis autem, propria etiam experientia in Episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit judicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona, vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi Ecclesiasticæ disciplinæ capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo

ipso

ipſo, quod Veſtram, Eccleſiæque mentem ab oſcurioribus etiam eorum prævaricationibus abhorrentem ſæpius teſtatam facietis; iiſdemque, oblata opportunitate, graviter denuntiabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes, & corda ſcrutatur, nihilque apud ſupremum illius Tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Eccleſiæ Præſulem decipere, indictaſque legibus pœnas declinare ſatagunt. Cæterum non omnino impoſſibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoſcere, occultumque crimen revincere, ſi debita cura, atque ſolertia expendantur hominum mores, qui ex univerſo eorum vitæ tenore ſe produnt; rerumque, & caſuum adjuncta, quæ allatas excuſationes probabilius admittendas, rejiciendaſve ſuadent. Id, quod exemplis illuſtrare facile poſſemus, niſi de Fraternitatum Veſtrarum ſapientia, & rerum uſu, quantum par eſt, in Domino confideremus.

Alterum vero, quod æque cavere debetis, illud eſt, ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur, aut indulgentia præter fas extenditur, præter mentem, & ſpiritum Eccleſiæ, ex privatis opinionibus adinventas, & ſine legitimi ſuperioris aſſenſu ad proprii cujuſque caſus opportunitatem accomodatas, apud Vos ullo modo valere ſinatis, ubi Clericorum Sæcularium, aut Regularium negotiationem, Vobis Judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quæſtio ſit de ipſa natura contractus, qui aliqua in Diœceſi ab Eccleſiaſticis iniri ſoleat, an ſcilicet ipſis licitus, vel potius interdictus cenſeri debeat, haud æquum erit pro judicandi norma accipere vel frequentiam ipſorum actuum, de quorum natura quæritur, vel ipſam contrahentium opinionem; ſed, ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam, & audaciam, expeditiſſima erit via recurrendi ad hanc Apoſtolicam Sedem, quæ, ſicuti alias complures hujus generis quæſtiones per organum præſertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum definivit, ita etiam in poſterum quid de propoſitis caſibus ſentiendum ſit, decernere non omittet idoneis editis reſponſis, ex quibus agendi, judicandique regula deſumi valeat.

Quo in genere, quum acceperimus, perſpicuam noſtram & Apoſtolicæ Sedis declarationem deſiderari ſuper eo, an Clericis liceat Cambium activum contrahere; quamvis non aliam fere rem dubitationi minus ſubjectam putemus, nihilominus, ad omnem cauſandi occaſionem amputandam, præſentium Litterarum tenore declaramus, ac definimus, Cambium activum, natura ſua, eſſe actum veræ, & propriæ negotiationis; ideoque Eccleſiaſticis omnibus vetitum cenſeri debere, tam proprio nomine, quam per interpoſitam perſonam, illud contrahere; quicumque vero e Sæculari, vel Regulari Clero Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri pœnis, atque cenſuris, quæ in Clericos negotiatores conſtitutæ noſcuntur.

Si autem Eccleſiaſticorum quiſpiam, ad ſe excuſandum, quod ſæcularibus negotiis ſe immiſceat, neceſſitatem proferat indigentiæ, non quidem ſuæ (quandoquidem unicuique Clerico canonicus Ordinationis Titulus, vel ſaltem congruum ſufficiens patrimonium eſſe debet, quo ſe ſuſtentet, iiſque forſan deficientibus, debet ipſe honeſtioribus artibus, ſuæque profeſſioni conformibus, propriis neceſſitatibus conſulere) ſed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Perſonarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur;

primum

primum volumus, atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse, quominus ad Canonicæ legis præscriptum pro modo culpæ puniatur, nisi doceat, se antea præfatas necessitates Apostolicæ Sedi, si intra Italiam, & Insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem, & facultatem prædictas Personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

Deinde, pro eo quod pertinet ad hujus Curiæ Nostræ Officia, notum facimus, Nostram mentem, & voluntatem esse, ut hujusmodi dispensationes, & facultates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductæ causæ veritati nitantur, & nisi simul constet, prædictas indigentias nulla alia ratione levari posse; eoque etiam casu nunquam Ecclesiasticis permittatur ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratio Clericalem Statum, & Characterem dedeceat; quin immo in ipsis Indultorum Rescriptis, & Litteris, indicentur, ac præscribantur honestiores modi, quibus Clericus, justa moderatione servata, & intra veram indigentiæ mensuram pauperibus Consanguineis opem præstare valeat. Quæ omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinent, in hujusmodi dispensationibus, & facultatibus concedendis observare debebunt: Hoc insuper advertentes, ne ea, quæ vel ab ipsis, vel ab Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permissa, &, justis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur, (exempli gratia, ut Ecclesiarum fundos certa annua pensione conventa, colendos, exercendosque conducerent) eadem a reliquis Ecclesiasticis, tanquam generaliter omnibus concessa, absque justa causa, & sine speciali Indulto usurpentur.

Cæterum facultates ipsas, etiam, ut supra dictum est, obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis, & revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatæ Conjunctorum indigentiæ cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam, atque conscientiam onerari volumus, & re ipsa oneratam fore denuntiamus.

Verum non uni duntaxat negotiationi tribuenda est, quæ nunc temporis cernitur Ecclesiasticæ Dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus Ecclesiastici Viri proprium decorem, totiusque Cætus, & Ordinis existimationem eo frequentius, atque securius abiicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari litteræ sacrorum Canonum, & Constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris, & pœnis ibidem statutis nequaquam subiiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex prædictorum relatione cognovimus, in ipsa Bonorum suorum administratione, eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium, & cœterorum, quæ in propriis, Ecclesiæve fundis enascuntur, seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quæ vel ad proprios usus, vel ad fundos prædictos instruendos sunt necessariæ, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis, & sollicitudinibus hujus Sæculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt,

dunt, ut qui facræ dignitatis præſtantia ſupra humanæ conditionis ſortem evecti merito reputantur, infra ipſos abjectiſſimi ſtatus homines ſe ſe demittant; & qui Filii lucis eſſe, & apparere deberent, ſæculi filios, terrenæ aviditatis anxietate, ſuperare videantur. Hos ajebant omnibus Nundinis, atque Mercatibus, laicali propemodum apparatu, ac ſpecie ſe ſiſtere, nec quidquam minus, quam Clericalis moderationis, atque modeſtiæ, vel Eccleſiaſtici decoris, & gravitatis ſpecimen præſeferre.

Quibus Nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipſis, pro recta, & provida Eccleſiaſtici Patrimonii adminiſtratione, quo ad ipſam actus naturam, permiſſum dignoſcitur, vel etiam a Sanctis Patribus, & Eccleſiaſticarum legum Conditoribus eorum diligentiæ commendatum. Verum ſicut alia complura ſunt, quæ Clericis, quoad rei ſubſtantiam, non prohibentur, & tamen eorum uſus, ſub certis duntaxat modo, & forma, iiſdem permittitur, iis autem, qui præſcriptum modum exceſſerint, ſtatutamque Eccleſiaſticæ diſciplinæ formam violaverint, tum temporales pœnæ, tum etiam ſpirituales cenſuræ a ſacris Canonibus infliguntur; cujus rei innumera extant exempla in generalibus canonici Juris legibus, ac etiam in peculiaribus Diœceſum ſtatutis, quæ plura de vita, & honeſtate, de habitu, & tonſura Clericorum ſive obſervanda, ſive vitanda, præſcribunt; ita Vos, Venerabiles Fratres, oportet, Eccleſiaſticorum omnium, qui in Diœceſibus Veſtris verſantur, agendi rationem circa præmiſſa circumſpectantes, ſi quid Vobis conſtiterit frequentius ab iis admitti, quod Clericalem ſtatum dedeceat, non ſolum eos inſtructionibus docere, ut collatæ ſibi dignitatis celſitudinem cogitantes, non ſibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque Eccleſiaſtico Ordini exiſtimationem, & reverentiam, quæ etiam ſpiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodeſt, ex laicorum animis abolere; utque memores ſe in ſortem Domini vocatos eſſe, non tam, quæ ſua ſunt, quam quæ Jeſu Chriſti quærant, & curent: ſed præterea, quatenus opus eſſe noveritis, opportunis Decretis conditis, ac ſeverioribus Edictis propoſitis, ejuſmodi Clericorum turpitudini, & cupiditati ob iam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris, majoriſque ſcandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem ſalutaribus pœnitentiis emendare, nunc demum diſtricto pœnarum, ac etiam cenſurarum gladio, ad cæterorum exemplum coercere, & punire.

Et parem quidem, vel etiam majorem Paſtoralis zeli Veſtri ſollicitudinem, atque conſtantiam requirit illud corruptelæ genus, quod plures Eccleſiaſticos viros inficere, & ab Eccleſiæ ſervitiis abductos ad Sæculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui induſtriam, operamque ſuam, quam totam Divino cultui, & Proximorum utilitatibus, ex charitatis lege, impendere deberent, laicorum obſequiis, abjectiſque ſervitiis addicere, aliquando etiam eorum negotiis adminiſtrandis, curandiſque pro temporali, eaque ſatis vili mercede locare non recuſant. In quo difficile eſt judicare, an magis deflenda ſit eorum cæcitas, qui proprii gradus dignitatem ipſi proculcant, an potius reprehendenda ſit laicorum præſumptio, qui Sanctuarii Miniſtros, a quibus Chriſtianæ vitæ documenta, æternæque Salutis ſubſidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eos in domeſticis officiis ſibi dicto audientes, ſervilibus miniſteriis adhibere non vereantur.

Verum quod altius animum Nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat, quod nempe aliquibus ad Clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat, fallacibus, corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi Patrimonio, cujus fructus, aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines, absque reditibus ad honestam vitæ sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis Vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, Vos omnes, & singulos enixe hortamur, atque monemus, ut cautiores hac in re, oculatioresque Vos præbeatis, ne cui Subditorum Vestrorum detur ad sacram Ordinationem obrepere, qui ex Beneficio Ecclesiastico, vel Ecclesiastica Pensione, aut ex Patrimonio sibi constituto, in casibus a Jure permissis, omni submota collusione, ac fraude, eam reipsa non percipiat annui reditus summam, quæ Synodalibus cujusque Diœcesis statutis, aut legitima consuetudine definita dignoscitur. . . . .

Clericos autem, & Sacerdotes, in laicorum domibus ejusmodi ministeriis addictos, quæ eorum gradum, & professionem dedeceant, quæque eos a Divinis obsequiis, & propriæ perfectionis cultura ad illiberalium occupationum, & sæcularium negotiorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos de sua ab Ecclesiæ castris defectione impune gloriari; sed omni Pastoralis sollicitudinis studio, & quatenus opus sit, tota Ordinariæ, & Delegatæ Jurisdictionis Auctoritate, servatis servandis, eosdem ad Ecclesiasticæ vitæ instituta, & ad Clericalis Militiæ munera revocate. . . . .

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Die XVII. Septembris MDCCLIX. Pontificatus Nostri anno secundo.

II.

EPISTOLA ENCYCLICA

S. Congregat. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qua pium Exercitiorum spiritualium opus maxime commendatur, & Clericis, Sacerdotibus, aliisque Ecclesiasticis illa peragentibus plura ex Apostolica benignitate indulgentur.

Perillustris, et Reverendissime Domine uti Frater.

INter gravissimas Pastoralis Officii curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster assidue premitur, in eam præcipuo studio incumbit, ut quicunque in sortem Domini vocati sunt, præsertim vero Sacerdotes, & animarum Rectores, tum sacrarum Litterarum, Divinarumque rerum scientia, tum etiam vitæ, morumque honestate cæteris antecellant, ac in omnibus, juxta monitum Apostoli, præbeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Quum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiæ Mem-

Membra, Dispensatores Mysteriorum Dei, Christiani populi Duces, & Magistri, Mediatores inter Deum, & homines, Lucernæ super candelabrum positæ, ut luceant omnibus, qui in Domo sunt, nihil est, quod alios magis ad pietatem, Divinumque cultum accendat, quam illorum vita, & exemplum: omnes siquidem in ipsos, tanquam in speculum, oculos coniiciunt, ut inde sumere possint, quod imitentur. Porro quum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, & sanctimoniam maxime conducere, ut Ecclesiastici Viri spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur, recte, sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur; proinde Sanctitas Sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, & saluberrimum Exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur, ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque tum Italiæ, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios enixe admonet, ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque Diœcesi, quo majori poterunt conatu, ac studio promovere satagant: præcipue vero iis districte injungit, ac præcipit, ut quæ dudum Sanct. mem. Innocentius XI. P. M. per Encyclicam Epistolam a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium consultationibus præposita ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Episcopos datam die 9. Octobris 1672. quoad hujusmodi spiritualia Exercitia a singulis Clericis decem dierum spatio, antequam ad sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exacte, ac inviolabiliter observari, & exequi curent, & quos iisdem Exercitiis per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint, a sacra Ordinatione repellant penitus, & arceant. Præterea Sanctitas Sua eosdem Ordinarios admonet, & hortatur, ut fructu, qui sane uberrimus ex prædictis spiritualibus Exercitiis percipitur, opportune proposito, ac explicato, universos ex Clero sibi subjecto, sed præcipue animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos diligenter excitent ad eadem Exercitia saltem semel in anno peragenda in Domibus Religiosorum Societatis Jesu, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minus in alia pia, seu Regulari Domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda, & approbanda. Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus præfatis animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, & Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem Exercitia peregerint in Domibus præfatis, ibique diu, noctuque permanserint, ac interea temporis vere pœnitentes, & confessi sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit: quod ipsum servari præcipit quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia adstrictos, & Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, & quotidianas suorum respective Canonicatuum, & Beneficiorum distributiones quascunque perinde, ac si Choro, Divinisque Offi-

ciis personaliter interessent, dummodo tamen eadem Exercitia peragant obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnino omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nunquam intermittatur, & quo ad Parochos, idoneis prius subrogatis Æconomis ab ipsomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hæ Literæ publicentur in ista Diœcesi, & in Cancellariæ registris pro perenni eorum, quæ in illis continentur, observantia describantur, & ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Ampl. tuæ vigili providentia, ac Pastorali sollicitudine præstanda fore confidit Sanctissimus Pater, ut a Sanctitate Sua laudem, a cœlesti vero bonorum operum Retributore condigna præmia valeat promereri: & Ampl. tuæ copiosa Divinorum Charismatum incrementa ex animo precor.

Ampl. tuæ. Datum Romæ Die 1. Februarii 1710.

UTI FRATER BANDINUS CARD. PANCIATICUS PRÆFECTUS.

V. Petra Secretarius.

III.

ISTRUZIONE

Sopra la Congregazione de' Vicarj Foranei prescritta nel Sinodo Part. IV. Cap. IV.

ALESSANDRO MATTEI de' Duchi di Giove, Patrizio Romano, della Santità di N. S. Pap. PIO VI. fel. regn. Prelato Domestico, Assistente al Soglio Pontificio, per la Grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Arcivescovo di Ferrara.

IL fine, e lo scopo della Congregazione de' Vicarj Foranei, che abbiamo prescritto nel Sinodo di tenere ciascun anno, e che, giovandoci Iddio, terremo diffatti col torre di mezzo ogni ostacolo, ed opposizione, che potesse in seguito per qualunque siasi causa frapporsi, egli è di prendere in considerazione lo stato della Nostra Diocesi, avvertirne i disordini, e gli abusi, che v' insorgono, apporvi gli opportuni ripari, e rimedj, proporre mezzi i più acconcj, e pratici ad ampliare il Divin Culto, a sostenere, e fomentare la spirituale edificazione de' prossimi. Affinchè poi il tutto proceda con ordine, e metodo, e traggasi da tale Istituzione quel frutto, che Noi speriamo grandissimo, verremo qui partitamente divisando, quai Persone intervenir debbano alla detta Congregazione, cosa far debbasi prima di essa, e come in essa contenersi. I.

I. Questa Congregazione terrassi ciascun anno, in cui non possiamo celebrar Sinodo, il Giovedì fra l' Ottava di Pentecoste nel Nostro Palazzo Arcivescovile: v' interverranno con Noi il Nostro Vicario Generale, i Nostri Convisitatori, un Visitatore delle Dottrine Cristiane, un Presidente ai Legati pii di Messe, il Nostro Teologo, l' Arciprete de' Parochi di Città, tutti i Vicarj Foranei della Diocesi, ed un altro, da eleggersi da Noi, in qualità di Segretario: ci riserbiamo di convocar altri pure, se a Noi parrà talora opportuno; poichè ad ottenere un tanto bene, che da tale funzione ci ripromettiamo, verrà da Noi impiegatovi quanto v' ha di pietà, e di sapere in questa Città, e Diocesi, la quale n' è dalla Misericordia, e Beneficenza di Dio assai bene fornita in tutti gli Ecclesiastici Ordini sì Regolari, che Secolari.

II. Un mese prima della Congregazione tutti i Vicarj Foranei invieranno a Noi una Relazione esatta sovra que' punti, che ad essi proponiamo riguardanti la loro Pieve: un altra pure ce ne invieranno e gli stessi Vicarj, e tutti i Rettori sovra altri punti ad essi proposti riguardanti le loro Parrocchie: sovra i punti proposti ai Vicarj c' invieranno segretamente la Relazione i Testimonj Sinodali. Tutti facciano in guisa, onde tali Relazioni ci giungano realmente al tempo prefisso, affinchè possiamo esaminare a bell' agio quanto ci verrà proposto, e commettere al Segretario il ristretto di quanto giudicheremo opportuno doversi proporre alla Nostra Congregazione.

III. Tutti i Vicarj Foranei procureranno di convocare con particolare invito i Parochi della lor Pieve alla solita soluzione del Caso più prossima al Congresso: terminata la quale, e dimessi tutti sì Cherici, che semplici Sacerdoti, e Confessori, il Vicario Foraneo interroghi ciascun Paroco, se abbia nel suo Popolo cosa, che stabilmente apporti pubblico scandalo, e a cui non possa Egli da se metter riparo: l' interpelli a suggerir tutto quello, che crederà più necessario, ed opportuno ad essere proposto nella Nostra Congregazione in ordine tanto a' vizj, e disordini più gravi, e frequenti nella sua Parrocchia, ed anche nella Pieve, quanto ai remedj, e provvedimenti più ovvj, e pratici, che secondo la prudenza giudichi potervisi apporre: di tutto faccia il Vicario nota, e memoria, che recherà seco alla Congregazione.

IV. L' Arciprete anch' Egli de' Parochi di Città, e Suburbani un giorno della settimana antecedente alla Congregazione convocherà i Parochi, per interrogargli sovra i punti or' or detti; e di più se v' abbia cosa, che debba in nome loro proporci nella Sessione: di tutto farà anch' Egli nota, e memoria.

V. Tutti i Vicarj procureranno di essere in Città entro il Martedì, o al Mercoledì mattina precedente il giorno del Congresso: e Noi riserbiamo tutta intera questa giornata a ricevere, ed ascoltare privatamente ogni, e singolo Vicario Foraneo, non potendo Noi temere, che non voglia ciascuno darci la soddisfazione, e l' opportunità di vederlo, e di parlargli a parte. Che se alcuno fosse per essere attualmente, e realmente impedito, non ometta di presentarci preventivamente la ragione, e qualità dell' impedimento, che riconosciuto da Noi giusto, e ragionevole, ne lo dispenseremo: poichè ella è Nostra assoluta intenzione, e volontà, che non manchi alcuno senza

Nostra

Nostra licenza, e approvazione. Il Vicario però, che verrà da Noi dispensato, affiderà le memorie, e commissioni della sua Pieve, e le proprie a qualsivoglia altro Pievano, che meglio gli piaccia.

VI. La mattina del Giovedì quattro ore prima del mezzo giorno tutti que', che debbono intervenire alla Sessione, si porteranno nella Cappella del Nostro Arcivescovile Palazzo in abito talare, ove celebrata da Noi colla loro presenza la Messa del giorno, e fatto il ringraziamento, passeranno, invocando l' ajuto dello Spirito Santo, ad una Sala, ove terremo la Nostra Congregazione.

VII. Quivi, compiuta d' invocazione dello Spirito Santo, il primo a proporre sarà l' Arciprete de' Parochi di Città: in secondo luogo i Vicarj Foranei: in terzo il Segretario della Congregazione, il quale trarrà gli argomenti delle sue proposte 1. dalle Relazioni già antecedentemente spedite, onde avrà egli estratto, quanto siasi creduto necessario a portarsi alla disamina della Congregazione: 2. dalle particolari notizie, che gli saranno state comunicate, e commesse da proporsi da Noi, o dal Nostro Vicario Generale.

VIII. Si farà sopra d' ogni capo sufficiente discussione. Sarà a tutti permesso il dire quel, che ad essi parrà nel Signore con vero spirito di carità, e con tutta la gravità, e decenza degna del rispettabile loro carattere, e dell' importante loro rappresentanza. Il Segretario ne minuterà le memorie, affine di prendere quelle risoluzioni, che si stimeranno più opportune, o riserbar la materia pel nuovo Sinodo.

IX. Dopo tutto questo, rendute le grazie al Signore, scioglieransi la Congregazione. Sarà poi cura del Segretario fare in libro a posta registro delle determinazioni prese, ivi pure descrivervi Circolari, Notificazioni, Risposte spettanti a questa Sessione. Sarà pure sua cura mettere in ordine le Relazioni annue per potersi, se occorra, tutte riassumere l' anno vegnente, e di nuovo discutere le materie, accertarsi della esecuzione. Il detto libro, e tutte queste memorie verranno tra l' anno custodite nel Nostro Archivio Segreto.

RELAZIONE ANNUA

De' Vicarj Foranei, e de' Testimonj Sinodali.

I. SE comincì a correre cattivo rumore, e scredito di alcun Cherico, o Sacerdote, massime se Confessore, o Paroco.

II. Se alcun Sacerdote, o Cherico abiti con Donne, e se con affini, o congiunte, in che grado, di qual età, e di qual fama: *Synod. Par. 4. Cap. 1. num. 7.*

III. Se alcun Paroco, o Confessore frequenti le case delle proprie Penitenti, o sia spesso con esse in colloquj, e conferenze fuori di Confessionale.

IV. Se alcun Paroco manchi alle Leggi Canoniche, e Sinodali della residenza. *Synod. Par. 4. Cap. 5. n. 35.*

V. Se si sottragga frequentemente alla personale amministrazione de' Sagramenti, all' assistenza, e visita degl' Infermi; (*Synod. Par. 4. Cap. 5. n. 22.* &

& alib. de Sacr.) o se trascuri nell' amministrazione de' Sagramenti, ne' Funerali, e nelle sacre Funzioni l'ordine, e la gravità de' sacri Riti: se trascuri il decoro della sua Chiesa, il nitore, e la decenza delle sacre Suppellettili.

VI. Se sia facile a prendere motivi, o pretesti di lasciare il Sermone Parrocchiale ne' giorni prescritti; se usi farlo sempre alla stessa ora, se con sodezza, e gravità, e dottrina, senza frammischiarvi cose meno convenienti alla riverenza, e santità della parola di Dio. *Synod. Par. 1. Cap. 7. n. 1. 3. 7.*

VII. Se non provvegga sufficientemente i fanciulli, e gli adulti della necessaria istruzione della Dottrina Cristiana. *Synod. Par. 1. tot. Cap. 6.*

VIII. Se ometta di denunciare le Feste, e le Vigilie cadenti tra settimana, e di pubblicare a' debiti tempi i Nostri Editti.

IX. Se non abbia giusta l'Ordine da Noi prescritto nel Nostro Sinodo, e non tenga ben custoditi i cinque libri Parrocchiali, cioè de' Battezati, de' Confermati, de' Matrimonj, dello stato delle Anime, e de' Morti. Se non tenga, e conservi, come abbiamo, e nella Visita, e nel Sinodo ordinato l' Archivio. *Synod. Par. 4. Cap. 5. num. 11. 12.*

X. Se non adempia i Legati Pii, gli Anniversarj, gli Obblighi di Messe ne' tempi, e nelle forme prescritte da' Testatori, o dagli Oferenti, o dal Nostro Sinodo: così pure se accetti Legati, massime perpetui, senza licenza Nostra.

XI. Se ometta i riparamenti delle Fabbriche della Chiesa, del Beneficio, e d' altri pii luoghi, di cui abbia la libera, o comulativa amministrazione, o vi faccia incisioni d' alberi, o v' introduca pregiudizj.

XII. Se impieghi i danari d' una cassetta in altre cause contra la mente di quei, che fanno limosina.

XIII. Se differisca la Sepoltura di Cadaveri per avere i suoi emolumenti, o usi pegni, depositi, e simili cose per ottenere i medesimi. *Synod. Par. 4. Cap. 5. n. 27. Par. 3. Cap. 8. n. 13.*

XIV. Se ometta di mandare a chi è destinato le limosine per Terra Santa giusta le recenti Ordinazioni del Sommo Pontefice PIO VI. felicemente Regnante.

XV. Se vi sia Sacerdote, o Cherico d' Ordini Minori, o Maggiori, Beneficiato, o non Beneficiato, il quale non vada in abito, e tonsura decente, e non serva alla propria Chiesa, o conduca vita non conveniente all' Ecclesiastico, attenda a' negozj, e mercanzie; & conversi con persone di cattivo nome, o beva con immoderatezza, o porti armi, e frequenti il giuoco, la caccia contro quel, che si è prescritto nel Sinodo. *Synod. Part. 4. tot. Cap. 1.*

XVI. Se alcuno di quelli, che sono obbligati ad intervenire alla Conferenza del Caso, manchi di spesso, o senza causa. *Ibidem.*

XVII. Se corra nella sua Pieve qualche pubblico scandalo, o s' introduca qualche novità capace a indurre corruttela in genere di Fede, o di costumi.

XVIII. Se alcun Famigliare, o Ministro Nostro, o del Nostro Tribunale adoperi nel suo impiego, carica, officio con negligenza, passione, interesse, se affetti protezione, e abusi a proprio vantaggio della sua Rappresentanza.

RELA-

RELAZIONE

Annua de' Parochi.

I. QUanti abbia in Parrocchia Cherici, quanti Sacerdoti, e di questi quanti sieno approvati per le Confessioni. Degli uni, e degli altri noti il Nome, Cognome, l'età, gli studj, le abituali occupazioni, e gl' impieghi, il servizio alla Chiesa, la frequenza ai Sacramenti. E se Cherico, o Sacerdote alcuno frequentemente, e per notabile tempo soglia capitare nella sua Parrocchia, di questi riferisca pur anche il contegno, e la vita, che vi conduce.

II. Se abbiavi qualche Capo di Famiglia, il quale ometta di mandare alla Dottrina Cristiana i proprj figlj, o dipendenti, o famiglj.

III. Se abbiavi Maestri, o Maestre, e da essi si osservi il prescritto nel Sinodo per ciò, che s' aspetta alla Professione della Fede da farsi dai Maestri, ed alla Dottrina Cristiana da insegnarsi dagli uni, e dalle altre. *Synod. Par. 1. Cap. 2. n. 4., & Cap. 6. n. 17.*

IV. Se abbiavi Conjugati, che non coabitino: Se vi sieno pubblici concubinarj, adulteri, e usurarj: se si usino contratti illeciti, specialmente di cambio, e mercanzìa fittizia.

V. Se vi sieno inimicizie gravi, e inveterate, e fra quali persone. Se v' abbia nelle Case immagini, o statue immodeste.

VI. Se vi sia, chi non oda Messa ne' giorni festivi; ovvero sia chi non osservi Digiuni Ecclesiastici, o trasgredisca abitualmente la santificazione delle Feste, o stia con irreligiosa irriverenza nella Chiesa: e specialmente se v' abbia padroni, che facciano lavorare in dì festivi.

VII. Se vi abbia bettole, magazzini, osterìe, e vi si ammetta alcuno nelle ore interdette de' giorni festivi, o vi si ammettano in altri tempi, o vegganſi per la Parrocchia scandalosi giocatori, bestemmiatori, malefici. *Append. Part. 3. n. 1. pag. 106. Synod. Par. 1. Cap. 5. n. 8.*

VIII. Se le Levatrici di professione sieno approvate legittimamente, ed osservino quanto sta ordinato di esse nel Sinodo. *Synod. Par. 2. Cap. 2. n. 19.*

IX. Se i Medici, e Chirurghi avvisino al tempo dovuto per la Confessione. *Append. Part. 3. N. 2. pag. 112.*

X. Se sia stato fatto qualche pio Relitto, o Legato da essere denunziato a tenore del prescritto dal Sinodo. *Synod. Part. 5. Cap. 8. n. 8.*

XI. Finalmente se abbia il Paroco ricevuto il Testamento d' alcun suo Parrocchiano, e v' abbia fatta dare forma, come leggesi nel Sinodo. *Synod. Part. 5. Cap. 8. n. 11.*

Chiunque far debba tali relazioni, ricordisi di riferire la verità de' fatti con ingenuità, e senza passione: chi non temesse scusare, o coprir i delitti, ingrandirli, od esagerarli per fini, e rispetti umani, questi che operasse così, graverebbe di molto la propria coscienza, renderebbesi anche appresso di Noi degno di non leggere castigo.

Quando tutto ciò compiasi con esattezza, e con verace spirito di carità,

e di

e di zelo, Noi non possiam che sperare abbondantissimi frutti da questa Congregazione, che col favor del Signore siamo fermi di tenere, come abbiamo ordinato, a gloria sua, ed a spirituale vantaggio del Nostro dilettissimo Gregge.

Dal Nostro Palazzo Arcivescovile questo dì 2. Luglio 1780.

ALESSANDRO ARCIVESCOVO DI FERRARA.

Lodovico Saravalli Cancel.

III.

SYNOPSIS

Parvi Cæremonialis editi jussu Benedicti XIII. pro Functionibus persolvendis Fer. V., VI., & Sabbato majoris Hebdomadæ in minoribus Ecclesiis Parochialibus.

Ex Merato Tom. I. Observat. in Gavant. P. 4. Tit. 8. & seqq.

PRO FERIA V. MAJORIS HEBDOMADÆ.

Hora congrua Rector Ecclesiæ Missam celebraturus induit se Paramentis Missalibus albi coloris; & interim primus Clericus accendit Candelas in Altari majori, aptat Calicem in medio ejus, & retro illum Pyxidem cum Particulis. Deinde idem Celebrans, præcedente primo Clerico, & post eum secundo cum tertio, manibus junctis procedit tecto capite ad Altare, ubi Missam de die celebrabit cum cantu, si fieri potest, sine Ministris. In eadem Missa ultra Hostiam consuetam consecratur & alia, & Particulæ pro Communione Fidelium, & pro Infirmis. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex Abaco ad Altare Calicem vacuum cum Palla, Patena, Velo albi coloris, & vitta serica. Idem Celebrans, sumpto Sanguine, & cooperto Calice, ex quo eum sumpsit, ponit alterum Calicem a primo Clerico delatum in medio Corporalis, & detegit; deinde genuflectit, & alteram Hostiam consecratam in eo reponit, cooperit Palla, & Patena inversa, velumque desuper expandit: quo facto, facit Communionem Clericorum apud Altare juxta morem consuetum cum debitis genuflexionibus, deinde virorum, & mulierum ad cancellos.

Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit Pyxidem, eamque reponit in Tabernaculo; postea prosequitur Missam cum iisdem Ritibus, & Cæremoniis, ac si esset expositum sanctissimum Sacramentum ad Altare. Sumpta ab eodem Celebrante ablutione digitorum, Calix Missæ defertur a primo Clerico ad Credentiam. Interim accenduntur Candelæ in Sacello Sepulchri, disponitur Baldachinum, seu Umbella, & distribuuntur Cerei pro Sodalibus, si adsint, vel cultioribus de Populo.

Finita Missa, Sacerdos accedit ad medium Altaris, genuflectit, & per viam breviorem descendit ad planum Epistolæ, ibique per manus Clericorum deponit Planetam, & Manipulum, & accipit Pluviale albi coloris. Sic indutus per anteriorem viam redit ad medium Altaris, ubi flectit utrumque ge-

nu; deinde ſtans imponit thus in Thuribulum, miniſtrante aliquo Acolytho, ſine oſculis, & benedictione: tum iterum genuflexus Sacramentum incenſat triplici ductu, poſtea ſumit Velum humerale, adjuvante aliquo Acolytho, & ſurgens aſcendit ad ſuppedaneum Altaris, genuflectit, deinde ſurgit, & ad cautelam firmat velum Calicis ligula ſerica. Accipit deinde Calicem ſiniſtra per nodum, ſubmittens eam velo, & dexteram ponit ſupra Calicem, ſupra quam ſecundus Clericus extendit extremitates ambas Veli humeralis.

Si nulli ſint Cantores, ipſemet Celebrans, facie ad Populum converſa, incipit Hymnum *Pange lingua &c.*, poſtque ſtatim incipit Proceſſio, in qua proceditur ordine ſequenti.

Primo procedunt Sodales, ſi qui ſunt, vel pii viri cum luminibus. Secundo Crux proceſſionalis delata a tertio Clerico. Tertio primus Clericus cum Thuribulo fumigante. Quarto Celebrans ſub Baldachino, vel ſub Umbella, & a ſiniſtris ejus Clericus elevans ejus veſtis anterioris extremitates, dum deſcendit gradus, vel aſcendit, & recitans cum eodem Sacerdote *Pange lingua &c.*, illumque proſequendo.

Quum perventum fuerit ad Sacellum, omnes ſe diſponunt per duas partes, ita ut Celebrans, & Thuriferarius tranſire poſſint per medium illorum; deferens vero Crucem ſiſtet e regione Sacelli. Celebrans aſcendit ad Altare ejuſdem Sacelli, & deponit Calicem ſuper Corporale extenſum in ejus menſa, & deinde deſcendit primum gradum, ac genuflexus in ſuppedaneo deponit Velum humerale. Interim deferentes Baldachinum aſportant illud in locum congruum; tunc Celebrans ſurgens imponit incenſum in Thuribulum ſine benedictione, & ſine oſculis, & utroque genu procumbens, inclinato profunde capite antea, & poſt, Sacramentum incenſat triplici ductu, recitantibus interim Clericis ℣. *Tantum ergo Sacramentum &c.*

Facta incenſatione, ſurgit, & genuflexione iterum facta, poſtea Calicem in Capſula reponit, eamque claudit; deinque deſcendit ad ſecundum, vel infimum gradum, ubi parumper orat: deinde ſurgit, & facta iterum genuflexione ambobus genibus in plano, per breviorem viam recedit, præcedente Cruce, medius inter duos Clericos, & revertitur ad Altare majus; ibique facta genuflexione, aſcendit ad ſuppedaneum, indeque extrahit e Tabernaculo, & defert Pyxidem, in qua ſunt Particulæ, præcedentibus duobus Clericis cum Candelis accenſis ad locum, ubi eſt Calix reconditus, vel ad alium locum paratum: quo facto pergit in Sacriſtiam, ubi deponit Paramenta alba, ſed non Albam; poſtea accedit in Chorum, ubi incipit, & proſequitur Veſperas ſine cantu, quibus finitis, ſumit Stolam violaceam ſuper Albam pendentem ante pectus, & procedit ita indutus ad denudationem Altaris, adjuvante aliquo Miniſtro, ſeu pluribus, dicens Antiphonam *Diviſerunt ſibi &c.*, & Pſalmum *Deus, Deus meus, reſpice in me &c.*, quem interim Cantores proſequuntur, ſi qui forte adſint.

Denudatis etiam aliis Altaribus, ſi quæ ſunt, redit ante Altare majus, ubi poſt ultimum ℣. Pſalmi, & repetita Antiphona, genuflectit cum omnibus aliis, dum aliquis Clericus dat ſignum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Surgit deinde, & facta genuflexione Cruci cum ſuis Clericis, revertitur in Sacriſtiam, ubi Paramenta deponit, & gratias Deo agit.

Cura-

Curare debet Ecclesiæ Rector, ut assidue adsint, qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello Sepulchri, & decens numerus Cereorum in eo colluceat.

PRO FERIA VI. IN PARASCEVE.

De principio Officii usque ad denudationem Crucis.

HOra competenti datur signum cum crotalo; Clerici accipiunt Superpellicea in Sacristia; Celebrans vero induitur Planeta nigra, & procedit cum iisdem, sed ipse tecto capite, illi vero detecto, ad Altare majus manibus junctis; quo quum pervenerit, ibi procumbit, & orat quasi ultra spatium unius *Miserere*: interim duo Acolythi, facta cum ipso brevi oratione, surgunt, & facta genuflexione Cruci, sumunt de Credentia Mappam, illamque extendunt super mensam Altaris; deinde unus ex illis ponet Missale apertum cum suo cussino super cornu Epistolæ. Celebrans ad monitionem alicujus Ministri surgit a procubitu, & amoto per aliquem Clericum pulvino, ascendit ad Altare, & osculatur illud in medio. Accedens deinde ad cornu Epistolæ legit primam Lectionem cum Tractu, deinde dicit *Oremus*, & genuflexus cum omnibus ipsemet dicit *Flectamus genua*, & unus ex Acolytis primo surgens dicit *Levate*, & Celebrans subjungit Orationem *Deus, a quo &c.* Deinde legit secundam Lectionem, & Tractum; ac successive cantat Passionem integre, nisi forte aliquis Diaconus eam decantet, sicut etiam postea cantat in eodem cornu Epistolæ Monitiones manibus junctis, & Orationes manibus extensis, ut in Missali: ante singulas Orationes, octava excepta, idem Celebrans genuflexus, prout faciunt & cæteri, dicit *Flectamus genua*, & unus ex Acolythis, ut supra, dicit *Levate*. Circa finem Orationum aliquis Acolythus tapetem explicat, aptat desuper cussinum, & deinde Velum extendit, ubi est collocanda, & adoranda Crux.

De Crucis denudatione, & adoratione.

DIctis Orationibus omnibus, Celebrans in eodem cornu Epistolæ Planetam tantum deponit, deinde genuflectit in medio Altaris, & reverenter ipsemet Crucem, quæ est inter Candelabra, capit, & primus Clericus accipit Missale; postea Celebrans accedit ad angulum posteriorem Epistolæ facie versa ad Populum, & Clerico sustentante Missale ante illum, incipit manu dextera detegere summitatem Crucis, & ambabus manibus aliquantulum Crucem elevans gravi voce dicit *Ecce lignum Crucis*; & Clerici eadem voce prosequuntur *In quo Salus mundi pependit*, & genuflectentibus omnibus præter Celebrantem, iidem Clerici subjungunt *Venite adoremus*; & similiter omnes secunda, & tertia vice peragunt, ut in Missali.

Discooperta tota Cruce, & pronunciatis tertio prædictis verbis ab omnibus Clericis, unus ex illis ponit lancem a latere sinistro pulvinaris ad accipiendam Oblationem, alter vero Clericus, qui habebat Missale, illud reponit super legile, vel super cussinum, & interim ab alio tertio discooperitur Crux processionalis, & aliæ Cruces omnes per Ecclesiam; interim Celebrans

descendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum, ubi genuflexus eam collocat super Velum pulvino superpositum; deinde surgit, & facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epistolæ, ibique deponit prius Manipulum, deinde calceamenta, Clericis adjuvantibus, & ita excalceatus procedit ad adorationem Crucis; qua tertio adorata, & osculata, oblataque pecunia, surgit, & facta genuflexione, redit ad cornu Epistolæ, & ibi in plano Clerici deponunt & ipsi calceamenta ob specialissimum cultum, quem hac die S. Ecclesia exhibet Cruci, & post Celebrantem ante omnes alios de Populo adorabunt Crucem eo modo, quo Celebrans, & reversi ad sua loca calceamenta resument. Post Clericos adorabunt Sodales cum Saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres, omnes bini, devote, ac graviter. Interim primus Clericus assistat adorantibus, secundus, & tertius accedunt ad Celebrantem, & alta, & clara voce cum eo improperia recitant,

Circa finem adorationis primus Clericus accendit Cereos Altaris, secundus vero successive portat ad Altare Bursam cum Corporali incluso, & super eam Purificatorium: extrahit, & explicat Corporale, & prope illud in parte Epistolæ extendit Purificatorium. Tertius vero Clericus transfert Missale cum legili, & cussino ad cornu Evangelii. Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus; Clerici vero amovebunt tapetem, pulvinar, Velum, & lancem, & apponent ignem in Thuribulo, & Celebrans, collocata Cruce, descendet ad planum in cornu Epistolæ, ubi resumet Planetam, & Manipulum, & postea aperto capite accedet ante Altare.

De Processione ad Sacellum, & regressu ad Altare cum sanctissimo Sacramento.

CElebrante ante Altare commorante, incipitur Processio per breviorem viam ad Sacellum, ubi asservatur SS. Sacramentum, hoc ordine. Præcedunt Sodales, si adsint, Confraternitatis, sive pii viri; deinde Thuriferarius cum navicula, & Thuribulo non fumigante; postea sequitur Crux processionalis denudata, & delata a tertio Clerico inter duo Candelabra, si adsint, qui ea deferre possint; denique Celebrans cum Planeta habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum. Interim accenduntur Cerei dicti Sacelli ab aliquo Ministro. Quum pervenerit Celebrans ad dictum Sacellum, facta genuflexione in plano Cappellæ, surgit, & postea genuflectit in infimo gradu Altaris, ibique orat parumper cum omnibus, deinde surgit, aperit Capsulam, genuflectit, descendit ad infimum gradum Altaris, vel remanet genuflexus in suppedaneo, ut alii volunt, incensat Sacramentum in Capsula, inde surgit, & facta genuflexione, extrahit e Capsula Calicem, quem ponit super Altare; iterum genuflectit, claudit Capsulam, si in ea reperiatur Pyxis cum Particulis, alias relinquitur Capsula aperta; & præmissa alia genuflexione, descendit primum gradum, & genuflexus in suppedaneo accipit Velum humerale, & surgit, & facta genuflexione, stans accipit Calicem, quem secundus Clericus dicto Velo cooperit. Celebrans vertens renes Altari, & faciem ad Populum intonat voce alta Hymnum *Vexilla Regis prodeunt &c.*, quem quum secundo

Cle-

Clerico prosequitur &c. Revertitur Processio ad Altare ordine sequenti: primo Sodales, seu pii viri cum Cereis accensis; post eos Crux processionalis, deinde Thuriferarius continue Thuribulum agitans, denique Celebrans sub Baldachino, vel sub Umbella habens secundum Clericum ante se a sinistris.

Quum perventum fuerit ad Altare majus, Sodales, & pii viri remanent extra cancellos, ibique dispositi Cereos accensos usque ad Officii finem in manibus tenebunt. Crux processionalis reponitur prope Credentiam; Baldachinum vero, seu Umbella deponitur ante cancellos, & in loco proprio collocatur. Celebrans accedit ad Altare, & Calicem ponit super Corporale, soluta vitta apposita ad cautelam, & velum ejusdem Calicis extendit, ut fit in initio Missæ; deinde genuflectit, surgit, Velum humerale deponit, & stans thus sine osculis, & benedictione in Thuribulo ponit, deinde genuflexus ibi in suppedaneo, vel descendens ad infimum gradum Sacramentum triplici ductu incensat adhuc parvo velo tectum.

De reliquo Officio, & Ritu hujus Feriæ.

INcensato sanctissimo Sacramento, Celebrans surgens accedit ad Altare, & genuflectit, deinde amovet velum de Calice, postea Patenam, quam invertens ponit super Corporale in medio, postmodum removet Pallam, & Calicem accipiens deponit ex eo Hostiam super Patenam, cavens, ne illam digitis tangat, & si forte tetigerit, lavat digitos ibidem in vase ad hoc præparato, & aquam continente (quam postea ipse Celebrans sumet post suam Communionem), & digitos statim extergit; tunc Celebrans respective prosequitur omnia, ut in Missali disponitur.

Ministrabunt etiam, si fieri potest, aliqui Sodales alicujus Confraternitatis in suo habitu, ut omnia convenientiori modo fieri valeant. Expleto Officio, Celebrans Cotta, & Stola indutus reportabit ad locum paratum Hostias, seu Particulas contentas in Pyxide pro Infirmis e loco, ubi prius erat Calix cum sanctissima Hostia, & si aliter fieri non possit, relinquet ibidem.

Reposita dicta Pyxide, ante quam lampas continuo ardeat, omnes genuflectunt, & datur signum meridianum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Tandem extinguuntur Cerei Altaris, & ab Acolythis omnia reportantur in suum locum.

PRO SABBATO SANCTO.

De principio Officii usque ad Benedictionem Cerei.

EXtra portam Clericus cum Cruce sistit se in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem. Celebrans ante mensam collocatam inter ipsum, & Crucem ibidem stans ex Missali posito super legile legens benedicit ignem tribus Orationibus, deinde unica Oratione grana incensi, quæ dum benedicuntur, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, & ponit in Thuribulo.

Celebrans imponit cum benedictione, & osculis incensum in Thuribulo, dein-

deinde aſpergit ignem, & grana, & eadem poſtea thurificat; idem Celebrans poſt redditum Thuribulum Thuriferario deponit Pluviale, & Stolam coloris violacei, & accipit Manipulum, Stolamque Diaconalem, & Dalmaticam albi coloris; interim ſecundus Clericus cum aliquo ligno ſulphurato accendit candelam de novo igne, & recondit in laterna, & alius Clericus accipit pateram cum granis incenſi. Celebrans iterum ponit incenſum in Thuribulo cum benedictione, & oſculis, poſtea accipit arundinem, & proceditur ad Benedictionem Cerei ordine ſequenti.

Primo Clericus cum granis incenſi a dextris, & Thuriferarius a ſiniſtris: ſecundo tertius Clericus cum Cruce: tertio Celebrans cum arundine, & alius Clericus cum laterna a ſiniſtris ejus. Clerici cum granis, Thuribulo, & Cruce ingrediuntur Eccleſiam, & ſiſtunt, quando Celebrans ingreſſus fuerit januam Eccleſiæ. Celebrans ingreſſus Eccleſiam inclinat arundinem, & accenſa ex candela laternæ, ſive ex ligno ſulphurato una ex tribus Candelis arundinis per Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico Cruciferario, & ſic genuflexus clara voce dicit *Lumen Chriſti*: tum, ſurgentibus omnibus, Clerici, ſeu Sodales alicujus Confraternitatis, ſi adſint, reſpondent *Deo gratias*: & alia vice facit in medio Eccleſiæ, ut in Miſſali, donec pervenerit ad Altare, ut ibi dicat tertia vice *Lumen Chriſti*, ut ſupra.

De Benedictione Cerei.

HIs omnibus peractis, & data arundine alicui Acolytho, ſeu alicui Sodali, Celebrans genuflexus (accepto prius Libro de manu alicujus Acolythi, ſeu Sodalis, ut ſupra) ante Altare in infimo gradu, prætermiſſo *Munda cor meum*, dicit tantum *Jube, Domine, benedicere*, & ipſemet ſubdens dicit *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis, ut digne, & competenter annuntiem ſuum Paſchale Præconium*. Deinde ſurgit, & facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile paratum in plano Evangelii hoc ordine. Primo Thuriferarius habens a dextris quartum Clericum cum granis incenſi; ſecundo tertius Clericus cum Cruce habens a ſiniſtris ſecundum Clericum cum arundine; tertio Celebrans cum Miſſali.

Quum pervenerint ad legile ſupradicti, apud illud ſe diſponunt in recta linea, & vertent faciem, ſicut Celebrans, juxta noſtram ſententiam, non ad partem Aquilonarem, ſed ad Meridionalem, & latera ſiniſtra ad Altare, ut facilius Populus audire poſſit Præconium Paſchale.

Celebrans, poſito Miſſali ſuper legili, illud apertum incenſat, & poſtea clara, & hilari voce incipit Præconium *Exultet &c.* Ad verba *Curvat Imperia*, infigit grana incenſi, prout in Miſſali; & ad alia verba *Rutilans ignis* accendit Cereum ex una Candelarum arundinis; ad verba *Apis mater eduxit* quieſcit, donec quartus Clericus ex Cereo per candelulam in virga lampadem, vel lampades accendat. Finito Præconio, Celebrans claudit Miſſale, ſecundus Clericus firmat arundinem in ſua baſi, tertius deponit Crucem a latere Epiſtolæ, vel eam defert in Sacriſtiam: deinde præcedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a ſiniſtris, ac ſecundo, & tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur Celebrans in Sacriſtiam, ibique depoſi-

tis

tis Paramentis albis, accipit Manipulum, Stolam, & Planetam coloris violacei.

De Prophetiis.

CElebrans ita paratus, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare, & facta Cruci genuflexione, ascendit, osculaturque illud in medio, deinde accedens in cornu Epistolæ super Missali ab aliquo Acolytho eo asportato alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, & Tractus, genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit *Flectamus genua*, cui Clericus surgens respondet *Levate*.

Si tamen erit numerus sufficiens Acolythorum, in plano ante Altare cantare poterunt Prophetias, & tunc Celebrans eas submissa voce legit; ita etiam, si erit Chorus, omnes Tractus cantabit, aliter leget idem Celebrans, ut diximus.

Completa ultima Oratione, Celebrans descendit in planum, & facta genuflexione Cruci, procedit ad Scabellum, sive Credentiam, & ibi deponit Planetam, & Manipulum.

Si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Celebrans accipiet Pluviale violaceum; si autem Fontem non habet, accedit sine Casula ante Altare pro Litaniis, ut infra.

De Benedictione Fontis.

SI benedicendus sit Fons Baptismalis, primus Clericus amovet Cereum accensum e candelabro, & accedit ante Altare. Tertius Clericus accipit Crucem, & similiter venit ante Altare. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem sedentem super aliquo Scabello, qui surgens incipit alta voce Tractum *Sicut Cervus &c.*, quem lente prosequitur cum suis Clericis.

Inchoato Tractu, dirigitur Processio ad Fontem, factis debitis reverentiis Altari hoc ordine. Primo Clericus cum Cereo, secundo Clericus cum Cruce, tertio Celebrans medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite Tractum. Quum ad Fontem pervenerit, peragit omnia, & deprimendo vocem, etiamsi non cantet, ut in Missali; & ipsemet asperget Populum de aqua, quam benedixit, suo tempore: & baptizat in Paramentis albis, si aliqui sunt, quos catechizaverit ante Officium, & in Ecclesiam introduxerit.

De Litaniis, & Missa cum Vesperis.

COmpleta Fontis Benedictione, incipit Litanias, & revertitur ad Altare, & deposito Pluviali, procumbit ad Altare, si aliquis cantet, vel legat Litanias; si vero ipsemet recitat, tunc non prostratus, sed genuflexus manet, & eo casu non dicit in fine *Kyrie eleison*; sed discedit ad vestiendum se pro Missa celebranda in Paramentis albis; & interim removetur Pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod sub ipso positum fuit, & accenduntur Candelæ. Ponitur etiam ab aliquo Acolytho Calix super Altare, & præparatur Missale super cussino albo; deinde Celebrans indutus Paramentis albis revertitur ad Altare (Clerico præcedente), ante cujus gradus facit Con-

Confessionem de more cum Psalmo *Judica me*, *Deus &c.* Si adsint aliqui Clerici Cantores, sive Laici, qui sciant cantare, poterunt cantare *Kyrie eleison* (licet reliquum Officium sine cantu celebratum fuerit); sin autem non adsit Chorus, ipse Celebrans, juxta morem facta Confessione, ascendit ad Altare, & in ejus medio post Orationem *Aufer a nobis* dicit immediate *Kyrie eleison*, ut alias, quum non legatur Introitus. Si hæc Missa, ut dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiamsi celebretur sine Ministris sacris. Finita autem tali incensatione, Celebrans dicit *Kyrie* in cornu Epistolæ, & deinde rediens ad medium Altaris cantat, vel dicit *Gloria in excelsis*, & pulsantur Campanæ.

Post Epistolam Celebrans dicit ter *Alleluja* elevando gradatim vocem, & Clerici post quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, & Celebrans prosequitur ℣., & Tractum. Reliqua omittit, vel dicit, prout in Missali. Loco Antiphonæ *Communio* dicuntur Vesperæ, ut in Missali; videlicet Celebrans in cornu Epistolæ dicit Antiphonam *Alleluja &c.*, cum Clericis prosequitur Psalmum *Laudate &c.*, & in fine repetitur *Alleluja &c.*, deinde subdet Antiphonam *Vespere autem Sabbati &c.* cum Cantico *Magnificat*.

Si Missa sit in cantu, ut supra, incensare poterit Oblata, & Altare, quod etiam incensabit ad prædictum Canticum *Magnificat*.

Finita Missa, Celebrans, præcedente Ministro deferente Missale, redit in Sacristiam de more: minutiores Ritus, & Cæremonias hic omisimus.

Tandem Celebrans, vel alius Sacerdos paratus Cotta, & Stola alba, ac Velo humerali reponit sanctissimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo solito.

IV.

DECRETA

CONGREGATIONIS SAC. RITUUM

Circa jura Parochialia, Functiones, & Præeminentias inter Parochos & Confraternitates Laicorum, earumque Cappellanos & Officiales

URBIS, ET ORBIS.

AD debitum imponendum finem controversiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates Sæculares, earumque Cappellanos, & Officiales super juribus Parochialibus, & Functionibus Ecclesiasticis, nonnullisque præeminentiis, seu prærogativis frequenter exoriri solent, in sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Colloredo, propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An Confraternitates Laicorum legitime erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis Functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus.

II. An dictæ Confraternitates erectæ in Cappellis, vel Oratoriis tum pub-

publicis, tum privatis annexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas Functiones?

III. An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem Functiones eandem dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ?

IV. An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tum privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus quoad dictas Functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

V. An Benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum sint de juribus mere Parochialibus?

VI. An Benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similium sint de juribus mere Parochialibus?

VII. An Functiones omnes Hebdomadæ sanctæ sint de juribus mere Parochialibus?

VIII. An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini sit de dictis juribus Parochialibus?

IX. An prima pulsatio campanarum in Sabbato sancto sit de dictis juribus Parochialibus?

X. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro Defunctis sit de dictis juribus Parochialibus?

XI. An expositio Quadraginta Horarum, & Benedictio, quæ fit super populo sit de dictis juribus mere Parochialibus?

XII. An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel sacris Imaginibus, & Benedictio, quæ cum eis fit super populo, sit de dictis juribus Parochialibus?

XIII. An Functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horæ Canonicæ cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missæ privatæ assentiente Ordinario loci, & contradicente Parocho?

XVI. An Cappellani Confraternitatum possint populo denuntiare Festivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?

XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis, & privatis a Parochiali divisis, & separatis?

XVIII. An in sæpedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ Conciones etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel Adventus cum licentia Ordinarii, & absque licentia Parochi?

XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam?

XX. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earundem Ecclesiarum fieri possint Processiones juxta cujuscumque Confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia Parochi?

XXII. An eædem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

XXIII. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre Stolam?

XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ?

XXV. An earundem Ecclesiarum, & Confraternitatum Rectores, & Cappellanos possit Parochus, cessante alio speciali, & legitimo titulo, & ex solo jure Parochialitatis, compellere invitos ad assistendum Functionibus Ecclesiæ Parochialis?

XXVI. An in sæpedictis Ecclesiis Confraternitatum neque Parochialibus, neque Regularibus retineri possit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicæ?

XXVII. Præsupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?

XXVIII. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in sæpedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere?

XXIX. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiæ Functionibus sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

XXX. An Confraternitates sive sint erectæ in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, & juxta uniuscujusque peculiaria statuta, Congregationes suas facere absque interventu, vel licentia Parochi?

XXXI. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho?

XXXII. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, & tanquam ejus Delegatus, an possit suffragium decisivum ferre, & quatenus affirmative?

XXXIII. An etiam suffragium duplex?

Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit.

Ad primum affirmative.

Ad secundum affirmative.

Ad tertium negative.

Ad quartum negative.

Ad quintum negative.

Ad sextum negative, sed Benedictiones mulierum, & Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.

Ad septimum negative, prout jacet.

Ad octavum negative, prout jacet; sed spectare ad Parochos.

Ad

Ad nonum negative, prout jacet; sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. 22. §. 14.

Ad decimum negative, prout jacet; sed licere Confratribus duntaxat in Festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, ut in Brundusina sub die 1. Junii 1601.

Ad undecimum negative.

Ad duodecimum negative, & quoad Benedictiones cum Reliquiis, & Imaginibus serventur Decreta.

Ad decimum tertium, satis provisum in superioribus.

Ad decimum quartum affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

Ad decimum quintum affirmative.

Ad decimum sextum affirmative.

Ad decimum septimum negative.

Ad decimum octavum affirmative.

Ad decimum nonum negative, nisi aliter Episcopus disponat.

Ad vigesimum affirmative, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium.

Ad vigesimum primum affirmative.

Ad vigesimum secundum negative, nisi adesset licentia Episcopi.

Ad vigesimum tertium negative extra propriam Ecclesiam.

Ad vigesimum quartum negative.

Ad vigesimum quintum negative.

Ad vigesimum sextum negative.

Ad vigesimum septimum negative.

Ad vigesimum octavum negative.

Ad vigesimum nonum negative.

Ad trigesimum affirmative, dummodo non impediant Functiones, & divina Officia.

Ad trigesimum primum affirmative.

Ad trigesimum secundum negative.

Ad trigesimum tertium negative.

Et ita, salvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, & a sancta Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, ac decrevit, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die 10. Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione, prævia eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigne approbavit, & publicari, & non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. Die 12. mensis Januarii 1704.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Ingbirami Sac. Rit. Congr. Secret.

V.

BENEDICTIO

CONTRA MURES, LOCUSTAS, BRUCHOS, ET VERMES NOXIOS.

Antiph. Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.
Psalm. Deus, auribus nostris audivimus; Patres nostri annuntiaverunt nobis &c.
℟. Gloria Patri, & Filio &c. *& repetitur Antiphona.*
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, & hanc murium (vel locustarum, vel vermium) persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulsi (vel expulsæ) nulli noceant, & campos, agrosque nostros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia, & orta tuæ Majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Christum &c.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miserator, in cujus nomine omnia genuflectuntur cœlestia, terrestria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam, efficacem consequamur effectum; quatenus hos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ libere referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo vos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) per Deum Patrem ✠ Omnipotentem, & Jesum Christum ✠ Filium ejus, & Spiritum Sanctum ✠ ab utroque procedentem, ut confestim recedatis a campis, & agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis; pro parte Omnipotentis Dei, & totius Curiæ cœlestis, & Ecclesiæ sanctæ Dei, vos maledicens, ut quocunque ieritis, sitis maledicti (vel maledictæ), deficientes de die in diem in vos ipsos (vel ipsas), & decrescentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, & usum humanum. Quod præstare dignetur, qui ven-

venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postremo Aqua benedicta aspergantur loca infecta.

BENEDICTIO EQUORUM, ET ANIMALIUM.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum &c.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosum Beatum Antonium variis tentationibus probatum inter mundi hujus turbines illæsum transire fecisti, concede famulis tuis, ut præclaro ipsius proficiamus exemplo, & a præsentis vitæ periculis, ejus meritis, & intercessione, liberemur. Per Christum Dominum &c.

OREMUS.

BEnedictionem tuam, Domine, hæc animalia accipiant, qua corpore salventur, & ab omni malo per intercessionem Beati Antonii liberentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur Aqua benedicta.

VI.

FORMULA

Litterarum dimissorialium pro Regularibus juxta Praxim Secretariæ Tribunalis Emi, & Rmi DD. Card. Urbis Vicarii *apud Honorante Cap.* 12. *Nota* 1.

QUum juxta Apostolicas Sanctiones nemo Regularium ad quoscunque Ordines absque expressa in scriptis suorum Superiorum licentia promoveri possit; hinc tenore præsentium dilecto nobis in Christo N. N. in nostra Congregatione, seu &c. expresse, & libere professo, ac in Domo, seu Conventu N. de Familia existen., qui in sæculo vocabatur N. N., licentiam, & facultatem impertimur, ut Emo, & Rmo D. Cardinali Vicario, ad quem dirigimus, se præsentet, precamurque Emam suam, ut quatenus ab Examinato-

natoribus in Urbe deputatis idoneus repertus fuerit, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, seu &c. pro necessitate, & utilitate nostræ Ecclesiæ promovere dignetur. Quod enim ad morum probitatem, & scientiam spectat, præmisso jam diligenti examine, dignum judicamus; testamurque insuper, ipsum ex legitimo Matrimonio procreatum, sacro Fonte delibutum, Chrismate confirmatum, ad quatuor minores Ordines jam ab anno promotum, & in eis versatum, ac in ætate legitima constitutum, nec non Exercitiis spiritualibus per decem dies continuos vacasse, omniaque alia requisita habere juxta formam a sac. Concil. Trid. præscriptam.

In quorum &c. Datum &c.

VI.

FORMULA

Juramenti, ac Ratificationis Professionis pro Regularibus ad Sacros Ordines promovendis.

EGo Fr. N. N. Ordinis N. N. coram Reverendiss. D. Vicario Generali &c., tactis sacrosanctis Dei Evangeliis in manibus præfati Reverendiss. Domini juro, me sponte, non coacte, nullaque vi, vel impedimento concurrente, Professionem in dicto meo Ordine, seu Religione Sancti N. emisisse, eamque sic emissam sponte, libere, expresse, omnique meliori modo, quatenus opus sit, nunc ratifico, ac illam me ratam habere, etiam meæ manus subscriptione, Ego idem Fr. affirmo, spondeo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Sequatur rogitus Cancellarii Episcopalis.

VII.

CONSTITUTIONES

Ac Decreta super Accessu Regularium ad Monasteria Monialium.

SIXTUS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Regimini &c. Motu proprio, & ex certa Nostra scientia, hac Nostra Constitutione perpetuo valitura statuimus, & ordinamus, quod de cætero quicumque Regulares quorumcunque etiam Mendicantium Ordinum, non audeant accedere ad Monasteria Monialium cujuscumque Ordinis, Civitatum, & Diœcesum, aliorumque quorumcunque locorum Ducatus Ferrariensis; etiamsi illarum curam gerant, & eorum Jurisdictioni sint subjectæ, excepto illarum Confessario, & Superiore, & Visitatore Ordinis cum uno Socio provectæ ætatis. Et hi non possint ingredi

Clau-

Clausuram Monasteriorum, nisi quando fit Visitatio Monasterii intra Clausuram hujusmodi. Ac præfati, Confessarius, Superior, seu Visitator, teneantur pro omni, & quocunque excessu, seu delicto, & si quem, vel quod dictus Socius perpetraverit. Quodque Confessarii deputentur hi, qui ætate, & moribus sint approbati: ac ordinariorum ab eorum Superioribus, extraordinariorum vero Confessariorum a pro tempore existentibus Episcopis Civitatum Ducatus hujusmodi, seu eorum in Spiritualibus Vicariis Generalibus approbatio fiat: Superiorque, & Confessarius præfati non possint accedere ad aliud Monasterium, præterquam ad illud, cujus curam habent; & ad ipsum etiam non accedant, nisi pro munere sui officii, & ejus exequutione, & occurrentibus casibus, ac necessitatibus Monialium, & Monasteriorum hujusmodi: Confessarius vero quotidie pro celebratione Missarum, & Ecclesiasticorum Sacramentorum administratione; Monialesque prædictæ non possint munera aliqua Regularibus præfatis dare, nec ipsi Regulares illa recipere. Et quod liceat ipsis Monialibus proponere coram Episcopis, seu eorum Vicariis querelas, si quas habent, contra dictos Superiorem, & Visitatorem super concernentibus Clausuram interiorem, vel exteriorem, sine aliquo censurarum incursu.

Districtius inhibentes omnibus, & singulis Regularibus, & Monialibus præfatis, sub pœnis arbitrio dictorum Episcoporum &c. Datum Romæ apud S. Petrum die ultima Maii 1586. *Tho. Gualteruccius*.

Illustrissimi, & Reverendissimi DD. Cardinales, sacræ Regularium Congregationi Præfecti, ad occurrendum scandalis, quæ contingere possunt, aliisque justis, ac rationabilibus causis animum pie moventibus, de speciali, & expresso mandato SS. D. N. Sixti, Divina providentia Papæ V., vivæ vocis Oraculo eis facto, decreverunt, & mandaverunt, nulli posthac Religioso, cujuscumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat, (Superiore, cui Monasterii, seu Domus cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, Confessarioque ordinario, & extraordinario, quum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) licere absque licentia expressa ejusdem sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu Domos quarumcunque Monialium, vel Sororum, sive sui, sive alterius cujusvis Ordinis, ad colloquendum, sive tractandum cum eis: quod si aliquando mandato sui Superioris, aliquos Religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Missas, in ipsarum Monialium, seu Sororum Ecclesiis, sive Oratoriis exterioribus, sive extra Clausuram existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religiosi, ullo quæsito colore, Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra Clausuram degentes alloqui possint. Confessariis autem similiter interdixerunt, ne in ædibus Monasterii, seu Domus, vel Monasterio, seu Domui Monialium, aut Sororum contiguis, pernoctent, aut alias pernoctare faciant, vel alias secum retineant, neve extra tempora generalium Confessionum, quibus solis, tantum Confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet, quum sua habitatio, aut Virorum Domus, vel Monasterium, in quo degit, a Monialium, seu Sororum Monasterio, vel Domo nimium distat, (nisi tamen, & eo casu, contrarium specialiter constitutum sit) ibi ullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant; quæ omnia, & singula, sub pœnis privationis officiorum, ac vocis

vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, aliisque ejusdem Congregationis arbitrio, præceperunt inviolabiliter observari, injungentes cunctis RR. Patribus Generalibus, Provincialibus, & aliis quorumvis Monasticorum, & Mendicantium Ordinum, & Congregationum Superioribus, ad quos spectat, quatenus infra terminum unius mensis, a die, quo præsens Decretum ipsis notificatum fuerit, computandi, debeant ejusdem Decreti copiam cum hujusmodi præcepto omnibus suorum Ordinum, & Religionum Monasteriis, Domibus, & Conventibus intimare, & notificare, ac intimasse, & notificasse, ne ullam aliquando desuper ignorantiam in futurum allegare, aut prætendere quoquomodo possint. Romæ Nonis Maii 1590.

F. Michael Bonellus Card. Alex.

Gregorius Palearius Secret.

Quum alias de anno 1590. per sacram Cardinal. negotiis Regularium præfectorum Congregationem de mandato fel. rec. Sixti Papæ V. circa accessum Regularium cujuscumque Ordinis ad Monialium Monasteria fuerit decretum, quod nulli Religioso cujuscumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat (Superiore, cui Monasterii, seu Domus cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, Confessarioque ordinario, & extraordinario, quum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat absque licentia expressa ejusdem sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu Domos quarumcunque Monialium, vel Sororum, sive sui, sive alterius cujusvis Ordinis, ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quod si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, sive Sororum Ecclesiis, sive Oratoriis exterioribus, sive extra claustra existentibus, mitti contigerit, ne dicti Religiosi, ullo quæsito colore, Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra Clausuram degentes alloqui possint, sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, aliisque ejusdem sacræ Congregationis arbitrio, fueritque postmodum declaratum, etiam Equites S. Joannis Jerosolymitani sub eodem Decreto comprehendi, & quoscunque contrafacientes ab alio, quam ab Apostolica Sede, aut a sacra Congregatione absolvi, & rehabilitari non posse; amplissimi ejusdem sacræ Congregationis Patres Decreta hujusmodi innovanda, & inviolabiliter observanda statuerunt.

Verum quia experientia compertum est, interdum ob pias, & rationabiles causas, easque, ita ferente casu, repentinas, ut ab eadem sacra Congregatione licentiam expectari summe incommodum, vel inutile fit Regularibus supradictis colloquendi cum Monialibus sibi attinentibus, necessitatem obvenire, facto verbo cum SS. D. N. Urbano VIII., & de Sanctitatis Suæ expresso ordine, & mandato, facultatem tribuerunt in posterum locorum Ordinariis, ut quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumque Regulari, ut Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas convenire, & alloqui possint. Id vero non aliter, quam servata ad unguem forma

ma

ma infrascripta: ut id nullo modo liceat diebus festivis, aut in Adventu, Quadragesima, Feriâ sexta, Sabbato, & Vigiliis, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere, consignetur Confessario ordinario Monasterii, qui penes se retinere debeat, isque associet, & præsens sit, & auscultatrices de more, non autem aliæ assistant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in scriptis concedatur, in librisque Cancellariæ ejusdem Ordinarii annotetur. Quod si prædicti locorum Ordinarii per plures vices, vel in ulteriori gradu conjunctis, aut aliter, quam servata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant, se intentionis SS. D. N., & sacræ Congregationis transgressores, judiciumque reformident. Regulares autem pœnis in supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se noverint esse addictos, & arbitrio sacræ Congregationis severius puniendos. Romæ 12. Kal. Decembr. 1623.

Oct. Card. Bandinus.

Laur. Campegius Sec.

Die 11. Maii 1669. sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. Conc. Triden. interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares absque licentia crates Monasteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non esse interdictum per breve tempus etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliasque personas in Clausura existentes alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirment, disseminent, & forsan etiam scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias, & scandala conscventes; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, rejiciens, ac damnans declaravit, Regulares cujuscumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipsis Regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcunque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis pœnis posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri. Et die 7. Junii ejusdem anni, facta relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac typis dari, & servari jussit.

A. Card. Celsius Præfectus.

S. Brancacius Archiep. Adrianopolis Secr.

Etsi sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Rom. Eccl. Card. Con. Trid. interpretum sub die 11. Maii 1669. aperte declaraverit, Regulares, qui

ad Monasteria Monialium absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcunque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter; hancque declarationem Sanctissimus Dominus approbaverit, ac typis dari, servarique jusserit; quia tamen nonnulli sunt, qui declarationem hujusmodi perperam interpretantes, verumque sensum subvertentes, varia confingendo sophismata, asserunt, accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, & declarationem præfatam non obligare sub mortali, contendunt, ad omnem tollendam dubietatem resolvendum.

Primo. An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi peccent mortaliter?

Secundo. An peccent mortaliter, saltem stante dicta declaratione sacræ Congregationis Concilii cum approbatione Sanctissimi?

Die 26. Novembris 1672. eadem sacra Congregatio ad utrumque respondit affirmative, etiamsi ex rationabili causa, quando non adest licentia &c.

P. Card. de Alteriis Præfectus.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterb. Secr.

Edita vix lege, statim illam eludere malitia excogitat: non ita pridem emanavit generale Decretum, arctissime prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando jam super eo variæ interpretationes confingi cœperunt, aliæque nunc Bergomi suboriuntur; pro quarum resolutione supplicant Confessarii Monialium quærendo.

Primo. An Regularibus missis ad crates Monialium pro munere Prædicationis obeundo prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & pœnis, &c. immediate post cum ipsis Monialibus, absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis?

Secundo. An talis prohibitio intelligatur tam de collocutione cum aliquibus Monialibus, quam cum una tantum (omnibus tamen aliis audientibus) immediate post Concionem?

Die 21. Maii 1678. sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Card. Concil. Triden. interpretum ad utrumque respondit affirmative.

VII.

VII.

LETTERA CIRCOLARE

DELLA S. CONGREGAZIONE

Con cui si ordina alle Monache l' esercitare gli Uffizj non a spese delle particolari, ma de' Monasterj.

MARCELLO, del Titolo di Santa Maria in Traspontina, della S. R. C. Prete Card. CRESCENZI Arcivescovo di Ferrara.

NOn ostante che più volte sieno stati notificati a tutti i Monasterj di Monache gli Ordini supremi de' Sommi Pontefici, rinnovati ancora dalla Santità di Nostro Signore felicemente Regnante, col mezzo de' quali si proibisce sotto pene gravissime di fare a conto proprio delle Religiose particolari qualunque sorte di donativo, o spesa pe' loro Uffizj, abbiamo nondimeno saputo non senza grave dolore dell' animo Nostro continuarne l' abuso in qualche Monastero di questa Nostra Città di Ferrara: onde per soddisfare al debito Pastorale, e provvedere insieme alla quiete delle loro coscienze, ci siamo riconosciuti in obbligo di rinnovare gli stessi Ordini, al qual effetto abbiamo fatto stampare il tenore dell' ultima Lettera, che dalla sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari su tal materia fu scritta per Ordine espresso di Nostro Signore alla buon: mem: di Monsig. Barberini Nostro Predecessore, e lo trasmettiamo a tutti i Monasterj, ordinando, ed espressamente comandando *con precetto formale di santa Ubbidienza* a tutte le Abbadesse, Priore, e Vicarie, ed altre, benchè semplici Religiose tanto presenti, che future di tutti, e singoli Monasterj di questa Città tanto soggetti a Noi, quanto esenti, privilegiati, e privilegiatissimi, e degni di speciale menzione, che debbano onninamente osservare, ed esattamente adempire gli Ordini santissimi di Sua Beatitudine, sotto pena in caso di contravvenzione della privazione dell' Uffizio, e della voce attiva, e passiva da incorrersi *ipso facto*, e da durare ad arbitrio della sagra Congregazione, secondo il tenore di detta Lettera.

Ad effetto poi di provvedere alle difficoltà, che potessero insorgere, ed incontrarsi nella esecuzione de' Supremi Comandi di N. S., ordiniamo ai Sindaci, Deputati, ed Economi, che fra il termine di un mese prossimo debbano esibire a Noi con tutta la fedeltà lo stato economico di cadaun Monastero, ad oggetto di poter determinare seriamente quel tanto, che giudicheremo convenire a cadauno di essi per le spese, e per gli Uffizj, secondo dispone la stessa Lettera, e per ubbidire all' Ordine Pontificio.

Vogliamo finalmente, che la presente sia letta in pubblico Capitolo di

qualunque Monastero, e sia ritenuta perpetuamente affissa in luogo comodo, ed opportuno per tutte, e singole le Religiose.

Dall' Arcivescovato questo dì 23. Novembre 1750.

M. CARD. CRESCENZI ARCIVESCOVO.

A. Bonaccioli Balbi Notaro, e Cancell. Arcivesc.

ILlustre, e Reverendissimo Monsignore come Fratello. Quantunque altre volte questa sagra Congregazione, e specialmente sotto il dì 28. Luglio 1708. abbia ordinato, che le spese occorrenti in congiuntura di Feste, e degli Uffizj, che si esercitano dalle Monache, si dovessero fare colle rendite de' Monasterj; nulladimeno è stato rappresentato alla Santità di Nostro Signore, che in molti Conventi queste si facciano dalle Monache particolari a conto proprio, dal che molti, e gravi inconvenienti possono derivare, come la distrazione dall' Orazione, e dal Culto divino, l' occasione di trattare con troppa frequenza co' Secolari, e qualche altra inosservanza delle Regole, la soverchia sollecitudine di acquistar danaro con pericolo di contravvenire al Voto della povertà, ed in oltre di porre in angustia i loro Parenti, i quali per non soggiacere a replicate gravi spese, si astengono talora dal collocare ne' Monasterj altre Fanciulle, che ne averebbero la vocazione. Perciò la Santità Sua, la quale con indefesso Apostolico zelo assiduamente invigila a promuovere il bene spirituale di tutto il Cristianesimo, ed ha specialmente a cuore, che sempre più si avanzino nella strada della perfezione le sagre Vergini, parte la più illustre del Gregge di Gesù Cristo, ha comandato, che si rinnovino gli Ordini su questa materia altre volte emanati, e che s' insista per l' esecuzione de' medesimi. Dovrà pertanto V. S. incaricare con precetto formale di santa Ubbidienza a tutte le Abbadesse, Priore, Vicarie, Camerlenghe, Sagristane, ed altre Uffiziali, che non debbano in occasione o di Feste, o de' loro Uffizj fare spesa alcuna, o dare alcun donativo, quantunque di poco valore, nè alle Monache, nè alle Novizie, nè tampoco a' loro Superiori, ancorchè Regolari, Confessori, Deputati, Fattori, ed altri Uffiziali, anzi nè meno alla Chiesa, e Sagrestia; ma qualsivoglia spesa nelle sopraddette congiunture dovrà onninamente farsi colle rendite de' Monasterj. E perchè questi non restino di soverchio aggravati, Ella ingiungerà tanto alle Superiore, quanto a' Deputati, Sindaci, ed Economi di ciaschedun Monastero, che, considerato lo stato de' medesimi, stabiliscano per le suddette spese una precisa somma, che da Lei dovrà poi esaminarsi, ed approvarsi, perchè sia propria, convenevole, e proporzionata all' entrate. In caso poi, che qualche Monastero fosse così scarso di rendite, che non ostante tutta la moderazione usata non potesse soccombere a questo peso, V. S. ordinerà, che somministrato alle Monache dal deposito proveniente da' livelli, o vitalizj quanto le occorre per le loro necessità religiose, il rimanente s' impieghi nelle divisate spese, conforme fu dichiarato coll' altra Lettera Circolare de' 25. Febbrajo 1709.

Ed affinchè si mantenga perpetuamente l' osservanza di quanto viene come

come sopra prescritto, comanderà espressamente, che sempre nell' elezione della nuova Superiora debba in Capitolo leggersi ciò, che nella presente Lettera si contiene. Dichiarando, che la Santità di Nostro Signore intende, che inviolabilmente debba il tutto osservarsi da qualunque Monastero, benchè esente, privilegiato, privilegiatissimo, e degno di special menzione, eziandìo soggetto immediatamente alla Santa Sede, ed anche dalle Case delle Oblate, quantunque non astrette alla Clausura, sotto la pena in caso di contravvenzione dell' Uffizio, e della voce attiva, e passiva da incorrersi *ipso facto*, e da durare ad arbitrio della sagra Congregazione.

Sarà dunque parte della di Lei Pastoral sollecitudine di proccurare l' esatto adempimento di quanto si prescrive, con dare susseguentemente avviso dell' operato; e le prego da Dio le maggiori prosperità. Roma 26. Gennajo 1742.

Di V. S.

Come Fratello Affezionatissimo
F. Card. Firrào.

C. Arc. di Damiata Segret.

VIII.

CHIROGRAFO

Di Papa Clemente XIII. concernente l' Uffizio di Sagristana per le Monache, in cui ancora si vieta, che in occasione delle Feste del Monastero si facciano Rinfreschi.

ALLO STESSO MONSIGNOR FERDINANDO MARIA DEI ROSSI PATRIARCA DI COSTANTINOPOLI, DEL VICARIATO DI ROMA VICEGERENTE.

LE sagre Vergini dedicate a Dio ne' Chiostri vestendo l' Abito Religioso, hanno avuta una giusta sicurezza di vivere affatto lontane da ogni sollecitudine temporale; e i Nostri gloriosi Predecessori hanno avuta continua premura di dare opportuni provvedimenti, perchè niuna cosa le distogliesse da questo santo, e lodevole oggetto: quindi è, che hanno impedito tutto quello, che potea dal medesimo allontanarle per ragione degli Uffizj, che debbono ne' loro Monasterj adempire, e specialmente per quello di Sagristana. Ma perchè i provvedimenti dati non si eseguiscono, sono altresì gravissimi gl' inconvenienti, che succedono, e che pur troppo ci sono stati rappresentati con replicati continui ricorsi. A questi inconvenienti volendo Noi rimediare, con la presente Cedola di Moto proprio ordiniamo a Voi, che proibiate in Nostro nome alle Superiore Religiose di permettere, che le loro Monache destinate all' Uffizio di Sagristane facciano in avvenire alcuna spesa in occasione delle Feste, che si debbono solennizzare nelle loro rispettive Chiese: essendo mente Nostra, che qualora le medesime Chiese sieno bastantemente provvedute d' Apparati proprj, si mettano questi in opera a spese comuni del Monastero; ma quando ne fossero prive, non si prendano le Religiose incaricate dell' Uffizio di Sagristane cura, e sollecitudine, che quella di far disporre

porre sopra gli Altari quei sagri Arredi, e Suppellettili, che si trovano avere, con la maggior decenza compatibile alle forze dello stato economico del medesimo Monastero. Siccome però non intendiamo pel rimanente d' impedire a' Monasterj facoltosi la celebrazione delle Feste con la consueta loro pompa, purchè sia interamente sagra, ed Ecclesiastica; così vogliamo, che generalmente si proibisca a tutti il frammischiarvi rinfreschi di qualunque sorte, non solo perchè danno occasione a spese inutili, e di scandalo a' Secolari, ma perche distraggono le Religiose da quella divozione, e raccoglimento, che debbono avere nel corso di tutto l' anno, e molto più ne' giorni con particolarità dedicati o alla venerazione del Santo Fondatore, o al Titolare, sotto la protezione de' quali vivono. Proibiamo ancora, che le Sagristane a proprie spese facciano in simili occasioni ricognizioni, o regali a qualunque sorte di Persone, o dentro, o fuori del Monastero; E vogliamo, che le Superiore restino incaricate dell' esecuzione esatta di questa Nostra volontà, e che in caso di contravvenzione restino sospese dal loro impiego, riservando a Noi la facoltà di reintegrarle, quando attese le circostanze crederemo doverlo fare.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico a Monte Cavallo questo dì 30. Giugno 1759.

IX.

CHIROGRAFO

Di Papa Clemente XIII. concernente le Doti delle Monacande

A MONSIGNOR FERDINANDO MARIA DEI ROSSI PATRIARCA DI COSTANTINOPOLI, DEL VICARIATO DI ROMA VICEGERENTE.

CI è stato rappresentato, che nella Segreterìa del Vicariato di Roma sia stata per molto tempo osservata con esattezza la regola provvidamente stabilita di non ammettere alla Vestizione dell' Abito Religioso quelle Fanciulle, per le quali non sia prima depositata nel Monte della Pietà, o Banco di S. Spirito l' intera Dote, e non sia stata in seguito consegnata al Notaro della Segreterìa la fede autentica del deposito. Che da qualche tempo in qua il Notaro della Segreterìa in vece di ricevere l' accennata fede di deposito, abbia introdotto l' abuso di contentarsi di qualunque obbligo, o promessa si faccia da persona ancora poco solvibile; perlocchè non potendo questa fare lo sborso effettivo nel tempo stabilito debba trattenersi la Professione della Monacata. Che nell' anno della Probazione alcune Novizie così vestite, in vece di attender unicamente alla vita ritirata, quieta, e lontana affatto dalle sollecitudini mondane, sieno obbligate a proccurare i mezzi, perchè in fine dell' anno sia pronta la Dote; si domandino Rescritti Pontificj d' abilitazione, di coazione a' Luoghi Pii, e simili straordinarj provvedimenti. A' quali inconvenienti tutti volendo Noi rimediare, e contribuir insieme, per quanto può da Noi dipendere, che l' anno del Noviziato si passi dalle Religiose in azioni puramente divote, che possano ottenere loro da Dio quello

spirito

ſpirito di perfezione, al quale s' incamminano, con la preſente Cedola di Moto proprio ordiniamo a Voi, che in avvenire non permettiate, che ſi ricevano all' Abito Religioſo quelle, che non auranno depoſitata nel Banco di S. Spirito, o Monte di Pietà l' intera Dote, ch' è dovuta al Monaſtero, nel quale vogliono profeſſare; e neppure permettiate alle Monache di convocare il Capitolo per ricevere alla Veſtizione effettiva la Novizia, ſe prima non ſarà fatto l' intero depoſito, come ſopra, del quale ſi dovrà leggere in Capitolo il documento autentico. E ſe per qualunque eventualità le Religioſe mancaſſero a queſto preſente Regolamento, vogliamo, che la Superiora reſti ſoſpeſa dal ſuo impiego, e ſolamente da Noi poſſa eſſere reintegrata, e che il Monaſtero, e Religioſe abbiano perduto il diritto di domandare la Dote alla Educanda veſtita, e debbano contentarſi ſolo di quella ſomma, che ſino a quel tempo ſarà depoſitata. Ci contentiamo ſolamente per una ragionevole equità, che quelle Fanciulle, quali ſono già ſtate accettate per Religioſe con le ſolite formalità di dovute licenze, atto Capitolare &c., non reſtino ſoggette a queſta Noſtra diſpoſizione: volendo nel reſto, che queſto Noſtro preſente Chirografo ſia pienamente eſeguito ſecondo la ſua forma, e tenore, non oſtante qualſivoglia conſuetudine in contrario.

Dato dal Noſtro Palazzo Apoſtolico a Monte Cavallo queſto dì 13. Feb. 1759.

CLEMENS PP. XIII.

Eſtenſione del ſuddetto Chirografo a tutto lo Stato Pontificio.

Illuſtr., e Reverendiſs. Monſig. come Fratello. La indefeſſa vigilanza della Santità di Noſtro Signore con ſuo ſpeciale Chirografo di Moto proprio ſi è degnata ovviare all' abuſo, che in queſt' Alma ſua Città ſi era da qualcuno introdotto, di traſcurarſi l' effettivo depoſito della Dote per le Zitelle Monacande; e conoſcendo, che un tale provvedimento ſia neceſſario anche per gli altri Monaſterj del ſuo Stato Pontificio, coll' Oracolo datoci a viva voce ha voluto, che ciò ſi eſtenda a tutte le Diocesi, e Luoghi del medeſimo Stato. E però mi ha comandato di traſmettere a V. S. un eſemplare di detto Chirografo a fine, ch' Ella faccia eſattamente, ed inviolabilmente oſſervare quanto in eſſo viene diſpoſto, colla dichiarazione, che qualora in coteſta Città, o Luoghi, dove ſono ſituati li Monaſterj, non vi ſia Monte di Pietà, o altro pubblico, e ſicuro Banco, l' accennato depoſito della Dote debba farſi in mano di qualche perſona facoltoſa, accreditata, e ſolvibile, che poſſa prontamente al tempo della Profeſſione farne lo sborſo al Monaſtero. Sarà dunque parte del di Lei Paſtoral zelo l' uniformarſi interamente al rettiſſimo ſentimento di Sua Beatitudine con dargli la dovuta eſecuzione; e le prego da Dio proſperità.

Di V. S. Roma 21. Febbraro 1759.

COME FRATELLO AFFEZIONATISSIMO

C. A. CARDINALE CAVALCHINI.

P. G. Guglielmi Segretario.

X.

X.

LETTERA CIRCOLARE

Della sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari d' Ordine del Venerabile Pontefice Innocenzo XI. per gli Esercizj spirituali delle Monacande, e di quelle, che hanno da fare la Professione, e di tutte le altre Monache.

LA Santità di Nostro Signore, che con paterna sollecitudine riflette del continuo a tutti quei mezzi, che possono contribuire alla maggior sicurezza della salute dell' Anime, conoscendo col suo santo zelo, quanto sia necessario un precedente divoto raccoglimento di spirito, per degnamente prepararsi tanto in ordine alli promovendi al ricevimento degli Ordini, quanto rispetto alle Spose di Cristo al vestir l' Abito, e professare lo Stato religioso; vuole, e comanda, che tutti li promovendi sì agli Ordini Minori, come Sagri, debbano per dieci giorni continui avanti la Ordinazione ritirarsi a fare gli Esercizj spirituali nella istessa conformità prescritta alli promovendi in Roma nella Costituzione 126. della fel. mem. di Alessandro VII. che comincia *Apostolica Sollicitudo*: e che parimente tutte quelle, che vorranno farsi Monache in qualsivoglia Monastero anche soggetto a' Regolari, sieno tenute fare i detti Esercizj spirituali per dieci giorni avanti, che ricevano l' Abito, e sieno ammesse al Noviziató: e che li medesimi Esercizj si debbano ripetere per lo spazio di dieci giorni avanti, che sieno ammesse alla Professione, alla quale la Santità Sua comanda, che non devano essere ricevute, se prima non averanno adempita questa santa preparazione. Desidera in oltre Sua Beatitudine, che si proccuri con tutte le diligenze possibili, ma con modi soavi, e discreti, che ancora tutte le Monache Professe una volta l' anno almeno per qualche tempo, che si stimerà opportuno, facciano li medesimi Esercizj per la rinnovazione dello spirito tanto necessaria a chi con essersi rinchiusa ne' sagri Chiostri deve professare lo Stato di perfezione. E Dio la prosperi.

Di V. E. Roma 9. Ottobre 1682.

COME FRATELLO A. CARD. FACHINETTI.

B. Panciatichi Segretario.

APPEN-

APPENDIX QUINTÆ PARTIS.

Num. I.

EDITTO

SOPRA IL RISPETTO DELLE CHIESE

ALESSANDRO MATTEI de' Duchi di Giove, Patrizio Romano, della Santità di N. S. Pap. PIO VI. fel. reg. Prelato Domestico, Assistente al Soglio Pontificio, per la Grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Arcivescovo di Ferrara.

E' stata sempre singolare premura de' Nostri zelantissimi Predecessori di vegliare sopra la venerazione, e 'l rispetto dovuto alle Chiese; onde non pur fosse tolta ogni abominazione dal Luogo santo, ma imparassero i Fedeli a concorrervi, e trattenervisi con ogni religione, e modestia, ad onorarvi la Maestà di Dio, che l' ha eletto a sua Casa, ed ottenerne le sue più scelte grazie, e divine beneficenze. A quanto è stato da essi disposto non fa mestieri l' aggiungere cosa alcuna: perciò, inerendo singolarmente all' Editto dell' Emo Crescenzi inserto nel suo Sinodo, Noi comandiamo le seguenti cose.

I. Che nessuno ardisca nelle Chiese di questa Città, e Diocesi, tanto Secolari, che Regolari in alcun tempo, particolarmente quando si celebrano Messe, divini Uffizj, o altre sacre Funzioni, passeggiare, far circoli, o confabulare con altri, nè appoggiarsi indecentemente a' sacri Altari, Vasi dell' Acqua Santa, o Battisterj, nè mettervi sopra cappelli, berettini, o qualunque cosa profana, nè sedere irriverentemente colle spalle voltate al SSmo Sagramento, nè mettersi in vicinanza, ed in faccia alle donne, (che per quant' è possibile dovrebbero secondo le buone regole star lontane, e separate dagli uomini) nè con rumori, cicalecci, strepiti, o in qualunque altro modo disturbare i divini Uffizj, i Ministri celebranti, Confessori, o Predicatori; molto meno poi amoreggiare, o con parole, atti, cenni, sorrisi, o sguardi violare il dovuto rispetto alla Chiesa, ed offendere l' onestà, e modestia Cristiana di quelli, che vi fanno Orazione.

II. Che niun Laico si accosti ai sacri Altari fermandosi, ed inginocchiandosi sopra i gradini, e suppedanei di quelli per udire la santa Messa, come alcuni con molta indecenza, e con soggezione dello stesso Sacerdote celebrante sogliono fare: ingiungiamo perciò ai Rettori, e Sagristani delle Chiese, ed altri Ministri del Santuario d' invigilare, acciocchè in avvenire

non si commettano somiglianti indecenze, ed avvisare quei, che le commettessero a ritirarsi, e quando talvolta ritrovassero ne' medesimi ripugnanza, sarà loro peso di segnare gl' inobedienti, ed a Noi notificarli, perchè si possa contra di questi procedere, come giudicheremo spediente.

III. E perche in occasione dell' Esposizioni, che si fanno del SSmo Sacramento nelle Chiese di questa Città, e Diocesi, suole sovente avvenire un' altro inconveniente, che si commette da alcuni, non solo colla dimora nel Presbiterio, che dalle sacre Scritture vien chiamato *Sancta Sanctorum*, ma eziandìo coll' inginocchiarsi sugli stessi gradini del sacro Altare, ove sta esposto il Venerabile, nella medesima linea, e parità de' Ministri, che per la santa Benedizione ivi si trovano vestiti de' sacri Arredi; perciò ordiniamo, che niuno ardisca per l' avvenire d' accostarsi all' Altare, ove sta esposto alla pubblica venerazione il SSmo Sacramento, molto meno fermarsi, ed accomodarsi ad orare ne' gradini dell' Altare medesimo, neppure per breve tempo; vogliamo, che tutti gl' Intervenienti, ed Oranti avanti Sua Divina Maestà stiano ben composti, colla debita divozione genuflessi con ambedue le ginocchia nel pavimento della Chiesa, o nel suppedaneo de' banchi, o in quella parte destinata al comodo d' inginocchiarsi, ma non giammai innalzati, e genuflessi in quella parte de' banchi stessi destinata per comodo di sedere in tempo d' udire la Predica, come abusivamente sentiamo essersi costumato, incaricando l' attenzione de' Maestri di Ceremonie, e rispettivamente de' Sagristani ad invigilare, affinchè sia rimosso un tale abuso, e che questo Nostro premuroso ordine venga prontamente adempito.

